3 1761 07833929 8

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/thesaurusresolut38cath

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXIX.

Rño P. D.

FRANCISCO XAVERIO
DE ZELADA
ARCHIEPISCOPO PETRENSI

SECRETARIO.

TOMUS XXXVIII.

ROMÆ MDCCLXIX.
EX TYPOGRAPHIA BERNABÒ, ET LAZZARINI.

SUPERIORUM FACULTATE.

LIBRARY
SEP 5 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

BX
1935
A36
t. 38-39

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1769. *per Diœceſes diſpoſitus.*

A

AMerina 26. Auguſti *pag.* 99., & 16. Septembris *pag.*104
Anicien. diſpenſationis 8. Julii *pag.*50., & 29. Iulii *pag.*59.
Aretina Miſſæ Conventualis 18. Novembris *pag.*146.. & 16. Decembris *pag.*149.

B

BAlneoregien. Electionis Alumni 14. Januarii *pag.*2., 28. Januarii *pagin.*10., 26. Auguſti *pag.*87., & 16. Septembris *pag.*103.
Barchinonen. Aromathariæ 17. Junii *pag.*27.
Barchinonen. 16. Decembris *pag.*153.
Beneventana Irregularitatis 18.Novembris *pag.*136.

C

CAlaguritana applicationisMiſſæ pro Populo 14. Januarii *pag.*1.
Cameracen. Diſpenſationis 18.Novembris *pag.*143., & 16. Decembris *pag.*149.
Camerinen. 17. Junii *pag.*31.
Camerinen. reſtaurationis 14. Januarii *pag.*2., & 28. Januarii *pag.*10.
Camerinen. ſeu Fabrianen. Legati 16. Decembris *pag.*172.
Colonien. 14. Januarii *pag.*2.
Comaclen. 17. Junii *pag.*24.
Comaclen.Capellaniæ 17.Junii *pag.*35. & 8. Julii *pag.*39.
Comen. Matrimonii 14. Januarii *pagin.*2., & 28. Januarii *pag.*9.
Conſtantien. 8. Julii *pag.*43.
Conſtantien. Decimarum 16. Decembris *pag.*155.

F

FAnen. Capellaniæ 26. Auguſti *pagin.*96., & 16. Septembris *p.*104.
Faventina applicationis Miſſarum 8.Julii *pag.*52., & 29. Julii *pag.*59.
Firmana 14. Januarii *pag.*2., & 28.Januarii *pag.*9.
Firmana ſubſidiorum dotalium 8. Julii *pag.*53., & 29. Julii *pag.*60.
Firmana Reductionis Miſſarum 8. Julii *pag.*48., & 29. Julii *pag.*59.
Fulden. 28. Januarii *pag.*11.

H

HIldeſimen. 16.Septembris *p.*111. & 18. Novembris *pag.*125.

I

JAnuen., ſeu Albintimilien. Nullitatis Matrimonii 26. Auguſti *pag.*84., & 16. Septembris *pag.*103.

L

LUcana ſubſidiorum Dotalium 17. Junii *pag.*33., & 8. Julii *pag.*39.
Lunen. Sarzanen. reductionis Miſſarum 28. Januarii *pag.*12., & 17. Junii *pag.*23.

M

MOnaſterien. Confirmationis 16. Septembris *pag.*119.,& 18. Novembris *pag.*125.
Monopolitana Donationis 18. Novembris *pag.*128.

Nul-

N

NUllius Sublacen. Erectionis Canonicatus 28. Januarii *pag.*20. , & 17. Junii *pag.*23.

O

OLomucen. Nullitatis Matrimonii 29. Julii *pag.*60. , & 26. Auguſti *pagin.*83.

P

PIſana Nullitatis Matrimonii 29. Julii *pag.*72. , & 26. Auguſti *pag.*83.

R

ROmana Subſidiorum Dotalium 8. Julii *pag.*39.
Eadem 18. Novembris *pag.*133.
Eadem 16. Decembris *pag.*163.
Romana , ſeu Albintimilien. ſubſidiorum Dotalium 18. Novembris *pagin.*125.
Romana Reductionis Legatorum 16. Decembris *pag.*149.
Romana Reductionis Miſſarum 8. Julii *pag.*56. , & 29. Julii *pag.*60.
Romana , ſeu Tudertina 28. Januarii *pag.*16. , & 17. Junii *pag.*23.

S

SAncti Severini Eleemoſinæ 14. Januarii *pag.*2.
Spiren. Reedificationis Eccleſiæ 16. Septembris *pag.*108. , & 18. Novembris *pag.*125.

T

TAurinen. Matrimonii 29. Julii *pagin.*78. , & 26. Auguſti *pag.*84.
Tolentina Canonicatus 16. Decembris *pag.*167.
Tranen. Irregularitatis 16. Decembris *pag.*166.
Tranen. Taxæ Seminarii 14. Januarii *pag.*1.
Tridentina applicationis Miſſarum 26. Auguſti *pag.*92. , & 16. Septembris *pag.*104.

V

VErulana Archidiaconatus 16. Septembris *pag.*104.
Viterbien. Expenſarum litis 14. Januarii *pag.*2. , & 28. Januarii *pag.*9.
Vrbanien. 17. Junii *pag.*28. , 29. Julii *pag.*60. , & 26. Auguſti *pag.*83.

Die

Die Sabbathi 14. Januarii 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CUM ob temporis anguſtiam in poſtrema Congregatione plures ex propoſitis tunc Cauſis reſolvi non potuerint, ex idcircò, cum alia, quæ mox additur, prudenti EE. VV. judicio ſubjiciuntur.

CALAGURITANA APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. Prima hæc iterum exponitur Cauſa ex præſcripto EE. VV., quibus in præcedenti Congregatione reſcribere placuit = *Dilata, & proponatur in prima* = Supereſt itaque, ut diſpunctis rationibus a Supplicantibus in libello expoſitis, & in Folio adnotatis, definiant *Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni applicationis Miſſæ pro Populo, in caſu &c.

Applicatis duabus Miſſis quotidianis in Eccleſia Ochonii, nec non una quotidiana in Pago Corerij, pro gratia reductionis ad unam pro diebus feſtivis, & Dominicis in quolibet ex cæteris Pagis, collatis tamen ſuffragiis in unum pro toto Popolo, facto verbo cum Sanctiſſimo, & detracta eleemoſyna pro omnibus Miſſis applicandis ex maſſa communi.

TRANEN. TAXÆ SEMINARII.

I. *An Menſa Archiepiſcopalis teneatur ad taxam, in caſu &c.* *Seſſ. 23. cap. 18 de Reform.*

II. *An Capitulum Cathedralis, & Clerus tam Sæcularis, quam Regularis Civitatis Trani teneatur ad taxam, in qua ſumma, & a quo tempore, in caſu &c.*

III. *An ſit locus approbationi taxæ, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè, deducto, quod impendit Archiepiſcopus in contributione ducatorum 600.. Ad II. Affirmativè, deducto, quod impendit Clerus in contributione ducatorum 600.. Ad III. Affirmativè ad rationem 3. pro centenario, facto verbo cum Sanctiſſimo.

Sess.24. cap.3. de Regul.

SANCTI SEVERINI ELEEMOSYNÆ.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18. Novembris 1684., in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore debeatur legatum, de quo agitur, in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius. Ad II. Deberi per Canonicum Lavini a die omissæ præstationis.

Sess.24. cap. 15. de Reform.

COLONIEN.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti applicandi fructus quatuor, vel trium saltem annorum Præbendarum vacaturarum pro extinguendo ære alieno Capituli, seu potius an, & quomodo sit providendum, in casu &c.

Esse consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti applicandi medietatem fructuum quatuor annorum Præbendarum vacaturarum pro dissolvendo debito Capituli, firmis remanentibus solitis carentiis, prout de jure.

Sess.22. cap.6. de Reform. Matrimon.

COMEN. MATRIMONII.

An liceat Franciscæ Professionem emittere, in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess.24. cap.2. de Reform.

VITERBIEN. EXPENSARUM LITIS.

An, & qui teneantur contribuere expensis litis, in casu &c.

FIRMANA.

I. *An constet de legitima erectione Societatis SSmi Sacramenti in Altari Majori Ecclesiæ Præposituralis S. Michaelis Archangeli Montis Vrani, in casu &c.*

II. *An*

II. *An jus peragendi omnes functiones pertinentes ad Societatem privative ſpectet ad Præpoſitum, in caſu &c.*

III. *An per ipſum Præpoſitum juxta ſolitum ſint impoſterum peragendæ eædem ſacræ Actiones in Oratorio dictæ Societatis, etiam uti Eccleſiæ filialis Præpoſituræ, in caſu &c.*

IV. *An ſit concedendum Indultum Oratorio dictæ Societatis retinendi Sanctiſſimum Sacramentum, in caſu &c.*

CAMERINEN; RESTAURATIONIS.

I. *An decretum Epiſcopi in Sacra Viſitatione latum ſit exequendum in caſu &c.* *Seſs. 22. cap. 1. de Reform.*

II. *An Domus Parochialis Sancti Gregorii Oppidi Sancti Geneſii ſit reficienda, & reſtauranda ſumptibus Parochianorum, in caſu &c.*

BALNEOREGIEN. ELECTIONIS ALUMNI. Dum in Oppido Polimartii Sacram ageret Viſitationem Epiſcopus Balneoregien., ad bonum publicum, privatumque ſtatuit ex reditibus Societatis Miſericordiæ ejuſdem Loci applicare Seminario Diœceſis annua ſcuta triginta in manutentionem Alumni ex ipſo Oppido a Confratribus ſexennio quolibet eligendi, & ab Antiſtite pro tempore confirmandi. Ut autem res hæc perficeretur ex voluntate etiam Societatis, coactis idcirco Comitiis die 10. Novembris 1765., quibus interfuit & ipſe Epiſcopus, negotioque propoſito, ac ſuffragia ferentibus tum eodem Epiſcopo, tum tribus Confratribus eadem die inter Sodales adſcriptis, per tria vota prævaluit numerus aſſentientium in dictam applicationem. Et hac capta reſolutione Epiſcopus eam tum Ordinaria, tum delegata auctoritate confirmavit, atque omnes ſanavit, ſupplevitque defectus, ac nullitates, ſi quæ fortè irrepſiſſent.

Deindè per litteras ad Archipresbyterum Polimartii datas Confratribus ſignificari mandavit, ut ad electionem Alumni devenirent. Verùm in Comitiis hac ſuper re habitis die 13. Aprilis 1766., duo ex Confratribus proteſtati ſunt, ac declararunt, nec Alumnum eſſe eligendum, nec exequutioni mandandam reſolutionem antea captam, tum quia Societatis reditus eam ſummam non attingerent, quam Epiſcopus putabat, tum etiam quia plura incumberent Societati onera, quibus ſubeundis vix pares reditus ſuppeterent. Id autem unanimi ſententia omnes comprobarunt, & Epiſcopo exhiberi ſtatuerunt rationum computa,

ut a propoſito reſiliret, nec novo onere gravari ſineret Societatem.

Hæc tamen tanti non fuerunt, ut Antiſtitis animum flecterent, immo is ex oppoſito reſolutionem prius captam, ſuoque decreto munitam à Sanctiſſimo Domino Noſtro confirmari curavit, ac poſtea Sacram iterans in eodem Oppido Viſitationem imperavit, ut ad electionem Alumn- procederetur. Tunc autem Officialibus Societatis redituum adminiſtrationem interdixit, pecuniaſque penes debitores repertas ſequeſtro ſubjecit; Ac præterea plures ex Sodalibus ab Albo Confratrum delevit, novos addidit; Eorumque nominibus in Tabella deſcriptis, hanc ſequenti decreto firmavit = *Amoventes, lacerantes, deturpantes, aut quocumque modo alterantes præſentem Tabellam, ſeu addentes alios Confratres, ſint ipſo jure excommunicati*.

Ægro animo Officiales, & Confratres tulerunt hujuſmodi ordinationes, quas in libello Summo Pontifici oblato fuſius expoſuerunt, orantes, ut totius rei geſtæ examen Sacræ huic Congregationi committere dignaretur. Res igitur ex oraculo Sanctiſſimi EE. VV. demandata eſt, quorum ſapienti judicio inferius tranſcripta dubia reſolvenda ſubjiciuntur.

Ad I. reſpiciens applicationem redituum, atque Alumni electionem, ex his neutram, inquiunt Sodales, ſubſiſtere poſſe, niſi permitti velit, ut aſſueta pietatis officia intermittantur, ut deleatur Sodalitium, ut Eccleſia demum ipſa claudatur. Id autem manifeſtum fieri, tum ex nota tabularum cenſualium, tum ex libro ſyndicatuum, ex quibus intelligitur, Sodalitii reditum vix attingere ſummam ſcutorum 72. 75., exitum verò extolli ad ſcuta 81. 44., & ita illum ab hoc ſuperari. Nec attendendam eſſe majorem introitus quantitatem, quam refert poſtremus Codex ſyndicatuum exportatus Balneoregium ab Epiſcopo, cum id evenerit tempore caritatis, quo victualium pretium, ut ſolet, ingraveſcit. Inferunt proinde non eſſe ſubvertendam Societatem, nec deſerenda inſignia pietatis opera, quæ a Sodalibus ex Inſtituto exercentur, ut privato alicui Clerico conſulatur. Nullius vero ponderis aſſerunt reſolutionem diei 10. Decembris 176[illegible]., utpote quia tumultuaria fuerit, & comitia convocata extiterint nulla præmiſſa denunciatione per diem ante Sodalibus de more facienda ad hoc, ut negotium, ut par erat, expenderent, ac maturius proferrent judicium, *Rota in Firmana Erectionis Collegiatæ* 27. *Junii* 1753. §. 8. *coram bon. mem. Amadeo, & in confirmatoria* 26. *Junii* 1754. §. 12. *coram Emo Molino*.

Accedere etiam, ob Epiſcopi reluctantiam, quamplures ex Confratribus fuiſſe prohibitos, quo minus ſalutares emitte-

terent contra rem, quæ tentabatur, proteſtationes. Atque inſuper notatu dignum proponunt, quod tum Epiſcopus, tum Vicarius Foraneus votum ab unoquoque ex Confratribus in urna ponendum inviſerint, & exquiſiverint. Ex his autem, cum ſublatum extiterit arbitrium Sodalibus competens, irritum ipſo jure dicunt quidquid in comitiis geſtum fuerit, *Rot. in cit. Firmana* §. 8. *&* 9., *& in confirmat.* §. 12. *ad* 15.

Addunt, perperam in iiſdem Comitiis quatuor ſibi ſuffragia Epiſcopum adſcripſiſſe, totidemque conceſſiſſe Vicario Foraneo. Contra autem negata fuiſſe Priori Societatis gemina Suffragia, prout Statuta præſcribunt. Claram proindè eſſe concludunt reſolutionis nullitatem, cum Epiſcopus Sodalitij Comitiis præſens a Suffragio ferendo debeat abſtinere, ut reſpondit Sac. hæc Congregatio in *Senogallien.* 4. *Junii* 1701. Perperamque inſuper admiſſos ad Suffragium ferendum nonnullos a Sodalitio extraneos, qui admitti non potuiſſent, niſi conſenſus majoris partis Confratrum acceſſiſſet, *Leg. qui admittitur ff. pro Socio*, *Rot dec.* 148. *n.* 2., *& dec.* 159. *num.* 1., *& 6. tom.* 2. *cor. Ratto*.

Animadvertunt præterea, plurimi habendum eſſe aliorum Confratrum diſſenſum, cum in re admodum præjudiciali, & magni momenti omnium conſenſus, maturè præſtitus, requireretur, exemplo Patronorum, quorum diſſenſus in re gravi ſufficit, ne firmitatem habeat, quod ab aliis fuerit reſolutum *Garz. de Benef. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 105., *Turricel. de union. cap.* 9. *num.* 39. Præſertim cum fuerint coacta Suffragia eorum, qui in applicationem aſſenſi ſunt, idque ex eo manifeſtè patere, quod coactis iterum anno 1766. ex mandato Epiſcopi Societatis Comitiis ad eligendum Alumnum, omnia ad unum Suffragia in denegatione electionis convenerint. Ajunt proinde, reſolutionem hanc tamquam captam unanimi Confratrum libera Sententia unicè eſſe exequendam.

Nihil tandem obeſſe dicunt electionem Alumni ſequutam menſe Decembris 1767., cum Congregatio ad hunc effectum non fuerit habita in propria Eccleſia, quemadmodum Sodalitatis Statuta præcipiunt, ſed in Palatio Epiſcopi; Atque inſuper, quia non omnes Sodales convocati fuerunt, ſed illi tantum, qui recenter ab Epiſcopo propria auctoritate admiſſi fuerant, & quibus nullum jus erat quidquam hac ſuper re decernendi.

Hinc ad II. ſuſtinent, reintegrandos eſſe Confratres ab Albo expunctos, repellendoſque alios ab Epiſcopo admiſſos, quia nulla eidem poteſtas ſit ejiciendi Sodales in legitima poſſeſſione exiſtentes, novoſque ſubrogandi, quod unicè Confratribus competit. Maxime quia ex nova hac admiſſione ſuborta ſunt ſcandala, & non ſine Divini cultus detrimento exercitium piorum operum fuit intermiſſum.

Aſ-

Afferunt ad III., liberam Sodalibus competere administrationem bonorum Societatis, nec eisdem auferri posse, nisi de abusu, & dissipatione constiterit. In hac autem administratione nullo modo posse Episcopum sese ingerere, ut pluries declaravit Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium apud *Pignattel. consult.* 11. *num.* 5. *tom.* 6., *& consult.* 15. *numer.* 32. *tom.*7., *Monacell. in Formul. Legal. tit.*6. *n.*16. *tom.* 1., *& tit.* 14. *n.*1. *tom.*2.

Denique ad IV. dubium respiciens expensas præsentis litis, inquiunt, eas non a Confratribus, qui nullum a Societate emolumentum percipiunt, sed ex reditibus ejusdem Societatis, de cujus interesse agitur, esse persolvendas *Adden. ad Gregor. decis.* 263. *litt. D.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 4. *in animad. ad tit.*13. *num.*7., *&* 8., *Sac. Congregatio in Viterbien. Capellaniæ* 11. *Januarii* 1744. *ad II. dub.* Affirmant, hujusce litis substentatione, nil aliud Confratres optare, nisi ut Sodalitas illæsa maneat, & præjudicia removeantur, quæ ex annua subministratione ab Episcopo imperata omninò evenirent.

Ex parte Promothoris Fiscalis nihil hactenus datum est, quamvis diu fuerit expectatus, crebrisque interpellationibus lacessitus. Episcopus in relatione status suæ Ecclesiæ nuperrimè transmissa supplicat pro Causæ resolutione, & judicium EE. VV. expectat.

Circa dubia, quæ proponuntur, inutile haud est prænotare, posse quidem Episcopum ad tollendos abusus, Edictis præcavere, ut bona Locorum piorum fideliter administrentur, non tamen in administratione se posse miscere, sed illam Officialibus ad id electis relinquere debere *Nicol. in Flosc. verb. Eleemosynę num.*32.,& resolvit *Sac Congregatio Episcop.*,*& Regul. in Castellanaten.* 14. *Novembris* 1603.; solumque ex dispositione Concilij Tridentini *Sess.* 22. *cap.* 8., *& 9. de Reform.* jus illi competit confirmandi Æconomos, & Administratores, ab eisque rationes exigendi, ut pluries declaravit eadem *Sac. Congregatio Episcop.*, *& Regul. apud Monacell. in Formul. legal. tit.*14. *formul.* 8. *num.* 1. *tom.*2., *& apud Pignattel. consult.* 71. *num.* 5. *tom.* 6., *& consult.* 15. *num.*32. *tom.* 7.

Quare in una *Senogallien. juris suffragandi*, *& deputandi Capellanos*, licet Episcopus assereret, ultrò Confratres a se petiisse confirmationem resolutionum, immò apud ipsum instetisse, ut duplici Suffragio electioni Capellani Sodalitatis accederet, nec nisi rogantibus iisdem Confratribus suffragia exhibuisse, nihilominus propositis die 4. Junii 1701. dubiis = I. *An Episcopus, seu Vicarius Generalis interveniens Congregationibus Confraternitatis Laicalis SSmæ Annuntiatæ, & Rosarij possit votare, & duplex ferre suffragium.* II. *An temporalis deputatio Capellanorum in discordia Confratrum spectet ad Episcopum, vel potius ad Gubernatorem, & Officiales dictæ Confra-*

fraternitatis = resposum prodiit = *Ad I. Negative in casu de quo agitur. Ad II. Spectare ad Episcopum post tertium Scrutinium* = Hinc Officialium electionem liberè ad Confratres, confirmationem verò ad Episcopum pertinere tradunt *Francesc. de Eccles. Cathedral. cap. 25. num. 278.*, aliique relati a *Monacell. in Formul. legal. tit. 6. formul. 11. n. 24.*

In præsenti disputatione illud principaliter perpendendum occurrit, an legitimus intercesserit Confraternitatis consensus in decernenda submministratione scutorum 30. pro manutentione Alumni Oppidi Polimartij in Seminario Episcopali. In Comitiis hac super re habitis die 10. Decembris 1765. affirmativa resolutio prodiit ob præponderantiam trium Suffragiorum, sed videndum, utrum ratio haberi possit de suffragiis ab Episcopo exhibitis: Insuper videndum etiam, an duplici suffragio privari ritè potuerit Prior Sodalitatis, quem probabiliter propositæ submministrationi dissensisse censeri debet, quia in altera Congregatione diei 13. Aprilis 1766. ipse etiam interfuit, & cum aliis præcedentis resolutionis exequutionem impugnavit.

Ponderandum præterea est, an jure potuerit Episcopus Officialibus Sodalitatis bonorum administrationem interdicere, & pecunias penes debitores extantes sequestro subiicere.

Quoad remotionem Sodalium ab albo Confratrum, tradunt Doctores, quod si defectuosi reperti fuerint, præmittendæ sint monitiones, nec statim a Catalogo delendi; addentes, quod, pendente controversia super alicujus remotione, manuteneri is debeat in sua possessione interessendi cum cæteris, suffragium ferendi, aliaque omnia peragendi, quæ Confratribus competunt. Ita *Posthius resol. Civil. 42. per tot.*, *Card. de Luc. de Præeminent. disc. 38. num. 7.*, *& seq.*, *Bassus de Sodalit. in Miscell. n. 10.*

De expensis litis plura animadversa sunt, in Foliis Causarum. quibus titulus *Montis Falisci expensarum litis die 20. Augusti*, & *Viterbien. expensarum litis die 17. Decembris anni mox elapsi*. Ad rem conferunt resolutiones in *Leodien. Indulti 28. Augusti 1751.*, *in Viterbien. Capellaniæ 11. Januarii 1744. ad II. Dub.*, *& in alia Viterbien. Capellaniæ 30. Maij*, *& 21. Novembris 1767. ad IX. dub.*

Omnibus itaque maturè perpensis, EE. PP. ea qua solent æquitate, & justitia declarare dignabuntur.

I. *An sit locus electioni Alumni, & respectivè submministrationi annuorum scut. 30., it aut electio facta de persona Clerici Joannis Baptistæ Ricci subsistineatur, in casu &c.*

II. *An sint reintegrandi Confratres ultimo loco deleti ab Episcopo, & respectivè delendi novi Confratres ab Episcopo electi, in casu &c.*

III. *An sit restituenda facultas Officialibus Confraternitatis admi-*

ni-

niſtrandi, & exigendi reditus ejuſdem Confraternitatis, itaut ſint removenda ſequeſtra, in caſu &c.

IV. *An ad expenſas præſentis litis teneantur Confratres, ſeu potius fieri debeant ex reditibus Confraternitatis, in caſu &c.*

Die Sabbathi 28. Januarii 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis, de jure reſolvenda.

HAbent Eminentiſſimi PP. in præſenti Folio deſcriptas Cauſas, quæ ſapienti eorum judicio decidendæ proponuntur; Reliquas verò in poſtrema Congregatione diei 14. labentis menſis nondum abſolutas, ex altero Folio ea die diſtributo deprehendent. Hoc igitur reſumpto, non dedignentur, matura, qua ſolent, definitione, dubiis reſpodere.

COMEN. MATRIMONII. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform. Matrimon.*

An liceat Franciſcæ Profeſſionem emittere, in caſu &c.

Negativè.

VITERBIEN. EXPENSARUM LITIS. *Seſs. 24. cap. 2. de Reform.*

An, & qui teneantur contribuere expenſis litis, in caſu &c.

Teneri eos, qui expreſsè in litem conſenſerunt.

FIRMANA. *Seſs. 13. cap. 6. de Reform.*

I. *An conſtet de legitima erectione Societatis SSmi Sacramenti in Altari Majori Eccleſiæ Præpoſituralis S. Michaelis Archangeli Montis Vrani, in caſu &c.*

II. *An jus peragendi omnes functiones pertinentes ad Societatem privativè ſpectet ad Præpoſitum, in caſu &c.*

III. *An per ipſum Præpoſitum juxta ſolitum ſint impoſterum peragendæ eædem ſacræ Actiones in Oratorio dictæ Societatis, etiam uti Eccleſiæ filialis Præpoſituræ, in caſu &c.*

IV. *An ſit concedendum Indultum Oratorio dictæ Societatis retinendi S Sñum Sacramentum, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Affirmativè in Eccleſia Parochiali. Ad III. Dilata, & coadjuventur probationes. Ad IV. Negativè.

Seſs 21. cap. 7. de Reform.

CAMERINEN. RESTAURATIONIS.

I. *An decretum Epiſcopi in Sacra Viſitatione latum ſit exequendum in caſu &c.*

II. *An Domus Parochialis Sancti Gregorii Oppidi S. Geneſii ſit reficienda, & reſtauranda ſumptibus Parochianorum, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè, reſervatis juribus, prout de jure. Ad II. Scribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.

Seſs. 22. cap. 1. de Reformat.

BALNEOREGIEN. ELECTIONIS ALUMNI.

I. *An ſit locus electioni Alumni, & reſpectivè ſu miniſtrationi annuorum ſcut. 30. itaut electio facta de perſona Clerici Joannis Baptiſtæ Ricci ſubſtineatur.*

II. *An ſint reintegrandi Confratres ultimo loco deleti ab Epiſcopo, & reſpectivè delendi novi Confratres ab Epiſcopo electi in caſu &c.*

III. *An ſit reſtituenda facultas Officialibus Confraternitatis adminiſtrandi, & exigendi reditus ejuſdem Confraternitatis, itaut ſint removenda ſequeſtra in caſu &c.*

IV. *An*

IV. *An ad expensas præsentis litis teneantur Confratres, seu potius fieri debeant ex reditibus Confraternitatis in casu &.*

Dilata, remotis sequestris, & reintegratis interim Confratribus.

FULDEN. Residentiæ normam a san.me. Benedicto XIV. indictam in Litteris Apostolicis, quibus Ecclesiam Fuldensem Monasterii Ordinis S. Benedicti erexit in Cathedralem, & Episcopalem, non sine detrimento servari posse perspexit vigilantissimus Episcopus, & Abbas Fuldensis; Qua de re derivantia ex illa incommoda, atque damna patefecit Sanctissimo Domino Nostro, supplicavitque, ut eam moderari, & ad breviores terminos reducere dignaretur. Preces remissæ sunt ad Sac. Coongregationem, & die 12. Decembris superioris anni 1767. quæsitum fuit = *An sit consulendum Sanctissimo pro moderatione Residentiæ, in casu &c.* = Sed rebus tunc non satis cognitis, visum fuit expediens rescribere = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, non retardata interim exequutione Bullæ Benedictinæ.* *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Datis itaque Literis Fuldensi Episcopo, mandatum ei fuit, ut evocatis Præpositis, & Capitularibus omnibus, hisque consultis de iis, quæ hac in re expedire viderentur, media proponeret, quibus Episcopali decori, rerumque gerendarum necessitati, nec non Præpositorum, Capitularium, & Monasterii minori incommodo, & detrimento prospectum foret.

Mandata Sac. Congregationis adimplevit Episcopus, remque proposuit in Capitulo ordinario quatuor temporum diei 30. præteriti mensis Maji. Capitularium tamen omnium una mens fuit, atque consilium, non aliud magis opportunum excogitari posse remedium, quam illud jam Sac. Congregationi propositum, ut scilicet moderatio Residentiæ arbitrio Episcopi, & Abbatis pro tempore existentis relinquatur.

Eadem quoque est sententia Episcopi, qui præterea hæc addit = *Aut denique, si tanta in Abbatis conscientia fiducia non habeatur, æqualis determinetur, & statuatur à Summa Sede, & Sacra Congregatione & quoad Præpositos, & quoad alios Capitulares non Præpositos ad unum mensem Residentia; hujus verò modus, in quibus scilicet festivitatibus, in quibus horis Canonicis, cum quibus functionibus, quo tempore, & qua ratione*

pro decore Ecclesiæ Cathedralis, Populi ædificatione, ac pro rerum gerendarum necessitate talis Residentia facienda sit, is', inquam, saltem modus prudenti dispositioni Episcopi, & Abbatis relinquatur. Ea tamen in utroque casu lege, & per Eminentissimam Congregationem in resolato ad me desuper dirigendo expressè adjecta conditione, ut dum ratione Residentiæ in Cathedrali peragendæ indulgentius agitur, & breviori tempore circumscribitur, illa è contra, quæ in Præposituris ad servandum ibi, augendumque cultum Divinum, debitamque administrationem tam a Præpositis, quam a non Præpositis Capitularibus Sociis secundum antiquas Constitutiones ab Apostolicis Visitatoribus Caraffa, & Bussi emanatas, & summa Sedis auctoritate firmatas, nec non vigentes laudabiles observantias requiritur, aut ab Episcopo Abbate dispositivè pro circumstantiarum varietate requiritur, eo strictius, & accuratius observetur. Universi proindè tam Præpositi, quam Capitulares Socii, & associandi in assignatis sibi stationibus continuò resideant, nec ullus citra specialem licentiam Abbatis, & gravem causam abesse permittatur.

Plura hac super re adnotata sunt in Folio distributo pro Congregatione diei 21. Novembris *anni* 1767., quo benignè reassumpto, & assueta maturitate perpenso, iterum rogantur Emi PP. respondere dubio

An sit consulendum Sanctissimo pro moderatione Residentiæ, in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi, quoad numerum residentium, & tempus residentiæ; In reliquis arbitrio ejusdem Episcopi; ita tamen, ut intra triennium statuat, quod statuendum existimabit, & referat Sac. Congregationi.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Testamentum condidit anno 1567. Antonius Gandulphus, quo deficientibus masculis suæ Familiæ, universales instituit hæredes *infrascriptas distributiones pias, & infrascriptos respectivè pauperes Christi, verè egenos Civitatis Sarzanæ;* Ac primo quidem ab Exequutoribns Testamentariis eligi jussit tres Capellanos ad nutum amovibiles, qui diebus singulis Missam celebrarent ad Altare S. Jacobi Apostoli in Ecclesia S. Andreæ ejusdem Civitatis, assignata pro qualibet Missa eleemosyna solidorum quatuor monetæ Januensis. Mandavit insuper, ut tribus Puellis in sæculo nupturis totidem dotalia subsidia librarum quinquaginta anno quo-

quolibet distribuerentur. Ac demum voluit, ut, præter eleemosynam scutorum quadraginta auri Italiæ designatis anni Festivitatibus pauperibus elargiendam, ipsorum quoque favore cederet quidquid, deductis oneribus, ex suæ hæreditatis fructibus supereſſet.

Pia hæc Testatoris voluntas fuit per aliquod tempus accuratè adimpleta; Sed deindè ob redituum deficientiam tum puellarum dotatio, tum eleemosyna pauperibus distribuenda, quandoque fuit imminuta, quandoque intermissa; Atque hinc pauperum clamores, ac Puellarum querelæ; omnes enim obstrepebant, minus rectè fuisse privatos subsidiis a Testatore præscriptis. Itaque Auguſtinus Medici Causæ Piæ Administrator Sacræ Congregationi supplicat pro Missarum reductione, ut aliorum, qui in testamento comprehensi sunt, utilitati consultum remaneat.

Ait enim, petitionem non esse rejiciendam, quia juxta praxim Sacræ Congregationis Missarum reductio conceditur, quoties reditus a Testatore relicti omnibus subeundis oneribus impares comperiantur, ut in *Albintimilien. 9. Februarii*, & *2. Martii* 1765.

Addit, potiùs in præsenti casu habendam esse rationem de cæteris piis operibus a Testatore injunctis, quàm de Missarum celebratione, quia hanc per modum legati Testator demandavit, pauperes verò hæredes suos nominavit per verba = *In reliquis suis bonis instituit hæredes Christi pauperes, & egenos*; ut proinde pauperes, tanquam magis dilecti, melioris conditionis esse debeant, cæterisque præferri mereantur ad *Textum in L. Si viva Matre verſ. Nam licet Cod. de bon. matern., Rot. dec. 26. ſub num. 26. de fideicom. coram Falconer.*

Hujusmodi autem prædilectionem ex eo etiam deprehendi, quod Testator satis tenue stipendium, solidorum videlicet quatuor pro quolibet Sacro, Capellanis assignaverit, Puellis verò dotem scutorum quinquaginta pro qualibet reliquerit, ac Pauperibus non solùm scuta 40. auri Italiæ, de insuper quidquid ex suæ hæreditatis fructibus supereſſet, distribui mandaverit. Ambigi idcircò non posse concludit, Puellas, ac pauperes præcipuè ipsi cordi fuisse, ut proinde nihil his detrahi possit, sed potius decernenda sit reductio Missarum, de quibus minus Testatorem sollicitum fuisse dignoscitur.

Nec dubitari posse, dicit, de redituum insufficientia ad ferenda omnia in Testamento præscripta; cum id manifestè pateat ex calculo confecto a Peritis ab Episcopo electis. Præterea animadvertit, quod si Missarum eleemosyna ad rationem manualis juxta Synodales Constitutiones præfiniatur, vix annuæ libræ 175. 19. pro pauperibus, & puellis re-

remanerent; cum tamen ex mente Teſtatoris libræ 622. ſupereſſe deberent.

Ea profectò eſt hac ſuper re praxis Sac. Congregationis, ut dum de reductione Miſſarum, aliiſque oneribus ob redituum deficientiam minuendis oritur diſputatio, alia potius onera, quàm Miſſarum numerus reducatur. Ita teſtatur *Fagnanus in cap. Ex parte de Conſtitutionibus num.* 34., ubi refert, fuiſſe mentem Sacræ Congregationis, *ſi Rectori Beneficii ex fundatione incumbat onus celebrandi, & faciendi eleemoſynas, & ob redituum tenuitatem facienda ſit reductio ab habente poteſtatem, potius reducendas eſſe eleemoſynas, quàm Miſſas, & Anniverſaria.* Idipſum quoque confirmat ſan. mem. Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *num.* 23. allegans reſponſum anno 1586. a Sac. Congregatione datum Epiſcopo Cremonenſi, quod eſt in *lib.* 4. *Decret. pag.* 161. *terg.*, & *pag.* 162.

Verùm cùm hujuſmodi regula innixa ſit præſumptæ voluntati Teſtatoris, qui proclivior fuiſſe cenſetur in pium opus, ex quo majora Animæ ſuæ ſuffragia obventura proſpiceret; ita ſi ex illius verbis, totaque diſpoſitione conjiciatur, propenſiori affectu reliquorum piorum operum implementum exoptaſſe, quàm Miſſarum celebrationem, tunc iſtarum potius numerus, quàm cætera onera ſunt reductioni obnoxia, ut monet *Paſſerin. de ſtat. hom. to.* 2. *qu.* 187. *num.* 1101., *Monacell. tit.* 10. *form.* 19. *num.* 25., & *Benedict. XIV. loc. citat.*

Maximè quia juxta graves, receptaſque Doctorum ſententias, ex conſuetudine ſancta, & ſalubri multiplicandi ſuffragia, & ſacrificia pro defunctis, obſoleſcere non debet æquè ſanctus, ac pius uſus eleemoſynas in levamen pauperum erogandi, ut proſequitur laudatus Pontifex Benedictus XIV. innixus auctoritatibus Patrum, quos collegit *Muratorius ad fin. cap.* 12. *ſui operis de Chriſtiana Charitate*. Atque idcircò non rarò tum numeri Miſſarum, tum aliorum onerum reductionem Sacra Congregatio demandavit, ut ſignanter in *Brachaven. reductionis onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib.* 67. *decret. pag.* 375.

Ponderandum itaque, an ex verbis, totoque contextu diſpoſitionis EE. VV. circumferendæ, colligi poſſit, Antonium Gandulphum propenſiorem affectum erga pauperes, ac Puellas exhibuiſſe, ut proinde inferri tuto valeat, ipſum in caſu diminutionis redituum, Miſſarum potiùs, quàm aliorum onerum reductionem voluiſſe.

Non tamen diſſimulari poteſt, id a Sacra Congregatione in decernenda Miſſarum reductione plerumque ſervari, ut illarum eleemoſynam ad rationem, ut ajunt, manualem conſtituat, ideſt ad eam quantitatem, quæ vel ex Synodali

dali taxa, vel ex recepta regionis consuetudine præstatur pro singulis Missis, quas Fideles dietim, & ad manus tradita Sacerdotibus eleemosyna celebrari curant. En verba Instructionis, quæ habetur apud *Bened. XIV. de Synod. Diœcef. lib.* 13. *cap. ult. num.* 35., & Episcopis transmitti consuevit = *Juxta proportionatam cujuscumque legati redituum quantitatem, ad rationem eleemosynæ manualis, inspecto regionis more, pro suo arbitrio, & conscientia reducere, ac moderari possit, & valeat* =

Huic tamen praxi non ita firmiter Sacra Congregatio adhæsit, ut reductionem Missarum ad rationem eleemosynæ perpetuæ quandoque non demandaverit. Etenim in *Prænestina* relat. inter summaria precum die 15. *Junii* 1709. ad preces Sacerdotis Hieronymi Rosati Vicario Generali commisit, ut *Missarum onus juxta proportionatam extantium redituum quantitatem ad rationem eleemosynæ perpetuæ, inspecto regionis more pro suo arbitrio, & conscientia moderetur, atque reducat*, ut in *lib.* 59. *Decret. pag.* 217.. Similiter ad instantiam Deputatorum Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis in *Romana*, relata inter supplices Libellos die 6. Februarii 1734. ita rescripsit = *Pro facultate acceptandi loca Montium Cameralium Communitatum, & pro reductione ad rationem oneris Missæ perpetuæ*. Idemque responsum dedit in *Nepesina* 24. *Julii ejusdem anni*, ut in *Thesaur. resolut. tom.* 6.. Aliquando etiam rem arbitrio Ordinarii reliquit, ut in *Vigilien. Decanatus* 23. *Julii* 1729., *in Lucana applicationis Missæ* 19. *Januarii*, & 12. *Februarii* 1735., & *in Albanimilien.* 2. *Martii* 1765.

Etsi verò ratio eleemosynæ perpetuæ, juxta diversum cujusque Civitatis, Diœcesis, aut Provinciæ morem, diversimodè statui consueverit; nihilominus in *Concil. Roman.* celebrato sub san. mem. Benedicti XIII. *tit.* 15. *cap.* 8. constitutum est, ut pro Romana Provincia taxa Missarum perpetuarum ad rationem dupli, idest annuæ quantitatis scutorum 60. præfiniatur: Atque ad hanc rationem Missarum perpetuarum onera, auctoritate Sedis Apostolicæ in Archidiœcesi Bononiensi reduxit sa.me. Benedictus XIV, dum illam Ecclesiam regeret, ut narrat in suo Opere *de Sacrific. Miss. lib.* 3. *cap.* 22. *num.* 9.

Tandem in reducendis Missarum oneribus illud etiam præ oculis haberi debet, ut reductio eo modo componatur, quo facile inveniri possit Sacerdos, qui illud onus subire velit. Hinc in *Mediolanen. reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718. proposito dubio = *An supposito, quod nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum* 300. *a Testatore præscripta, sit locus reductioni, in casu &c.* = Sacra Congregatio respondit = *Affirmative* = Similiter in *Syracusana Missarum* 10. *Martii* 1719., cùm

ob

ob tenuitatem ſtipendii a Teſtatore deſignati nullus inveniretur Sacerdos, qui Sacra ab eo præſcripta perageret, quæſitum fuit = *An ſit locus reductioni Miſſarum, & reſpectivè augumento eleemoſynæ, & in qua quantitate in caſu &c.* = prodiitque reſcriptum = *Affirmativè pro reductione, & pro augumento arbitrio Epiſcopi.*

Hæc ſunt, quæ in re, de qua agitur, EE. VV. perpendenda proponuntur: Epiſcopus in utraque ſua relatione petitæ reductioni annuendum cenſet, atque exiſtimat, ut tres Miſſæ a Teſtatore demandatæ ad unam quotidianam perpetuam reducantur, aſſignatis annuis ſcutis 60. monetæ Romanæ Capellano, qui ſibi de cæra, ſacriſque Suppellectilibus provideat. Rationem verò hanc addit in ſecunda relatione = *Fieri enim non poteſt, quod inveniantur Sacerdotes, qui manuali ſtipe contenti ſint: Vel enim ſunt Forenſes, & Exteri, & tenuis eleemoſyna pro eorum quotidiano victu non ſufficit; Vel ſunt Cives, & Incolæ, & cum idem ſtipendium, immò aliquando majus, reperiant in aliis Eccleſiis abſque fixa obligatione ad idem ſemper Altare celebrandi; libentius ad eas confluunt, & quod magis eſt, nullus Sarzanæ in præſens Sacerdos exiſtit, qui aliquali ſive parvo, ſive majori Miſſarum celebrandarum infra annum onere non gravetur.*

Supereſt itaque, ut EE. VV. decernant

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum, in caſu &c.

Non propoſita, cum ſequentibus.

Seſs. 23. cap. 18. de Reform.

ROMANA, SEU TUDERTINA. Collegio Nationis Umbriæ in Urbe erecto alterum anno 1705. unitum fuit Collegium erigendum ſub nomine *Nicetæ Laſſi* pro novem Alumnis *tre, de quali anno da eſſere della Città di Foligno non Nobili da cavarſi a ſorte da Monſignor Veſcovo di detta Città: altri tre dovranno eſſere quelli, che diſcenderanno da Valentino Salterini da Colvalenza Dioceſi di Todi Avo Paterno di mia Madre, e non eſſendovi di tal diſcendenza, ſi dovranno eleggere altri tre giovani dell'iſteſſo luogo da imbuſſolarſi, ed eſtraerſi da Monſignor Veſcovo di Todi pro tempore, e non eſſendovi in quel luogo perſone capaci, voglio che ſiano altri tre giovani non Nobili della Città di Narni, dove è nata detta mia Madre da imbuſſolarſi, ed eſtraerſi da Monſignor Veſcovo pro tempore di Narni, ed altri tre della ſteſſa condizione parimenti di Narni da imbuſolarſi, ed eſtraerſi come ſopra;* commiſſa cura electionis juvenum Fulginatenſium Joſepho Jacobelli, ejuſque deſcen-

ſcendentibus; Illorum vere Collis Valentiæ, ac Narnienſium Aurelio Vituzzi, ejuſque deſcendentibus maſculis.

In actu tamen præd. unionis cautum expreſſe fuit, ut ob redituum Collegii *Nicetæ Laſſi* tenuitatem, ſex tantum admitterentur Alumni, prout uſque nunc ſervatum fuit. Non ſemel de hoc Collegio delatæ ſunt ad Sacram hanc Congregationem judiciales quæſtiones; anno enim 1714. judicium tulit de controverſiis inter Epiſcopum Narnienſem, & Philippum Sacripantem, qua deſcendentem a dicto Aurelio Vituzzi exortis circa electionem, & nominationem Alumnorum; ut *ex folio diei* 14. *April.* 1714. Deinde anno 1742. die 20. Januarii ad preces Cardinalis, & Fratrum de Sacripantibus indulſit, ut non extantibus idoneis Alumnis e Caſtro Collis Valentiæ, vel Civitatis Narnienſis, alii etiam admitti poſſent è tota Diœceſi Narnienſi.

In quæſtionem modo venit, an Clericus Angelus Ceva, qua domiciliarius Collis Valentiæ admittendus ſit ad vacantem locum Collegii Nicetæ Laſſi, quem nemo alius e dicto Caſtro exoptat. Licet autem idem Clericus in ſecuta anno 1762. vacatione ob contradictionem Marchionis Sacripantis admiſſus non fuerit, litemque jam inchoatam coram A.C. poſtea neglexerit, eam tamen modo in præſenti vacatione inſtaurat ex mandata a Santiſſimo rei notione ad Sacram Congregationem, factaque ab Epiſcopo Tudertino ejus nominatione, & electione, tamquam unici è Caſtro Collis Valentiæ, qui idoneus ſit ad ſtudia proſequenda, præferri poſtulat cœteris adoleſcentibus vel e Civitate, vel e Diœceſi Narnienſi extrahendis.

Inquit itaque, Familiam ſuam ab anno 1702. domicilium tranſtuliſſe in Caſtrum Collis Valentiæ: ibi ab eo tempore Angelum Avum Domum ædificaſſe, ipſumque Avum, dum vixit, Carolumque Patrem jugiter uſque nunc moratos fuiſſe cum uxore, filiis, & famulatu; in ſtatu animarum Parochiæ dicti Caſtri quotannis fuiſſe deſcriptos; Sacramentales decimas, aliaque omnia onera tum realia, tum perſonalia ſemper exſolviſſe: probari hæc omnia ex teſtimonio plurium Parochorum, Teſtium, ac Conſiliariorum Communitatis.

Ambigi ideo non poſſe, ipſum vocatum eſſe ad vacantem locum debitum juvenibus Collis Valentiæ. Nec cæteras qualitates pro eodem aſſequendo ſibi deeſſe: annum agere vigeſimum primum, præditum eſſe optimis moribus, & eximio ingenio; jam Philoſophiæ per biennium operam dediſſe, nec non Theologiæ morali, tanto ſane profecto, ut maxime commendetur a publico Philoſophiæ, & Theologiæ Lectore Tudertino, & jure ab Epiſcopo nominationem obtinuerit.

Nec obesse accidentalem sui nativitatem in Civitate Tuderti; cum id acciderit habendi gratia commodiorem Medicorum, obstetricum, & medelarum copiam absque ulla primævi domicilii in dicto Castro desertione. Nec item obesse qualitatem Civicam Tudertinam a Carolo Patre obtentam anno 1734.; cum per eam nec antiquum domicilium in dicto Castro fuerit derelictum, nec novum sit, domicilium habentes in Castris, ad gradus civicos alicujus Civitatis admitti.

Demum advertit, a die erectionis Collegii usque nunc vix duos juvenes e dicto Castro admissos fuisse; equitati idcc maxime consonum esse, ut sibi domiciliario tandem locus fiat, præsertim in exclusionem Diœcesanorum Narnienſium a Testatore non contemplatorum; accedente præsertim communi voto Communitatis dicti Castri suæ electioni faventis non solum ob tam diurnum, ac perenne propriæ Familiæ in dicto Castro domicilium, sed etiam ut sui exemplo cœteri juvenes ejusdem Castri ad studia allíciantur in Patriæ decus, ac splendorem, & in fundationis executionem.

Termino interesse habentibus præfixo, nec Communitas Narnienſis, nec Marchio Sacripantes adhuc libellum dederunt. Eminentissimus Collegii Protector juribus utriusque partis coram se deductis mature perpensis, amplissimum aperuit votum favore Clerici Angeli Ceva, quod inter monumenta causæ habetur.

Marchio autem Sacripantes in libello Eminentissimo Protectori exhibito, oppositi, Fundatorem vocasse *tre giovani dell'istesso luogo di Colvalenza*: dictionem vero *del* indicare nativitatem, & originem *Rot. coram Molines dec. 982. nu. 9. & in Tarraconen. Beneficii 16. Aprilis 1742. §. 11. cor. Cavilliac*; insuper, eumdem Clericum una cum Patre jugiter morari in Civitate Tuderti, numquam animum habitandi in dicto Castro habuisse, nec onera personalia ejusdem Castri unquam tulisse: Desse ideo quamlibet dicti Clerici vocationem ob defectum sive originis, sive domicilii. Addidit demum, Testatorem vocasse juvenes non nobiles; familiam vero Ceva jam usque ab anno 1734. adscriptam fuisse Civilitati Tudertinæ.

Plane origo facit Cives, domicilium incolas *leg. 7. Cod. de incol. lib. 10.*, & longum domicilium ad munera civilia referat aditum *leg. 6. eod. tit.* Verum dum agitur de testamentis, ex verosimili Testatoris voluntate sumenda est interpretatio.

Nam si legatum alicui sit allegatum qualitati, hac sive ex privilegio, sive alio modo aquisita, legatum debetur, proindeque legatum Civibus relictum, eis quoque debetur, qui civitatem aquisiverunt *Capon. discept. 115. n. 25. tom. 2.*,

Rot.

Rot. cor. Molines dec. 982. *num.* 6. Fallit tamen, ubi de qualitate agitur, quæ naturalis sit, nam hæc aliter, quam naturaliter parta, non prodest. Exemplum esse potest qualitas originis, quæ numquam venit nec ex domicilio, nec ex allectione, vel privilegio *Castren. conf.* 21. *num.* 5. *part.* 1., *Gail. lib.* 2. *obser.* 35. *num.* 6.

Fundator eligi voluit *tre Giovani dell'istesso luogo di Colvalenza*. Ad rem apte *Bartolus* inquit in *leg. Provinciales* 190. *n.* 2. *de verb. signif.* = *Quum dico Perusinum, intelligo origine, vel qui habeat domicilium: sed quid si non dico Perusinum, sed dico quod talis de Perusio, quid significat? An qui habeat ibi domicilium, vel habeat originem? & credo quod significet secundum communem usum loquendi originem, & domicilium*. Verum hæc ipsa distinctio non semper ubique locum habet; quæstio enim omnis a verosimili Testatoris voluntate, a subjecta materia, & a circumstantiis repetenda est ex doctrina ejusdem *Barthol. in leg. si possessor §. ait ff. de petit. hæred.*, & *Rot. cor. Caprar. dec.* 650. *num.* 6., & Sac. Congr. in *Viterbien. Subsidii Dotalis* 19. *Julii* 1766.

Non controvertitur, familiam Ceva jam a 60. & ultra annis domum instructam, bonaque possidere in Castro Collis Valentiæ: ponderandum unice est, an Clerico Angelo obsit ortus in Civitate Tudertina, vel longa mora, quam tum ipse Clericus, tum ejusdem Pater in eadem Civitate retinent. Vulgatum est, accidentalem ortum non obesse qualitati civicæ, vel domiciliariæ in loco domicilii Patris *l. imperatores* 38. *§. item ff. ad Municip.* itemque posse quemlibet non duo tantum, sed etiam plura habere domicilia in diversis oppidis, vel Civitatibus, sicque singularum juribus, ac prærogativis frui *Rot. in Ferrarien. successionis* 23. *Janu.* 1728. *§.* 15. *cor. Cincio*.

Quoad adscriptionem familiæ Ceva civilitati Tudertinæ, perpendendum est, an conditio *non nobilis* adjecta Fulginatensibus, & Narniensibus juvenibus tacitè extendatur ad alios Collis Valentiæ, vel potius in his pro non scripta habeatur *l. si tibi ff. de adim. leg.*, *leg. Statius ff. de jur. Fisc.* item an sola adscriptio civilitatis nobilitatem inducat. Testatur Cancellarius Tudertinus, *che il Padre, ed Avo rispettivamente delli Signori Ceva oggi viventi in Todi si trova esser stato aggregato fra Cittadini di questa Città, che è il grado più prossimo alla Nobiltà fin dall'anno* 1734.

Quid ergo sentiendum sit in casu, inspectis tum Testatoris mente, tum facti circumstantiis, edicent EE.PP., quibus proponitur decernendum.

An Clericus Angelus Ceva sit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Lassi in casu &c.

Sess. 21. cap. 6. de Reform.

NULLIUS SUBLACEN. ERECTIONIS CANONICATUS. In supremis suis tabulis conditis *anno* 1749. Angelica Marini hæredem Usufructuarium instituit Cap. Franciscum Tomasetti virum servata vita viduili, eique prælegavit mobilia omnia, jocalia, argenta, linteamina, libros, ac suppellectilia domus una cum Vaccarum societate, adjecta lege, ut idem vir cuicumque actioni, ac juri adversus suam hæreditatem renunciaret: & post ejus mortem demandavit erectionem Canonicatus sub invocatione S. Vincentii Ferrerii in Ecclesia Collegiata S. Andreæ Sublacen., reservato jurepatronatus Jacobo Ferrari, ejusque lineæ masculinæ, hacque deficiente, descendentibus per lineam masculinam a familiis Dominici Galli, Philippi Catani, & Hortensii Horatii: ac demum jussit, ut, ipsa defuncta, statim a viro inventarium fieret omnium bonorum suæ hæreditatis, deputato in executorem testamentarium Præposito dictæ Collegiatæ,

Secuto Testatricis obitu, & aperta die 9. Septemb. ejusdem anni testamentaria dispositione, illico vir sequenti die prælegatum repudiavit, utilius putans jura sua experiri, quam prælegato acquiescere. Deinde vero cum ad secunda vota transire exoptaret, de re componenda agere cæpit cum Andrea Ferrari Filio Jacobi primo vocati, calculatoque hæreditatis asse in sc. 1805., recognitisque ipsius creditis in sc. 1500., publica transactio die 6. Decembris 1760. inita fuit, qua, facta hæredi Usufructuario facultate fruendi usufructu etiam in Statu binubo, ipse, acceptando prælegatum, cessit, ac renunciavit universis suis creditis, ac actionibus favore Canonicatus post sui obitum erigendi: quæ concordia plene ab hac Sac. Congregatione sub *die* 30. *Martii* 1761. approbata fuit,

Animo dein repetens idem Cap. Franciscus hæres Usufructuarius, venditam a se fuisse anno 1747. ex consensu uxoris quamdam domum ad usum fœnilis ad hanc pertinentem pretio sc. 200., ac verens, causa hujus alienationis inferri posse suis filiis ex secundo conjugio ortis molestias ob nullam habitam de ea venditione mentionem in d. concordia, nunc supplicat ad omnes futuras lites, ac molestias vitandas declarari, erectionem Canonicatus faciendam esse ex quantitate dumtaxat Capitalium præscripta in concordia, hoc est ex capitali scut. 1805.

Inquit, assem hæreditarium firmatum fuisse in scut. 1805.: ejus autem credita ascendisse ad scuta 1500. vix ideo superfuisse capitale scut. 300. pro Canonicatus dote: addita proinde etiam summa scut. 200. derivante ex dicta domus alienatione, futurum non fuisset, ut posset erigi Canonicatus ob Capitalium inopiam. Patere ideo ingentem Concordiæ utilitatem, dum hæreditas, modico usufructu in-

be-

beneficium viri jam quinquagenarii dimisso, ab universo ære alieno se liberavit, & illius tantum onè idonea reddita est ad Canonicatus erectionem, quæ alias etiam addita dicta summa sc. 200. fieri nunquam potuisset.

Absonum ideo esse quærere de debito sc. 200. jam abunde compensato cum longe majori Canonicatus utilitate : id suadere naturam concordiæ, quæ actiones omnes hinc inde tollit, & extinguit indole sua, quæque non patitur, ut per nova jura, vel documenta effluxu temporis reperta rescindatur, quoties bona fide peracta fuit cum idonea compensatione *l. sub prætextu* 19. *Cod. de transact. l. fratris Cod. eod. cap.* 1. *extravag. de Transact.*. In id demum consensum præbere Patronos omnes a Testatrice contemplatos.

Alias enim, advertit, enormissimam ex concordia prosilire læsionem, dum intuitu brevis, ac tenuis ususfructus retrahendi ex residuo capitali scut. 300., vel 500. cessa fuissent conspicua credita scut. 1500., unde gravis excitanda facile foret lis, cujus expensæ a Canonicatu ferendæ longe excederent additamentum scut. 200.. Utilius autem esse servare transactionem in qualibet dubietate, ut ita eviten-tur incerti litium exitus, earumque gravissimæ impensæ *l. 2. ibiq. gloss. Cod. de transact. cap. finem litibus de dol.*, *& contum.*

Eminentissimus Abbas post deducta hinc inde dubitandi argumenta concludit = *Cæterum cum res dubia sit, & ex hoc ipso dubio futuræ lites possint exoriri, idcirco censerem, annuendum esse Oratoris precibus, declarando, quod stabilia per ipsum post illius mortem restituenda, quæque constituere debebant dotem erigendi Canonicatus sint, & esse debeant restricta ad ea, quæ reperta sunt tempore transactionis initæ, & communi consensu tunc valutata fuerunt in scut.* 1805., *eoque fortius, quia Patroni ipsi dicti Canonicatus, de quorum interesse hic præcipuè agitur, hoc ipsum petunt, & per hanc Sacram Congregationem declarari exorant.*

Concordia anni 1760. inita fuit super statu hæreditatis tunc firmato in scutis 1805. absque ulla mentione creditorum hæreditariorum, & præsertim crediti scut 200. resultantis e venditione controversæ domus. Ponderandum hinc, an eadem Transactio inita ad extinguendum æs alienum hæreditatis extendi jure debeat ad extinctionem creditorum hæreditatis, & præsertim dd. scut. 200., quod sub oculis transigentium non erat, & de quo nulla mentio habita fuit.

Advertendum, in vim initæ concordiæ, Cap. Tomasetti virum affectum fuisse tum prælegatum sibi relictum, tum usumfructum residuæ hæreditatis sua vita naturali durante : perpendendum ideo, an cessio jurium viro competentium jam satis compensata sit ex dicto prælegato, & usu-

nſufructu, vel potius an ſaltem æquitas poſtulet, ut de controverſo quoque credito ſc. 200. compenſatio inducatur ex benigna tranſigentium mente, & enixa eorumdem voluntate actiones omnes, ac reciprocas quæſtiones dirimendi.

Ad EE.PP. ornatos clementia, ac æquitate ſpectat definire

An & quomodo, & ex quibus facienda ſit erectio Canonicatus in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 17. Junii 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

EX folio poſtremæ ampliſſimi hujus Ordinis Congregationis, quæ fuit die 28. Januarii, decidendæ ſuperſunt tres Cauſæ, de quibus habita iterum ratio de more eſt in hodierno folio, ubi aliæ quoque ad complendum aſſuetum numerum tranſcribuntur. Super his igitur omnibus EE. VV. prudens judicium deſideratur.

LUNEN. SARZANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. c ap. 4 de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum, in caſu &c.

Eſſe conſulendum Sanctiſſimo pro gratia reductionis ad duas tantùm Miſſas quotidianas cum eleemoſyna ad rationem manualis juxta morem Regionis.

ROMANA, SEU TUDERTINA. *Sess. 23. cap. 18 de Reform.*

An Clericus Angelus Ceva ſit admittendus ad locum in Collegio Nicetæ Laſſi in caſu &c.

Affirmativè.

NULLIUS SUBLACEN. ERECTIONIS CANONICATUS. *Sess. 21. cap. 6 de Reform.*

An & quomodo, & ex quibus facienda ſit erectio Canonicatus, in caſu &c.

Affirmativè, & erectionem faciendam eſſe, adjecto etiam jure crediti ſcut. 200. ex pretio Domus venditæ noviter detecto.

CO-

Sess. 22. decret. de observ., & evitan. in celebrat. Miss.

COMACLEN. In Districtu Parochialis Ecclesiæ Villæ Libollæ, quæ prostat intra limites Diœcesis Comaclen., ab antiquissimo tempore, videlicet a sæculo xv., erectum fuit a nobili Viro Nicolao Maria de Betto, publicum Oratorium vulgò dictum *delle Camatte*, in quo singulis diebus festis sacrum fieri consuevit. Ægrè id tulit Parochus dictæ Villæ, quapropter ad ejus petitionem Episcopus anno 1760. suo decreto prohibuit, *ne imposterum in dicto Oratorio celebrarentur Missæ in diebus Nativitatis Christi, illius Resurrectionis, Epiphaniæ, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, S. Cassiani, ac tandem Sancti Titularis Ecclesiæ Parochialis, sub pœna suspensionis Sacerdotum a Divinis in eadem celebrantium ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio nostro infligendis, nisi tamen concurrat licentia a Parocho in casibus particularibus concedenda.*

Dolenter id audivit Franciscus Betti, qui Capellanum suis sumptibus destinaverat, ut singulis diebus festis in dicto Oratorio celebraret; exhibitisque precibus Sanctissimo Domino Nostro facultatem petit Sacra peragendi etiam in solemnioribus anni festivitatibus, non quidem ad sui commodum, sed ad solatium Incolarum *delle Camatte*, gentisque finitimæ. Rei notione Sacræ huic Congregationi mandata, de ea nunc subjicitur examen.

Contendit itaque primùm Franciscus Betti, ambigi non posse, quin Oratorium publicum sit, quum adhæreat publicæ viæ, illius ostium locum publicum spectet, omnibus pateat, & adnexam habeat etiam Turrim Campanariam, *Fagnan. in cap. Auctoritate de Censib. num. 24., Pignattell. consult. 93. tom. 1. num. 24., Gattic. de Orator. domestic. cap. 3. §. 4. & 12.*

Nec etiam dubitari posse de erectione facta auctoritate Ordinarii. Quamvis enim hujusce erectionis deliteſcat instrumentum, eam nihilominus abunde resultare putat tum ex præfatis indiciis publici Oratorii *Pignattell. loc. sup. citat.*, tum etiam ex silentio plurium Episcoporum, qui Comaclensem Ecclesiam rexerunt *Can. Missarum de consecrat. distinct. 1., Zerol. in prax. Episc. part. 1. verb. Missa num. 1., Pignattell. ibidem num. 22.*, tum demum ex sæpius facta ab Episcopis ejusdem Oratorii visitatione, cui privata Oratoria nullo modo subsunt, *Petr. ad Constitut. 2., Pasch. II. sect. 1. num. 78., Fagnan. loc. citat. num. 2.*

Ex hac Oratorii publicitate educit, illud suo quasi jure sibi vindicare, ut in quavis festivitate ibi Sacrificia offerantur *Petr. ibidem num. 77. & 79.*, cum præsertim non aliud sit discrimen inter publicum, & privatum Oratorium, nisi quod in isto sit vetita, in illo verò permissa in solemnioribus diebus celebratio, *Gloss. in Can. Si quis dist. 1., Fagnan. loc. citat. num. 17., Pignattell. loc. cit. sub num. 24., & consult. 98. tom. 6. num. 28.*

Hinc

Hinc præterea infert, quod cum ex dispositione juris communis liberum sit in quibusque anni festivitatibus Missam in publico Oratorio celebrare, non liceat Episcopo hujus facultatis exercitium coercere, cum ipse nec prætextu removendi abusum quidquam possit contra jus commune decernere *Cap. Quod super his, de majorit., & obed., Fagnan. in cap. Sicut olim num. 8. de accusat., Bened. XIV. de Synod. Diœcef. lib. 12. cap. 1. §. 1., & cap. 5. §. 12.*

Ad hæc adjicit, nedum congruum, sed immo necessarium esse, ut in dicto Oratorio Sacrum non intermittatur, quia plebs adjacens loco *delle Camatte*, atque Incolæ proximarum Vallium Comaclensium duo millia passuum distant ab Ecclesia Parochiali Libollæ; quod iter ad illam impervium sit, ac hyemali præsertim tempore perdifficile; quod præterea una tantum in Parochiali Missa celebratur, & ea propè meridiem, quo tempore solent Agricolæ prandium instruere, propter quæ omnia experientia edocuerit, complures, & maximè Pueros, Mulieres, ac Pecoris Custodes Sacrificio caruisse, si quandoque intermissum fuit Sacrum in dicto Oratorio. In his itaque circumstantiis concludit, aliquid etiam de juris rigore esse remittendum, *Gloss. in citat. cap. Si quis 35. de consecrat. verb. propter fatigationem, Pignattell. consult. 98. tom. 6. num. 28., Bulling. in Chron. lib. 6. cap. 2.*

Nec audiendum esse, dicit, Parochum jactantem, necessario debuisse interdici celebrationem in Oratorio, ut Pueri, ac rudes Agricolæ ad Parochiam accederent, ibique in Fidei rudimentis, sacrisque mysteriis instruerentur. Advertit enim in primis, remedium hujusmodi malum addere malo, quum Incolæ ablata commoditate audiendi Sacrum in Oratorio, nullibi præcepto satisfaciant. Deinde addit, Fideles monendos quidem esse, non autem cogendos, ut adeant Parochialem *Concil. Trident. sess. 22. in decret. de observan., & evitan. in celebrat. Miss., Benedict. XIV. de Synod. Diœcef. lib. 11. cap. 14.* Denique perperam conclamari dicit, neminem fore, qui Fideles commoneat, ac instruat, cum Capellanus Oratorii singulis diebus festis Catechesim ad Populum habere consueverit.

Ex parte Parochi, cui paupertas vetat, ne jura sua deducat, extat dumtaxat folium, ab Episcopo cum sua relatione transmissum, ubi inquit, Franciscum Betti pluries fassum fuisse, nullum adesse Instrumentum erectionis Oratorii; eumque pluries ab Episcopo monitum, ut libros celebrationis Missarum exhiberet, & indicaret, an celebratio hujusmodi ex legato, vel alia pia causa procederet, nihil unquam indicasse, vel exhibuisse. Advertit insuper, tum Oratorium, tum Domos a Parochiali Ecclesia magis remotas, nonnisi mille & quingentos passus ab ea distare, nec hyemali tempore iter ad illam adeo esse difficile, ut

aſſeritur, atque, & quod magis eſt, opportuniori via ſcatere ad eam acceſſum.

Addit, agi tantummodo de interdicenda Miſſarum celebratione in ſolemnioribus anni feſtivitatibus, quæ *undecim* ſunt, & hyemali tempore ad majorem Incolarum commoditatem fuiſſe aliquando a ſe permiſſum, ut in Oratorio Miſſa celebraretur. Concludit denique, non alia de cauſa motum fuiſſe ad impetrandum ab Epiſcopo interdictum, ut Ruricolæ, & maximè pueri Parochialem quandoque adeuntes in myſteriis Fidei, & Chriſtianæ Religionis inſtruerentur, quorum inſcios eos pluries deprehendiſſe affirmat.

Epiſcopus, hoc folio tranſmiſſo, nihil in eo contentis cenſuit addendum.

Eccleſiæ diſciplina ſemper fuit, ut Dominicis, feſtiſque diebus Populus Eccleſiam adiret Parochialem, cum hoc tamen diſcrimine inter jus antiquum, & noviſſimum, quod prius per modum præcepti, nunc autem per modum conſilii Fideles hortentur, ut diebus feſtis ad Miſſam Parochialem conveniant, ſacriſque interſint myſteriis. Antiquam juris diſpoſitionem refert *Natal. ab Alexand. tom.* 1. *Theolog. dogmat., & moral. lib.* 1. *de ſacroſan. Euchar. art.* 5. *reg.* 10., *Van-Eſpen Jus Eccleſ. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 2., *& Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 11. *cap.* 14. *num.* 70. Noviſſimæ diſciplinæ ratio habetur ex *Concil. Trident. ſeſſ.* 22. *decret. de obſervan., & evitan. in celebrat. Miſſ.*, ubi Epiſcopis injungitur, *ut moneant etiam eumdem Populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis accedat.*

Ex his factum eſt, ut Epiſcopi quandoque expediens judicaverint in ſolemnioribus anni Feſtivitatibus Miſſæ celebrationem interdicere in publicis etiam Oratoriis, ut Fideles ad Parochialem accederent frequentiores, ubi pios ſermones, & Religionis myſteria perciperent. Id ſanè præſtitit ſan. memor. Benedictus XIV., dum Bononienſem Diœceſim regeret; nam ſequenti decreto relato in *Inſtit.* 44., quæ tota eſt de publicis Sacellis in Diœceſi poſitis, ita mandavit = *Ac primum abſque facultate noſtra, quæ tum ſolum tribuitur, cum legitima cauſa id poſtulaverit, Sacrum in illis Sacellis fieri prohibemus, cum ſolemnes dies aguntur Paſchatis, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Annunciationis, atque Aſſumptionis Beatæ Virginis, Sanctorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, S. Petronii, ejuſque Sancti, cujus titulo Parochia nuncupatur, juxta veterem hujus Diœceſis conſuetudinem.*

Leviter hic adducitur in diſcrimen publicitas Oratorii *delle Camitte*. In hypotheſi tamen illius publicitatis, cum negari non poſſit, licere in publico Oratorio Sacra celebrare in feſtis etiam ſolemnioribus, difficultatis cardo in

eo

eo versatur, an ita liceat, ut neque Episcopus potuerit celebrationem in eisdem diebus interdicere.

In *Vercellen. 3. Augusti* 1675. Episcopus diebus solemnioribus celebrationem Missæ prohibuerat in Oratorio existente, intra mœnia Castri Catallengi; sed reclamantes Comites dicti Loci exposuerunt, Oratorium esse publicum, Sacra Suppellectili instructum, ab immemorabili tempore celebratam in illo fuisse Missam solemnem in nocte Nativitatis Domini, ac Episcopos Antecessores pluries illud visitasse, in eoque Sacramentum Confirmationis ministrasse. Sacra verò Congregatio respondit, Oratorium esse publicum, adeoque licitum esse ibidem celebrare diebus etiam solemnioribus, ut in *lib. 29. decret. pag.* 124.

In præsenti casu animadvertere præstat, Ludovicam Betti anno 1726. legatum Missarum reliquisse, atque hæredibus potestatem fecisse adimplendi *o in Città, o alle Camatte, o in altri luoghi, dove parerà al Signor Donatario, e suoi Eredi*. Hinc periculum esse, quod Franciscus Betti, cui onus hujusmodi incumbit, suas aliò transferat curas, omnemque ab Oratorio subtrahat Missarum celebrationem, ut jaminatur.

Omnibus itaque perpensis, deliberandum ab EE.VV. erit *An liceat in publico Oratorio* delle Camatte *liberè celebrare etiam in Festis solemnioribus, in casu &c.*

Affirmativè, & ad mentem.

BARCHINONEN. AROMATARIÆ. Collegium Aromatariorum Civitatis Barchinonæ, ut compesceret niniam Regularium licentiam in conficiendis, vendendisque medicinalibus, querelas detulit Sacræ Congregationi, quæ die 30. Julii anni præteriti, ad dubium tunc propositum = *An, & quomodo sit providendum, in casu &c.* = respondit = *Esse providendum ad formam resolutionis Congregationis particularis anni* 1722., *firma remanente obligatione emissa per Aromatarios, & ab Ordinario acceptata favore Pauperum, & pro remotione Aromatariarum a Locis publicis scribatur Ordinario juxta instructionem* = Ex folio diei 4. præcedentis mensis Junii, ubi causæ status, & merita recensentur, deprehendent Emi PP., quid ab Aromatariis pro suis tuendis juribus fuerit deductum. *Sess. 22. cap. 1. & 12. de Reform.*

Quemadmodum verò hujusmodi resolutio prodiit in contumaciam Regularium, qui etsi pluries moniti, sua scripta exhibere neglexerunt, idcircò impertita nova Audientia, potestas ipsis facta est de viribus captæ resolutionis differere. Verum inutiliter huc usque fuerunt interpellati,

lati, ac judicialiter etiam requisiti, ut suas rationes scripto traderent; Quare ipsis quoque tacentibus, hodie quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

URBANIEN. San. mem. Urbanus VIII. anno 1635. Abbatialem Ecclesiam S. Christophori a Cardinali Barberino possessam, & dein ab eo liberè renunciatam, in Cathedralem Civitatis Urbaniæ erexit, suppressisque binis Ecclesiis Parochialibus, in ea constituit *Præposituram, octo Canonicatus, ac quinque perpetuas Mansionarias personalem residentiam requirentes, & quibus cura animarum a dictis Parochialibus Ecclesiis abdicanda, & ab illis ad dictam Ecclesiam Urbanien. transferenda alternis hebdomadis incumbat, & qui prævio examine per Examinatores in Synodo Diœcesana juxta formam Concilii Tridentini examinari, & approbari debeant, & omnes apud dictam Ecclesiam Urbanien. residere, & una cum Dignitate, & Canonicis Capitulum dictæ Ecclesiæ Urbanien. constituere, & in ea singulis diebus horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, nec non Conventualem, aliasque Missas celebrare, & decantare &c., ac singulis Confraternitatum Capellaniis, & Parochialibus, ac sine Cura S. Barbaræ Ecclesiis Mensæ Capitulari Urbanien. unitis incumbentia subire, curamque animarum tam ipsius Cathedralis Ecclesiæ, quam ab aliis Parochialibus Ecclesiis unitis abdicatam, & ad dictam Ecclesiam Urbanien. translatam per se, vel per Mansionarios prædictos, aliaque Parochialia onera, & officia per turnum alternis hebdomadis, vel pro ut melius videbitur debite supportare, ac Parochianis ipsis Sacra Ecclesiastica ministrare teneantur.*

Pro dote verò Collegii quinque Mansionariorum assignavit *decimas, & Quarteria antea Capellanis salvi salita, ac trecenta scuta annua monetæ illarum partium solvenda per Communitatem Urbaniæ pro annis viginti duntaxat, & non ultra, & postea per Episcopum Urbanien. pro tempore existentem.* Ac demum facultatem concessit Episcopo una cum Capitulo edendi *quæcumque statuta, ordinationes, & capitula sacris Canonibus, Concilii Tridentini decretis, & Constitutionibus Apostolicis non contraria, super celebratione Divinorum Officiorum, administratione Sacramentorum, & personali residentia, divisione, & participatione distributionum quotidianarum condendi, quoties opportunum, & expediens videbitur limitandi, corrigendi, declarandi, & interpretandi, atque in meliorem formam redigendi*, addito ampliſſimo decreto irritanti.

Conqueritur modo Collegium Mansionariorum hujus Eccle-

siæ

ſiæ Cathedralis tum de onere celebrationis Miſſæ pro Populo per Epiſcopum ſibi injuncto, & in poſtrema Synodo anni elapſi etiam confirmato, tùm de interceptis decimis, quarteriis, aliiſque ab Urbano VIII. ſibi pro dote aſſignatis.

Ad primum inquit, onus Miſſæ pro Populo Parochis tantum Curam Animarum habentibus injunctum eſſe *Concil. Trid. Seſs.23. cap.1. de Reform.*, *Benedict.XIV. Conſtit. Cum ſemper 19.Auguſti* 1744.; ad illud ideo obſtringi non poſſe Collegium Manſionariorum, quod nullam obtinet Curam Animarum *Puſqualig. de Sacrific.nov.Leg.qu.*847.*n.*8., *& Tambur. de jur.Abbat. tom.*2.*diſput.*5.*num.*5.

Excludi autem Curam Animarum penes Collegium Manſioriarum ex continuatis collationum literis ab illarum fundatione uſque nunc conceſſis; quæ abſque ulla Curæ Animarum mentione, imo cum expreſſa denominatione beneficii ſimplicis, & perpetui ſemper abſque ullo concurſu, vel examine tum a Sancta Sede, tum ab Epiſcopis datæ fuerunt: Excludi inſuper ex facto ipſorum Epiſcoporum, qui pro arbitrio ab Urbano VIII. ſibi conceſſo pluries ad Curam exercendam Sacerdotes ſimplices, & extra gremium Collegii deputarunt: & excludi demum ex re judicata A. C., & Sacræ Rotæ, qua rejectus fuit Impetrator, qui cauſa omiſſæ mentionis Beneficii curati unam ex Manſionariis impetraverat, ut ex *deciſ. Urbanien.Beneficii* 2. *Julii* 1736. *coram bo.me. de Vais*.

Sperneudam vero eſſe unicam mentionem Curæ Animarum habitam in collatione favore Joſephi Albertini tunc a Secretis Epiſcopi, cum nonniſi occulta conſpiratione, ac conſilio in fraudem aliorum Manſionariorum, iiſdemque inſciis addita fuerit, ac etiam inanis penitus reddatur a cæteris proviſionibus uſque nunc conceſſis *Piton.controv.Patronor. alleg.*72.*num.*11.: Nec item obeſſe datum ab Urbano VIII. onus providendi Manſionarios per concurſum, & examen, atque alternatim Curam Animarum exercendi, quia idem Pontifex amplum inſimul dedit Epiſcopo arbitrium adminiſtrandi eamdem Curam per ſe, vel per Manſionarios, prout ei melius viſum eſſet.

Ad II. advertit, ab Urbano VIII. ſibi pro dote aſſignatas fuiſſe decimas, quarteria, ac 300. ſcuta annua monetæ illarum partium ſolvenda per Communitatem Urbaniæ ad annos 20., & non ultra, & poſtea per Epiſcopum Urbanien. pro tempore in perpetuum: perperam ideo Epiſcopum modo prædicta emolumenta in proprium uſum convertere, inſimulque integram ſolutionem ſcutorum 300. detrectare; cum nullum Epiſcopo jus ſit vel leges fundationum immutare, vel dotes a Summis Pontificibus aſſignatas imminuere in proprium commodum *Rot. in Colonien. Capellaniæ* 7. *Febr*, 1751. §.9. *coram Emo Molino*.

Inane vero eſſe diffugium ad conſuetudinem favore Epiſcopi vi-

vigentem, cum clarè obstet decretum irritans Urbani VIII., & constet de illius exordio; fortius quia nimium lædit jura Collegii Mansionariorum, quorum reditus vix ad annua scuta 20. redacti sunt, ita ut quælibet negligentia, vel etiam Antecessorum acquiescentia hodiernis Mansionariis nullo modo obesse possit *Rot. coram Molines decis. 873. num. 18.*

A Promothore Fiscali nondum libellum habuimus. De onere applicationis Missæ pro Populo latè habetur in *Calagurita-na applicationis Missæ pro Populo 12. Decembris 1767.* . Speciatim vero edixit Benedictus XIV. in notissima *Constitut. Cum semper 19. Augusti 1744. = Mens nostra, & sententia est, sicuti etiam pluries a Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & singuli, qui actu Animarum Curam exercent, & non solum Parochi, aut Vicarii sæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo omnes, & singuli æque &c. teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo ipsorum Curæ commisso.*

Perpendendum hinc, an ipsa Cura Animarum, vel saltem ejusdem exercitium penes Collegium Mansionariorum resideat. Urbanus VIII. Curam Animarum transtulit ad Ecclesiam Urbanensem cum facultate illam exercendi vel per se, vel per Mansionarios, ac data potestate Episcopo una cum Capitulo benevisas condendi pro suo arbitrio ordinationes super celebratione Divinorum Officiorum, administratione Sacramentorum, & divisione, ac participatione distributionum quotidianarum, quoties opportunum, & expediens videbitur.

Ad II. ponderandum est, an in vim tam longevæ observantiæ præsumi debeat conventio, qua Collegio Mansionariorum concessa fuerit liberatio ab actuali Curæ Animarum præscripto in literis Urbani VIII., vicissim verò Episcopi onus susceperint providendi de idoneis Vicariis Ecclesiam, detractis e Collegio Mansionariorum dictis emolumentis incongruam Vicariorum erogandis. EE. PP. singulis, ut assolent, circumstantiis maturè perpensis, dignentur definire

I. *An a Collegio quinque Mansionariorum a san. mem. Urbano VIII. erecto in Cathedrali Ecclesia Urbaniæ applicari debeat Missa pro Populo, in casu &c.*

II. *An dictum Collegium Mansionariorum consequi debeat Decimas, & Quarteria, & alia pro dote a d. san. mem. Urbano VIII. ipsis Mansionariis in dicta Ecclesia assignata, in casu &c.*

Dilata ad primam post proximam omninò.

CA-

CAMERINEN. In Testamento, quod anno 1684. condidit Antonius Zocchi de Terra Sarnani Camerinen. Diœcesis, universalem instituit hæredem Fratrem suum Marcum Antonium Sen., cui onus iniunxit *in perpetuo far ardere la Lampada avanti l'Imagine della Madonna di Loreto nella Chiesa di S. Maria di Piazza posta in Sarnano sua Patria, e far celebrare la Festa della Natività della Madonna Santissima, e Venuta della S. Casa ogn'Anno in perpetuo con Messe sette per ciascuna nella sudetta Cappella della Madonna SSma di Loreto.* *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Postea verò dictus Marcus Antonius Sen., institutis hæredibus Bartholomæo, & Stephano Fratribus, dispositionem alterius Fratris Antonij jam prærmortui confirmavit, mandavitque præterea, ut in eadem Ecclesia Sanctæ Mariæ duo Anniversaria Missarum octo pro quolibet singulis Annis celebrarentur.

Successit deindè Marcus Antonius Jun. Stephani filius, qui postquam ad suam hæreditatem vocaverat Mariam Antoniam Sororem, ejusque Virum Quiricum Antonium Biondi, quos invicem substituit, sequuto utriusque obitu, jussit, *col frutto di essa Eredità far celebrare tante Messe alla ragione d'un giulio per Messa nell'Altare della Cappella della Madonna di Loreto in Suffragio tanto della sua Anima, quanto de suoi.*

Prærmortuo Quirico Antonio Biondi universa Marci Antonii Jun. hæreditas devenit ad Mariam Angelam Zocchi, quæ anno 1762. omnia sua bona, & jura quæcumque, donationis titulo transtulit in Mariam Antoniam Agostini, & Joannem Baptistam Merli contemplatione Matrimonii inter eos initi.

Possessionem bonorum omnium vigore istius donationis dicti Coniuges Merli adepti sunt, cumque confusa, & permixta essent jura plurium hæreditatum, quæ mox relata fuerunt, idcircò omnem adhibuerunt operam, ut uniuscujusque hæreditatis bona distinguerent, ac segregarent; eorumque diligentia factum est, ut bona Marci Antonij Junioris in Causam piam erogandam recognoverint, eaque diviserint ab aliis bonis titulo donationis ad ipsos pertinentibus. Hæc autem omnia bona sic divisa, atque disiuncta, accuratè adnotarunt in folio, quod Vicarius Foraneus Terræ Sarnani, jussu Camerinensis Episcopi, cum publicis Instrumentis cohærere agnovit.

Cum tamen Joannes Baptista Merli bonorum omnium possessor, dimittere diù distulerit bona ad causam piam spectantia, atque ex Testamento Marci Antonij Junioris proficiscentia, idcircò instante Promothore Fiscali Curiæ Episcopalis, Vicarius Generalis Camerini, Sententiam protulit, qua manutentionem impertitus fuit d. Joan-

d. Joanni Baptiſtæ, ejuſque Uxori in bonis provenientibus ex donatione Mariæ Angelæ Zocchi, & in folio adnotatis; nec non immiſſionem concellit Promothori Fiſcali ad fructus bonorum, quæ pro ſatisfactione piorum Legatorum fuerant relicta: Ac præterea eoſdem Coniuges Merli creditores renunciavit hæreditatis Marci Antonij Jun. in ſumma ſc. 22. 40., eiſque jura reſervavit pro aliis creditis, quæ ad ſummam uſque ſcutor. 264. 32. $\frac{1}{4}$ aſcendere aſſeruerant.

Interim verò Joannes Baptiſta Merli ſupplicem obtulit libellum S. Congregationi, quo poſtulavit, ut ſibi concederentur omnia bona hæreditaria Marci Antonij Zocchi Jun., promittens ſub generali omnium ſuorum bonorum hypotheca adimplere omnia onera, & pia legata tum ab Antonio, tum a Marco Antonio Sen. Zocchi præſcripta, nec non ſpopondit etiam omnia debita hæreditatis ejuſdem Marci Antonii Jun. aſſumere, ac etiam celebrare numerum Miſſarum, quem EE. VV. præfinire exiſtimaſſent.

Ut id aſſequi valeat animadvertendum modo proponit, fructus bonorum hæreditariorum Marci Antonij Jun. æquare ſummam ſc. 25., ex quibus ſi detrahantur ſcuta 15. 24. quotannis perſolvenda pro adimpendis Legatis piis, aliiſque oneribus, quibus eadem hæreditas prægravatur, vix ſuperſunt ſcuta 10., quæ quidem imminui poſſunt tum ob infortunia, tum ob expenſas pro ſarcitionibus domorum omninò neceſſarias.

Advertit etiam, plura eſſe debita, quibus hæreditas Marci Antonij Jun. gravatur. Unum ſcilicet ſcut. 22. 40., cujus quidem ſummæ ipſe declaratus fuit Creditor in Sententia Vicarij Generalis, eiſque addenda eſſe alia ſc. 23. 22. $\frac{1}{4}$ pro expenſis in eo judicio factis. Aliud verò debitum ſc. 50. 43. 4., pro fructibus unius cenſus, nec non ſc. 24. 17. ſimiliter pro fructibus alterius ratæ cenſus decurſis ad diem uſque 15. Octobris 1751., quo Marcus Antonius Jun. occubuit. Ad hæc autem debita perſolvenda, aſſerit, bona eſſe alienanda, cum nullus alius ſuppetat modus illa extinguendi. Ac demum obſervat, inquirendum maturius eſſe de ſubſiſtentia Crediti Oratoris in quantitate ſc. 242. 42. $\frac{1}{4}$, pro quibus Vicarius Generalis Camerini jura reſervavit. Quod ſi hujuſce Crediti ſubſiſtentia in judicio comprobetur, impoſſibile fore, dicit, illud extinguere, niſi vel capitalia diſtrahantur, vel ad alterius cenſus impoſitionem deveniatur. Concludit, hæc omnia patere ex monumentis, quæ ab ipſo afferuntur.

Promothor Fiſcalis, aliique intereſſe habentes nihil opponunt. Epiſcopus verò, qui expoſita ab Oratore pleniſſime recenſet, atque confirmat, ita concludit = *Oratoris precibus petentis ſibi, ejuſque Uxori concedi bona hæreditaria Mar-*

Marci Antonij Junioris, ad quæ Promotbor Fiscalis immissionem obtinuit, annuendum crederem, eo magis quia nec Procurator Fiscalis hujus meæ Curiæ, cui preces Oratoris patefeci, nec alter post affixionem Edictorum in Terra Sarnani, cum expressione integri Facti à me demandata, ad aliquid opponendum, seu deducendum comparuit, & quia præcipuè in hæreditate dicti Marci Antonij Junioris annua scuta viginti quinque vix reddente, solutis certis debitis, ut supra, expressis, etiam non computata summa, de qua dicti Coniuges sese Creditores jactant, parum, aut fere nihil remanet; Dummodò tamen iidem Coniuges sub obligatione omnium suorum bonorum adimplementum omnium superius enunciatorum onerum, & piorum Legatorum ab Antonio, & Marco Antonio Zocchi Seniore ordinatorum, prout etiam satisfactionem omnium debitorum, & realium onerum d. hæreditatis promittant, ac ad celebrationem numeri Missarum, qui ab EE. VV. pro unica vice eisdem præscribetur, se solemniter obligent, prout sese exhibuerunt.

Omnibus itaque præ oculis habitis, dijudicabunt Emi PP., quid æquitas, ac prudentia suggeret, dum proponitur dubium.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

LUCANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Anno 1559. Lucas Frediani Lucensis in suis postremi testamenti tabulis, legitimæ nomine liberè legatis Roccho, & Peregrino filiis adoptivis cuique ipsorum scutis centum, aliis vero scutis 900. sub onere hæc restituendi hæredibus infra instituendis, si forte absque prole decessissent, investiri jussit scuta 2000. auri in manutentionem Orphanotrophii a se constructi, nec non alia scuta 2000. in dotationem tresdecim pauperum puellarum orphanarum Territorii sorte extrahendarum; hæredes vero in semisse scripsit pueros orphanos, in altero semisse opus dotationis puellarum. *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

Defuncto Testatore, pia ejus voluntas plenissimum exitum habuit, tam circa subsidiorum dotalium distributionem, quam circa dictorum orphanorum substentationem: verum deperditis deinde nonnullis censuum capitalibus, ac imminutis eorumdem fructibus, dos tradita singulis tresdecim orphanis vix æquavit scuta 4.. Cumque anno 1725. Joseph Salvator Frediani Apostolicum Breve obtinuisset, ut ex opere pio dotationis applicarentur per annos 15. annua scuta 45. puellæ Catharinæ filiæ, quò posset aliquo in Monasterio educari, gravis quæstio orta est de firmitate ejus-

ejuſdem Brevis, & licet Sacra Congregatio *die* 13. *Januarii* 1748. cenſuerit, *ſervandum eſſe Breve favore Catharinæ Felicis Frediani*, reclamantibus tamen loci pii adminiſtris poſtea *die* 22. *Junii* 1748. reſpondit, *prævio receſſu a deciſis, Breve non eſſe exequendum*.

Litem hanc extinguere curarunt operis pij Adminiſtratores, ſummo opprobante Pontifice, ſolutione ſc. 100. facta eidem Catharinæ in cauſam ejus dotis. Quamvis vero, ne hæc præſtatio in exemplum traheretur, ampliſſimam antea reportaſſent renunciationem a puella Fulvia Maria Olimpia illius ſorore *ad ogni, e qualunque pretenſione, che poteſſe avere, e gli competeſſe ſopra detto legato, promettendo mai per tempo alcuno domandare per ſe ſteſſa, ne per mezzo di altri coſa alcuna &c. con promeſſa, e patto perpetuo di non moleſtar per detta cauſa il predetto legato, e ſuoi Signori Amminiſtratori*. Nihilominus eadem Fulvia Maria Olimpia modo poſtulat, ut ſeptem ſibi applicentur ſubſidia dotalia nomine dotis, ac alimentorum.

Inquit, decere quam maximè, ut puellæ conſanguineæ, ac Teſtatori conjunctæ extraneis præterantur, atque incertis ob præſumptam illius voluntatem, naturalemque charitatem. Hinc ſæpe ſæpius eveniſſe, ut probata paupertate, ac conſanguinitate pluries Sacra Congregatio cumulum decreverit ſubſidiorum dotalium ad parandam conſanguineæ dotem congruam, vel ad danda alimenta *Peruſina legati* 4. *Martii* 1758.; potiori autem jure huic æquitati nunc locum eſſe debere, cum ſuperſint adhuc octo ſubſidia extraneis diſtribuenda, & agatur de ſubſidiis modicæ quantitatis, quorum ſingula non excedunt ſcuta 3. 16. 11.

Affirmat, ejus paupertatem maximam eſſe, nec in diſcrimen revocari. Conſanguinitatem vero cum Teſtatore undique certam reddi ex ejus deſcendentia a Peregrino filio adoptivo Teſtatoris, cum notum omnibus ſit, filios adoptivos agnationem, jura, & familiam retinere, & cognationem ex adoptione induci *Inſt. tit. de legitt. agnat. ſucceſ. verſ. nec dubium, leg. qui in adoptivos ff. de adopt. leg. 1. verſ. cognationem ff. unde cognati.* Nec obeſſe ſecutam Peregrini emancipationem, quum is nihilominus in Teſtamento *filius* fuerit appellatus, & ſingulari eum benevolentia, ac amore Teſtator fuerit proſecutus, ut probant conſpicua legata eidem relicta.

Addit, ſe præterea deſcendere a Benedicta Frediani uxore dicti Peregrini, quæ filia fuit Laurentii Frediani fratris Teſtatoris; ob id proinde Adminiſtratores in dotem Catharinæ Sororis ſuæ ſolviſſe ſummam ſc. 100.; eodem propterea jure, parique æquitate ſibi favendum eſſe, quæ eodem gradu Teſtatori juncta eſt, ſpreta penitus renunciatione anni 1748. ſibi extorta, quum aperta nullitate laboret ob non ſervatas ſolemnitates nec juris com-

mu-

munis, nec juris municipalis in *lib.* 2. *cap.* 42. *rubr. de juram. præst. a muliere*.

Administratores operis pii licet diu expectati, nondum jura sua deduxerunt. Archiepiscopus tantummodo refert oppositionem Administratorum, eorumque jura judicio EE. VV. submittit.

Sacra Congregatio persæpe prætulit consanguineas extraneis. Videndæ resolutiones in *Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717. *in Nullius, seu Montis Casini distributionum subsidiorum Dotalium* 24. *Septembris* 1729., *& in Narnien. Subsidiorum Dotalium* 17. *Septembris* 1762., pluriesque etiam concessit, ut dotes cumularentur ad congruam dotem consanguineis parandam, vel ad necessaria alimenta eisdem subministranda *Romana* 22. *Maii* 1757., *Perusina Subsidiorum Dotalium* 4. *Martii* 1758., *& in Romana Subsidiorum Dotalium* 29. *Augusti* 1766.

Duo tamen semper præ oculis habuit, num scilicet de paupertate consanguineæ constaret, & an consanguinitas in eo gradu esset, ut & præsumpta Testatoris voluntas, & naturalis charitas æquitatem postularet: hinc deficiente expressa Testatoris vocatione, rejectæ semper fuerunt consanguineæ ultra quartum gradum jure civili computandum remotæ, erga quas nulla amplius consideratur naturalis charitas *Rot. decis.* 898. *num.* 3. *cor. Emerix Jun.*, *in Romana, seu Januen. Legati* 5. *Maii* 1698. *cor. Tremoille*, & Sac. Congregatio in *Romana Subsidiorum Dotalium* 12. *Decembris* 1761.

Ponderandum hinc, an vere constet de Oratricis consanguinitate, & an eadem excedat quartum gradum jure civili computandum. Ponderanda præ cæteris est resolutio Sac. Congregationis in d. *Lucana executionis brevis* 22. *Junii* 1748., qua rejecta fuit Catharina Oratricis Soror. Ad EE. PP. spectat decernere.

An, & quot subsidia Dotalia assignanda sint Sylviæ Mariæ Olimpiæ ejus vita durante pro ejus Dote, & alimentis in casu &c.

Non proposita, cum sequenti.

COMACLEN. CAPPELLANIÆ. Opus pium celebrationis Missarum in Suffragium Animæ suæ erecturus Joannes Ognibene anno 1654., in suis testamentariis tabulis Sacerdotis celebraturi electionem, ac præfinitionem numeri Missarum celebrandarum commisit P. Guardiano Capuccinorum, & Sub-Priori S. Augustini Civitatis Comaclen., *pregandoli a compiacersi per l'amor di Dio ad impiegarsi per carità in quest' opera a gloria di S. D. M., e beneficio di detto Testatore*. Quod ipsum confirmavit posterioribus co- *Sess.* 25. *de Reform. cap.* 9.

dicillis, addita tantum in his prælativa vocatione passiva favore Sacerdotis Ludovici Cavalieri Leviri.

Hoc e vivis erepto anno 1667., Capuccinorum Custos, & S. Augustini Sub-Prior, unanimi voto nominarunt Sacerdotem Natalem Cassianum Cavalieri. Non sic tamen ipsi in unum consenserunt in posteriori vacatione anni 1722., nam Capuccinorum Custos nominavit Sacerdotem Thomam Cavalieri; Sub-Prior vero S. Augustini Sacerdotem Josephum Felletti. Quæstio hinc exorta est in Sac. hac Congregatione, uter ex nominatis esset præferendus. Opponebat Sacerdos Felletti incapacitatem Guardiani PP. Capuccinorum habendi jus nominandi, vel præsentandi *ex Clement. exivi §. verum de verb. Signif.* Respondebat Sacerdos Cavalieri, Guardianum esse in possessione præsentandi, jusque ipsum nominationis, tamquam redolens merum pietatis actum, recte acquiri, ac retineri posse a P. Guardiano. Proposito itaque *die* 19. *Decembris* 1722. = *An nominatio P. Guardiani Capuccinorum subsistineatur, & cui ex nominatis sit adjudicanda Capellania*, responsum fuit, *Adjudicandam esse Capellaniam Thomæ de Cavaleriis in casu, & ad mentem*.

Ita Capellaniæ possessionem obtinuit Sacerdos Thomas Cavalieri a Custode Capuccinorum nominatus, eamque diu retinuit, donec anno 1754. illam de consensu Guardiani, & Sub-Prioris resignavit favore Sacerdotis Josephi Zani. In nuperrima autem vacatione anni 1767. Guardianus elegit Canonicum Ludovicum Cavalieri, Sub-Prior vero tum ex propria vocatione, tum iure consolidationis ob incapacitatem P. Guardiani nominavit Sacerdotem Aloysium Carli. Quare Canonicus Cavalieri *die* 11. *Sept. ejusdem anni* instetit, rem totam committi judicio Sac. Congregationis, coram qua jam ab anno 1722. hæc ipsamet quæstio instituta fuerat. Verum ex mandato, ac gratificatione Episcopi, in possessionem Capellaniæ missus fuit Sacerdos Carli. Ad provocationem propterea Canonici Cavalieri nunc quæritur, cui competat prælatio, & an quæ ab Episcopo Sacerdoti Carli data fuit, sustineatur.

Ad I. inquit Canonicus Cavalieri, in paritate vocum eum præferendum esse, qui majoribus pollet meritis, ac prærogativis *cap. si quoniam de jurep.*, *Fagnan. in cap. cum autem num.* 28. *de jurep.*, *Passerin de elect. cap.* 33. *num.* 126.: sibi ideo majoribus studiis, ac prærogativis prædito prælationem dandam esse. Nec obesse prætensam Episcopi gratificationem, quum nullibi ea ex actis habeatur, sed omnia inordinate, ac præcipitanter a Vicario Generali Patruo Sacerdotis Carli gesta, & attentata fuerint. Nullam præterea semper, ac irritam esse quamcumque Episcopi gratificationem ob non servatam juris formam interpellandi alios nominatos *Fargn. de jurep. parte* 2. *cap.* 9. *can.* 9. *cap.* 1. *num.* 10. &

num. 10. ; ipſamque ulterius, tamquam aperte injuſtam ob deſpectam meritorum, & qualitatum præponderantiam, omnino revocandam eſſe *Rot. deciſ.* 18. *num.* 25. *coram Anſald.*

Perperam vero regeri objectionem incapacitatis P. Guardiani : quum exceptio hæc rejecta jam fuerit anno 1722., quo Sacra hæc Congregatio prælationem dedit nominato ab eodem P. Guardiano. Inanem item eſſe, quia licet is incapax ſit exequendi ea, quæ commixtionem continent cum rebus mundanis, incapax tamen non eſt ea exercendi, quæ in mera pietate conſiſtunt abſque ulla rerum mundanarum commixtione, pro ut eſt jus præſentandi, & nominandi ad Beneficia, vel Capellanias *Fargn. de jurep. part.* 1. *can.* 5. *caſ.* 3. *num.* 14., *Card. de Luc. de Teſtam. diſc.* 56. *num.* 11.

Ad II. inquit, *die* 11. *Septembris* 1767. petiiſſe recurſum ad Sacram Congregationem, coram qua quæſtio hæc de capacitate P. Guardiani acta fuerat; illumque admiſiſſe Vicarium Generalem : Nonniſi proinde temere, & attentate ex poſt miſſum fuiſſe in poſſeſſionem Sacerdotem Carli, omniaque idcirco deinde geſta circumſcribenda eſſe, ac fructus uſque nunc indebite perceptos integre eſſe reſtituendos.

Contra vero Sacerdos Carli ad I. inquit, PP. Capuccinos ex *Clemen. Exivi* §. *verum de verb. ſignif.* incapaces eſſe exercendi officium Executorum ultimarum voluntatum : incapaces ideo eſſe juris nominandi ad Capellanias, aliaque ſimilia jura acquirenda, & exercenda, *Sac. Congr. Ep.*, & *Reg.* in *Montis Caſini* 28. *Sept.* 1696., & Sac. Congr. in *Nullius, ſeu Montis Caſini* 28. *Janu.* 1730., idque ipſum declaraſſe Sacram Congregationem anno 1722. ſub clauſula *ad mentem*, ut habetur in Codice Epiſcopi Lugarenſi ſuper Legatis piis, & in folio *Papien. ſubſidii Dotalis* 18. *Auguſti* 1731.

Verum data etiam validitate nominationis P. Guardiani, advertit, recte potuiſſe Epiſcopum in paritate vocum jure gratificationis unum alteri præferre *cap. cum autem de jurep.*, *Clem. plures eod. tit.*, nec potuiſſe haberi in pretio conſanguinitatem, vel affinitatem cum Teſtatore, cum in utroque nominato æque deſit : nec item debuiſſe ſcrupoloſe inquiri de majoribus meritis alterutrius, cum res ſit non de aſſequendo beneficio Curato, vel reſidentiali, ſed tantum de ſimplici legato pio Miſſarum *Card. de Luc. de benef. diſc.* 67. *num.* 3., *& diſc.* 69. *num.* 9.. Cæterum ſubdit, Canonicum Cavalieri pingui jam Canonicatu ditatum eſſe, recte proinde ſibi pauperi, & nullis reditibus Eccleſiaſticis proviſo poſtpoſitum fuiſſe *Rot. dec.* 149. *num.* 12. *cor. el. mem. Card. Creſcentio.*

Hinc ad II. concludit, inanem eſſe quæſtionem de attenta-

tis,

tis, cum omnia rite, rectèque gesta fuerint, & jure sibi data fuerit prælatio; Nullum insuper vitium attentatorum ex contemptu emissæ protestationis oriri potuisse, cum ea nec vim habeat citationis, nec contestationem litis inducat *Franc. de protest. consid.* 12. *num.* 3. ac demum advertit, Episcopum non declarando incapacitatem P. Guardiani, sed tantum jure gratificationis sibi prælationem dedisse: nihil ideo contra emissam protestationem actum fuisse, nihilque vitio attentatorum infectum esse, *Lancellot. de attent. part.* 2. *cap.* 12. *de attent. pend. Appell. limit.* 5. *numero* 3., & 4.

Episcopus post exposita rationum momenta, ex quibus dubia redditur capacitas juris nominandi penes Guardianum subdit: *Sentiebam item nihil profutura jura dicti Guardiani Capucinorum, tametsi deffiniri fortasse contingeret prætensum jus nominandi juxta ipsius vota. Siquidem adhuc scissæ remansissent eligentium voces inter duos nominatos, sicque futuri semper essemus non in præponderantia, sed in paritate votorum. Hinc ergo, ne protelari etiam longius deberet pium hoc defunctorum suffragium, & quin manus ullimode apposuerim super prætenso jure dicti P. Guardiani examinando, quatenus libeat, in posterum, ac pro futuris casibus, gratificandum mihi censui in præsenti Nicolao Aloysio Carli tum nominato ab uno ex incontroversis Patronis, tum Sacerdoti optimis moribus prædito, propriisque, ac Patrui meritis suffulto, idque non alias profecto, quam ad tramites absolutissimi juris mihi competentis.*

Proponitur deffiniendum.

I. *An, & cui adjudicanda sit Capellania in casu &c.*

II. *An sit locus circumscriptioni actorum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 8. Julii 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

GEminas ex folio præcedentis Congregationis Cauſas, alias verò ſeptem in hodierno folio adnotatas deprehendent Eminentiſſimi PP., ut accurata dubiorum, quæ proponuntur definitione, juſtitiæ complementum Partes aſſequantur.

LUCANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quot Subſidia Dotalia aſſignanda ſint Sylviæ Mariæ Olympiæ ejus vita durante pro ejus Dote, & alimentis, in caſu &c.

Negativè.

COMACLEN. CAPELLANIÆ. *Seſs. 25. cap. 9. de Reform.*

I. *An, & cui adjudicanda ſit Capellania, in caſu &c.*
II. *An ſit locus circumſcriptioni actorum, in caſu &c.*

Iterum proponatur.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Conſpicuam quantitatem ſcutorum triginta millium collocatam in locis montium, liberaliter contulit Paulus Paganini anno 1620. in Ven. Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Annunciationis, ut ex annuis eorum reditibus diſtribuerentur ſingulis annis tot ſubſidia dotalia ſcutorum 100. pauperibus Puellis, vel in ſæculo, vel in Domino nupturis. Jus eas nominandi æque diviſit inter dictam Ven. Archiconfraternitatem, ac Magdalenam Proneptem ſuam nuptam Theodoſio de Rubeis, ejuſque filiis, hæredibus, ac *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

ac Succeſſoribus tam maſculis, quam fœminis in infinitum.

Propter tantam dicti pii Viri liberalitatem ſæpius factum eſt, ut Summi Pontifices, & Sacra hæc Congregatio facile conſueverint propicere Conſanguineis, & Deſcendentibus Theodoſii de Rubeis, eiſque non tenuem pecuniæ ſummam cum pro alimentis, tum pro dotibus aſſignare, ut patuit folia illarum Cauſarum diſtributa pro Congregatione diei 10. *Februarii*, & 3. *Auguſti* 1748., *Theſaur. Reſolut. tom.* 17., & 3. *Auguſti* 1767. *eod. Theſaur. tom.* 36.

Nunc Alexander de Rubeis, qui tres habet filias, Mariam nempè Ludovicam, Mariam Franciſcam, & Annam Mariam preces porrexit ſan. mem. Clementi XIII. petens, ut dignaretur earum ſingulis aſſignare dotem ſcutorum mille. Preces autem prædictæ Sac. huic Congregationi remiſſæ fuerunt.

Ait itaque Alexander Orator, ambigi non poſſe de ſanguinis conjunctione cum Teſtatore; nec idcircò denegandam eſſe ſuis filiabus aſſignationem dotium ex reditibus, quos ad nominationem ſuæ Familiæ in eam præcisè cauſam ipſemet Teſtator diſtribui mandavit, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 17., *Anoſtaz. de cauſ. piis lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 10.

Conſtare etiam aſſerit de ejuſdem Familiæ ſuæ paupertate, cum nil aliud poſſideat, quam Domum ſuæ habitationi inſervientem, & prædiolum quoddam non excedens quantitatem ſalmarum ſex. Additque, quod ſibi, ſuiſque filiis neceſſaria deeſſet ſuſtentatio, ni Paulus Alphunſus Frater ſuppetias ipſis ferret ex fructibus Canonicalis Præbendæ, quam poſſidet in Cathedrali Auximana.

Quo verò ad quantitatem animadvertit, dotem in eademmet ſumma ſcutorum 1000. fuiſſe unicuique ex ſuis Sororibus aſſignatam per literas in forma Brevis ſan. mem. Clementis XI. anno 1713. expeditas. Immò in majori etiam quantitate ſcutorum videlicet 2500., nec non ſcut. 3000., & 4000., fuiſſe quandoque aliis Puellis Teſtatori conjunctis dotem conſtitutam, ut patet ex foliis annorum 1746., & 1767. ſuperius relatis. Æquitati proinde conſonum eſſe, ut dos in quantitate ſcutorum 1000. unicuique ex ſuis filiabus conſtituatur, cum præſertim nihil huc uſque dotalitii reditus fuerint imminuti.

Nec obſtare, quod Annæ de Rubeis a Sac. Congregatione dos aſſignata fuerit in ſcutis 700. quatenus in ſæculo nuberet; eaque aucta extiterit ad ſummam uſque ſcut. 745., ſi Religionem ingredi vellet, ut ex folio diei 29. Auguſti 1767. Reſpondet enim, maximum intercedere diſcrimen inter filias ſuas, & d. Annam de Rubeis, cum illæ majori nobilitate præfulgeant, & tum ipſe, tum Canonicus Frater, tanquam nobiles habeantur in Civitate Auximi, ubi morantur. Infert

proin-

proindè non incongruum esse, ut filiabus suis majori dotis quantitate prospiciatur.

Ex oppositò verò Deputati Ven. Archiconfraternitatis Sanctissimæ Annuntiatæ primo loco absurdum esse dicunt, quod divites Puellæ ratione tantum consanguinitatis subsidia dotalia percipiant pauperibus destinata, *Card. de Luca de Dot. disc. 7. per tot.*, & 20. *num. 6. de Decimis*, cum Puellæ consanguinitatis vinculo Testatori conjunctæ tùm demum ad dotalia admittantur subsidia, quando ita sunt fortunæ bonis destitutæ, ut aliunde dotem sperare nequeant *Card. de Luca citat. discur. 7. de Dote num. 2. & seq.*, *Rota coram Molines decis.* 821. *num.* 1. & 2., & *in Romana Casalis Massæ* 27. *Januarii* 1748. §. 5. *coram Canilliac.*

Quamvis autem incertum adhuc esset, num filiæ Alexandri de Rubeis divitiis affluant, an bonis careant, illud tamen certum esse sustinent, tum ipsas, tum etiam Patrem, & Patruum nobilium more vivere, ut proinde ob id quælibet exulet paupertatis præsumptio.

Quatenus verò de paupertate constaret, animadvertunt, nulla ratione recedi oportere a præstituta jam dotis quantitate, scutorum scilicet 745. pro Puellis in Domino nupturis, & scut. 700. pro iis, qui matrimonio conjungi velint. Hanc enim quantitatem satis congruam esse affirmant in Civitate Auximi tum ad monasticam vitam amplectendam, tum ad matrimonium contrahendum. Præsertim quia in Provincia Picæni non desunt divites Oppida incolentes, qui ad augendam Familiæ nobilitatem, dotibus longè minoribus contenti sint.

Subdunt præterea, Familiam Alexandri de Rubeis, quantumvis inter pauperes connumerari velit, ea saltem paupertate non premi, ut filiabus præstare non possit conspicuum apparatum, vulgò *Acconcio*, quo facilius matrimonium contrahere possint. Æquum proindè non esse, ut ipsis tantummodò prospiciatur in præjudicium Puellarum Urbis, quæ nonnisi hoc subsidio provideri possunt.

Advertunt insuper, Paulum Paganini, dotalium subsidiorum auctorem prospicere intellexisse Puellarum necessitatibus, voluisse propterea putandum est aliqua dote donare plures puèllas pauperes, quam unam tantum, vel alteram consanguineam ditare conspicua dote, & hac de causa descendentium suorum nullam habuisse rationem, solumque jus nominandi eisdem tribuisse. Iniquum autem esse ab hac Benefactoris voluntate recedere, eamque immutare.

Denique animadvertunt, probabilitate non carere, ut ad subsidia petenda prosiliant quoque tres filiæ Gertrudis de Rubeis, quarum respectu eadem militat consanguinitatis ratio; Et ita periculum non abesse, concludunt, ut opus pium omninò disperdatur, cum præsertim dimidia redi-

tuum pars, ad quam dumtaxat aliquale jus habere poſſunt Fœminæ de Familia de Rubeis, non excedat annua ſcuta 260.57., nec æquum eſſe, ut fructus hujuſmodi ad plures annos obligationi, & hypothecæ ſubjiciantur.

His pro utraque parte perpenſis obſervandum occurrit, Summos Pontifices, & Sacram hanc Congregationem conſpicuas quandoque dotes aſſignaſſe deſcendentibus ex Familia de Rubeis. Anno ſiquidem 1669. aſſignata ſunt ſcuta 2000., quæ deindè à ſan. mem. Clemente X. aucta fuerunt ad ſummam uſque ſcutorum 4000.; Anno 1691. conſtituta ſunt ſcuta 2000.; Anno 1713. ſcuta 1000., quæ ſimiliter a ſan. mem. Innocentio XIII. ad ſcuta 2500. aucta fuerunt.

Decurſu verò temporis ita præfiniri cæpit dos pro Puellis ab eadem Familia de Rubeis deſcendentibus, ut iis, quæ Religionem ingredi vellent tributa fuerint ſcuta 745., aliis verò, quæ matrimonium contraherent ſcuta tantum 700., & ita ſervatum, reſolutumque fuit *die* 10. *Januarii* 1749., *die* 18. *Septembris* 1753., *die* 16. *Novembris* 1762., & *die* 29. *Auguſti* 1767.

Præter juſtitiam itaque petitionis in genere, quoad quantitatem inquirendum eſt quoque, an rationes, quibus innituntur preces Alexandri de Rubeis tanti ſint momenti, ut recedendum ſit in præſenti caſu ab ea norma, quam Sac. Congregatio ſi poſtremum placuit amplecti.

Eminentiſſimus Protector hæc habet = *Breviſſime dicam, non eſſe Oratori denegandum auxilium, quod ab Auctoris ſui largitate, & munificentia repoſcit, tum quia a Paulo Paganini verè deſcendit, tum & fortius quia jus habet nominandi ad dimidium Subſidiorum numerum. Summam verò, quam Orator petit in ſcutis* 1000. *pro qualibet Filia, reducendam putarem in ſcutis* 745. *pro nuptiis ſpiritualibus, & in ſcutis* 700. *pro carnalibus. Sic enim ab hac Sacra Congregatione ſtatutum eſt die* 29. *Auguſti elapſi nuper anni ad preces Annæ de Rubeis, quæ pariter æqua deſcendentiæ jura fovebat, & cui ex impari judicio injuria irrogaretur.*

Hæc autem ſententia tunc devium favore Oratoris obtinebit, cum de ejus paupertate opportuna probatio deducatur. Ex iis enim documentis, quæ precibus adnexa ſunt nec ullum de paupertate loquitur. Quare ſi EE. VV. preces Auximano Antiſtiti delegarent, ut de Oratoris paupertate, vel divitiis tantum notionem faceret, exactum profectò medium adhiberent, quo inſtantia impunè audiri, vel rejici poſſet.

Supereſt itaque, ut EE. VV. ea qua pollent æquitate dijudicent

An, & in qua ſumma ſint conſtituendæ Dotes, in caſu &c.

Scribatur Epiſcopo juxtà inſtructionem.

CON-

CONSTANTIEN. Judæus quidam, nomine David Marcus, Natione Polonus, ex Oppido ſcilicet Kempſa, pluries pro ſe, ſuaque Uxore, & quatuor Filiis Baptiſmum petierat, quin tamen unquam voti compos evaſiſſet: cum verò quadam die in Hoſpitali Rottemburgenſi cum tota Familia maneret, nilque minus cogitaret, quàm de Baptiſmo actu ſuſcipiendo, Muliercula quædam bona fide putans, urgente neceſſitate, quemlibet baptizare poſſe, nulla præmiſſa Catecheſi, neque poſtulato Baptizandorum conſenſu, aqua luſtrali aſperſit omnes, dicens = *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*, eoſdemque monuit, ipſos iam eſſe Baptiſmo initiatos, & Chriſtianos effectos. *Seſs. 7. cap. 11 de Baptiſmo.*

Varia poſt itinera dictus David Marcus cum tota ſua Familia Salemium ſe contulit in Provincia Sveviæ, dubiuſque de validitate Baptiſmi a prædicta Muliercula collati, ſupplex rogavit Reverendiſſimum Abbatem, ut ritè, ſi opus foret, ipſos baptizare dignaretur, & in Catholicæ Religionis myſteriis erudire. Abbas autem Salemitanus, ne quid hac in re imprudenter ageret, Sacræ huius Congregationis conſilium exquiſivit, poſtulavitque declarari, an dictus David Marcus cum ſua Familia denuò baptizari, ſaltem ſub conditione, deberet.

Datæ hinc ſunt literæ Nuntio Apoſtolico apud Helvetios, demandatumque examen tum Mulieris, quæ Baptiſmum adminiſtravit, tum etiam Baptizatorum; At cum iidem Judæi patriam dumtaxat linguam calleant Helvetiis ignotam; Mulier verò, quæ Baptiſmum contulit moretur in loco a Monaſterio Salemitano longè diſſito, hinc excepto Davide Marco Patre, nemo ex reliquis examini ſubjici potuit.

Ex formali igitur Davidis examine conſtat, ipſum Rottemburgi ad Niccarum cum tota Familia commorantem, a Patribus Societatis Jeſu Baptiſmum poſtulaſſe, ſed ideò fuiſſe repulſum, quia cum Uxore, & liberis ibidem ſe ſuſtentare, & commorari non poſſet. Cum autem, idem narrat, in Hoſpitali Rottemburgenſi maneret, Mulierculam quamdam ad eum acceſſiſſe, præmiſſiſque his verbis, *Ecce! quilibet baptizare poteſt*, deinde manum in hydriam aquæ attinxiſſe, ac primum duos natu minores Rebecham ſcilicet, & Abrahamum, lethali morbo laborantem aqua aſperſiſſe, Cruce ſignaſſe, proferendo verba = *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*; mox reliquos de Familia, ipſum videlicet Davidem, ac ejus Uxorem, duoſque majores liberos eadem aqua ſimiliter aſperſiſſe; Ipſum autem neſcire, an aliorum reſpectu dicta Mulier quidquam pronunciaverit; certum tamen eſſe, ipſam monuiſſe, ut ſi alter ex infirmis moreretur, Sacerdoti notum fieret, eos jam fuiſſe baptizatos.

Præter Davidis examen probat etiam extrajudicialis depositio Mulieris, quæ Baptismum contulit, asserentis, se utrumque Parentem, ac Filios omnes aqua fontium aspersisse, repetita quoad singulos Baptismi formula = *Ego te baptizo &c.*. Interrogata verò cur, & qua mente id fecerit? respondit, se id in Ecclesia, cum Infantes Sacro fonte levarentur, vidisse; atque in Catechesi audivisse, quemlibet urgente necessitate posse baptizare: Ideo verò ad hoc faciendum fuisse adductam, quia nemo sine Baptismo salvatur: Postea vero rogata, ut panderet, num quidquam Judæis diverit ante Baptismi collationem, declaravit, nihil ea de re cum ipsis fuisse alloquutam.

Hæc testata est eadem Mulier Rottemburgi Sacerdoti Societatis Jesu P. Schvvendtman, qui advertit, inane studium fore ulterius progredi, cum dicta Mulier, etsi formali examini subjiceretur, a prima depositione non esset recessura, nec clarius rem panditura. Asserit enim, eam esse devotam fœminam, sed simplicem, quæ sine præcedenti consensu in Adultis ad Sacramenti validitatem requisito, bona fide Baptismum administravit; prout Apostolicus Nuntius ex ore dicti P. Schvvendtman audivisse testatur.

Baptismi formam conditionatam, quæ prius mente tantummodò concipiebatur, ab octavo usque sæculo expresse usurpari cœpisse, liquet ex *lib.6. Capitularium cap.*184 apud Baluzium *tom.primo pag.*954., cujus hæc sunt verba = *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis præmissis: non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* = Hanc disciplinam, multis jam locis receptam, Alexander III. sæculo XII. non solum approbavit, sed ubique etiam servari mandavit, *Cap. de quibus tit.*42. *de Baptismo, & ejus effectu, inquiens: De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.* = Eamdemque sanctionem confirmavit Joannes XXII. apud Odoricum Raynaldum *ad annum* 1333. *num.*42.

Verùm ut hujusmodi forma conditionata adhiberi tutò possit, non sufficit dubitatio quævis de Baptismi antea collati validitate, sed concurrat oportet dubitatio prudens, atque probabilis. *Ea autem probabilis dubitatio est*, inquit Estius in 4. *distinct.*4. §.15., *quæ facta etiam diligenti inquisitione, discuti non potest, itaut nec moralis certitudo facti haberi queat*. Idque expresse statuitur in Catechismo Romano *part.*2. *de Sacram. Baptism. num.*57., ubi de forma conditionata hæc habentur= *Ea Baptismi forma ex Alexandri Papæ auctoritate, in illis tantum permittitur, de quibus re diligenter perquisita dubium relinquitur, an Baptismum ritè susceperint, aliter verò nunquam fas est, etiam cum adjunctione* (videlicet conditionis) *Baptis-*

ptiſmum alicui iterum miniſtrare. Et Divus Carolus in ſuis Inſtitutionibus Act. Eccleſ. Mediolan. *part.*4. *pag.*497. monet, tunc ſolum conditionatam formam adhiberi poſſe, cum re diligenter perquiſita, dubium relinquitur, aut certè non apparet, infantem, vel alium, qui Baptiſmo offertur, baptizatum eſſe. Hoc ipſum quoque in pluribus Synodis ſtatutum reperitur, ut videre eſt apud Natal. Alexand. *Theolog. dogm.*, *& moral. lib.* 2. *de Sacrament. Baptiſm. cap.*7. *reg.*5.

Hinc poſt Dominicum Sotum in 4.*diſtinct.*3. *quæſt.unic.artic.*9., Petrum Paludanum *diſtinct.*6. *quæſt.*4., & Sylveſtrum *tit.Baptiſmus* 4. *num.*9., egregiè tradit Eſtius loc. cit : *Vituperabilem eſſe conſuetudinem quorumdam, qui paſſim, ac ſine diſcrimine Infantes ab Obſtetricibus propter vitæ periculum baptizatos, iterum ſub conditione baptizant, non aliam dubitandi cauſam habentes, quam quod Muliercula fortè vel intentione defecere, vel in verbis proferendis hallucinari potuerit; cum tamen interrogata teſtetur, ſe ritè totum myſterium peregiſſe*. Eamdemque conſuetudinem damnat etiam Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.*7. *cap.*6. *num.*4., ſimulque monet *num.* 2., minimè ſectanda eſſe exempla, quæ congeſſe runt Gobat. *tom.*1. *tract.*2. *ſect.*3., & Marin. *Theolog. tom.*3. *tract.*19. *diſputat.*1. *ſect.*8. *num.*140., ubi plures ſub conditione baptizatos referunt, qui ob merum ſcrupulum non tam dubitabant, quam imprudenter ſuſpicabantur, num ritè fuiſſent baptizati; quam quidem conditionatam Sacramenti iterationem, ob id probare videntur iidem Auctores, quod animi quietem inducat.

Quamvis autem ex plurium atteſtatione major profecto hauriatur collati Baptiſmi certitudo; nihilominus Sacri Canones ſatis probatam habent hujuſce Sacramenti collationem per unicum teſtem, præcipuè ſi de facto proprio teſtetur, hoc eſt ſi affirmet, illud a ſe fuiſſe adminiſtratum, nec quidquam ſit, quod ejus dicti fidem imminuat. Id diſcitè decrevit S.Leo in Epiſt. ad Leonem Ravennatem Epiſcopum relat. *Cap. Cum itaque* 112. *de Conſecratione diſtin.*4. his verbis = *Cum itaque baptizatum ſe nec ille recordetur, qui regenerationis eſt cupidus, nec alter atteſtari de eo poſſit, quod neſciat conſecratum, nihil eſt, in quo peccatum poſſit obrepere, cum in hac parte conſcientiæ ſuæ nec ille reus ſit, qui conſecratur, nec ille, qui conſecrat . . . . Atque ideo quoties perſona talis inciderit, ſollicita primum examinatione diſcutite, & longo tempore, niſi fortè ſupremus finis immineat, indagate, utrum nemo ſit penitus, qui Teſtimonio ſuo jurare poſſit ignorantiam neſcientis* =

Hinc Gloſſa *in cap. Licet de teſtibus* ad illa verba : *Nulla cauſa, quæ unius teſtimonio, quamvis legitimo, terminetur*, ſedulò admonet, hujuſmodi regulam locum ſibi vindicare in alterius præjudicium; ſecus verò ubi de nul-

nullius agitur præjudicio, puta, utrum aliquis sit baptizatus; an Ecclesia sit consecrata &c., quia in his unius testimonium attenditur, *Fagnan. in cap. Licet de testib. n.15., Benedict. XIV. Institut. 8., & Constitut. 28. tom. 2. Bullar.*, ubi refert responsum Sacræ Congregationis Sancti Officii diei 30.Martii 1638., quo declaratum fuit, *Baptismum probari unico teste*.

Quamobrem, cum in Sacra hac Congregatione propositum fuisset dubium = *Quomodo se gerere debeat Parochus Sancti Spiritus in Saxia in collatione baptismatis Infantibus, qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant, & etiamsi ex colore, & cæteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel etiam unius anni cum dimidio?* die 15. Januarii 1724. responsum fuit = *Esse rebaptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem. Instructio est, quod excipiatur a Baptismo sub conditione casus schedulæ, quæ habeat certitudinem. Thesaur. resolut. tom.2. pag.412., & tom.3. pag.2.* Rationem verò affert prælaudatus Benedictus XIV. *Instit. 8.*, quia scilicet ex schedula deprehendi potest Auctor, eumque fidem mereri, proindeque unico hoc testimonio Baptismus ritè traditus satis probatur.

Inquirendum est itaque, an fides habenda sit devotæ Mulierculæ, sed, ut fertur, simplici, quæ semel, atque iterum extrajudicialiter testata est, Hæbreos singulos a se fuisse baptizatos, nec alio id consilio, & mente egisse, nisi quia id in Ecclesia fieri vidisset, cum Infantes Sacro Fonte levarentur; atque insuper quia audivisset, neminem sine salutari Lavacro æternam salutem consequi posse; ac demum quia in Catechesibus edocta fuerat, fideles omnes, necessitate urgente, Baptismum posse ministrare.

Hæc sunt, quæ collati Baptismi probationem respiciunt; Præstat nunc nonnulla addere ad validam hujusce Sacramenti collationem pertinentia. Indubia profectò res est, ad Baptismi substantiam qualemcumque personæ baptizandæ ablutionem sufficere, sive ea immersione, sive perfusione, sive aspersione fiat; Ac rursus certum est, validum esse Baptismum sive totum corpus, sive pars aliqua tantum abluatur. Plura de his apud Theologos, & Canonistas. Egregium præ cæteris est illud S. Cypriani Carthaginensis Episcopi *Epist.76. edit.Mur.* = *Nec quemquam movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur ægri cum gratiam Dominicam consequantur, quando Scriptura Sancta per Ezechielem Prophetam cap 36. loquatur, & dicat: Et aspergam super vos aquam mundam &c.* = Deindè allatis textibus ex libro Numerorum *cap.8.& 19.* sic pergit = *Undè apparet, aspersionem quoque aquæ instar salutaris Lavacri obtinere, & quando hæc in Ecclesia fiunt . . . stare omnia, & consummari, ac perfici posse*

posse Majestate Domini, & fidei veritate = Hinc, cum Apostoli uno die tria, altero verò quinque hominum millia baptizaverint, ut habetur ex *cap.* 2. & 4. Actor. Apostolor. verosimilius videtur id vel aspersione, vel effusione egisse. *Aspersione inquam*, addit Sylvius *in 3. part. quæst. 66. artic. 7, non qualis fieri solet in Ecclesiis, dum Populus aspergitur aqua benedicta: Hæc enim multos non contingit, nisi in vestibus, aut capillis, sed quæ singulis adhiberetur, uni per unum, alteri per alium, sive Discipulum, sive Apostolum.*

Duo idcircò præcipua sunt. Primum scilicet, ut tantum aquæ, & eo modo adhibeatur, quantum, & quo modo sufficit, ut quis moraliter censeatur ablutus, & aqua perfusus. Quare licet complures sentiant Auctores, ratum fore Baptismum, si una, aut altera solum aquæ gutta, quæ diffluere possit, corpus aspergat, nonnulli tamen, quos refert Gonzalez *cap. Non ut apponeres de Baptismo num.* 2., de hoc meritò dubitant. Deindè necessarium est, ut aqua immediatè corpus tangat, quia non alias homo abluitur; proindeque si vestes, aut capilli tantùm aspergantur, Baptismus validus non censetur.

Ad rem præsentem, quod attinet, notandum est, quid David Marcus in suo formali examine, quid Mulier in extrajudiciali sua depositione dixerint. David Marcus testatus fuit, Mulierem duos natu minores liberos primùm cruce signasse, dicendo = *Ego te baptizo &c.* = *Reliquos verò* (sunt hæc ipsius Davidis verba) *eadem aqua fontana a prædicta Muliere aspersos fuisse: Nescire se verò, an præfata Mulier ad aspersionem quidquam pronunciaverit.* Mulier verò fatla est, utrumque Parentem, ac Filios omnes, *eosque seorsim* aqua lustrali aspersisse, pronunciata simul *toties* Baptismi forma: *Ego te baptizo &c.*. Verum ex hisce depositionibus non deprehenditur, num capilli tantum, aut vestes aspersæ fuerint, seu potius corporis pars aliqua, aut caput, ut præscribit *Ritual. Roman. tit. de baptizand. parvul., S. Thom. 3. part. quæst. 68. art. 11. ad 4., S. Carol. Borrom. Act. Eccles. Mediol. par. 4. pag. 497. §. Si verò fœtus.*

Tandem ubi de Adultis agitur, constans, & communis apud omnes sententia est, Baptizandi voluntatem requiri, sive intentionem suscipiendi Baptismum, itaut *si in Adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus*, ut inquit D. Thomas 3. *part. quæst. 68. artic. 7. ad* 2. Viden. Benedict. XIV. *Constitut. Postremo mense §. 43. tom. 2. Bull. num. 28.*

Voluntas hæc autem perfecta, & præcisa esse debet, nec ei recte collatum diceretur Baptismum, qui dubius esset, vel indifferens, hoc est neque volens, neque nolens, quia is non haberet intentionem recipiendi Sacramentum, ut contra Cajetanum, docent Theologi, & Benedictus XIV. in *citat. Constit. §.* 48.. Non est ta-

tamen neceſſe, conſensū eſſe actualem, ſufficit enim aliquando præceſſiſſe, & moraliter adhuc perſeverare, juxta communem Theologorum ſententiam, quos ſequitur laudatus Pontifex *loc. citat. §. 46.* ibi = *Verum ſi quis Baptiſmum accipiens præſenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis ſuſcipiendæ lotionis, qualis in Eccleſia frequentatur, tunc examinare oportet, vtrum voluntas antecedens nunquam deinceps retractata adhuc moraliter perſeveret. Nam ſi nulla præceſſerit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, eſt certè validum Sacramentum.*

In præſenti caſu integra Davidis Familia ex Uxore conſtat, & quatuor Filiis. Ex filiis, duo majores infantiam exceſſerunt; Lia enim annum duo decimum, Iſaac autem ſeptimum annum attigerat; reliqui erant adhuc infantes. Mulier, antequam illos baptizaret, nullum ab iis conſenſum expoſtulavit, nullam Cathecheſim præmiſit, nec de eliciendo doloris actu eos monuit, nec de Sacramento quod ipſis conferre meditabatur; Sed repentino quodam zelo correpta exclamavit: *Ecce quilibet baptizare poteſt*, deindeque omnes aqua aſperſit.

Quum verò David cum tota Familia Rottemburgum ad Niccarum pergens, inſtructionem in Catholica fide, & Sacrum Baptiſma petierit, hinc ponderandum occurrit, an petitionis hujus, & deſiderij conſcij fuerint illius filii adulti, eique aſſenſum præſtiterint. Quod ſi de aſſenſu conſtiterit, inquirendum ulterius eſt, an voluntas antecedens recipiendi baptiſmum, quæ nunquam videtur retractata, moraliter in ipſis perſeveraverit, itaut ex parte Adultorum non defuerit intentio ſaltem virtualis ſuſcipiendi Baptiſmum.

Hæc omnia EE. PP. examinanda proponuntur, ut qua ſolent maturitate, & prudentia definiant.

An Baptiſmus ratus haberi debeat, vel potius ſub conditione denuò conferri in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxtà inſtructionem.

Seſſ. 25. cap. 5. de Reform.

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM. Ex nonnullis Capellaniis, quæ Jacobus Philippus Concetti teſtamento edixit, ut ex ſuis bonis erigerentur poſt obitum Sororis ſcriptæ hæredis fructuariæ, altera illa eſt, quam erigi voluit ad Altare Beatiſſimæ Virginis Incoronatæ in Eccleſia S. Stephani Terræ S. Juſti. Huic Cappellaniæ dotem adſcripſit in certis bonis ſpecialiter deſignatis, & in primum Rectorem nominavit Henricum Cardelli, ex cujus Familia eligendos mandavit ſucceſſores, donec duraret

ret linea masculina Domus Cardelliæ, eaque extincta liberum juris nominandi exercitium restituit Exequutoribus testamentariis.

Rectoribus hujus Capellaniæ onus imposuit celebrationis quinque Missarum singulis hebdomadis. Legem vero tam istam, quam alias Capellanias respicientem adjecit, qua vetuit = *che mai, e in alcun tempo, per qualunque causa i miei Cappellani, ò alcuno di essi possano impetrare, e molto meno ottenere alcuna riduzzione delle Messe, come sopra prescritte a ciascheduna Cappellania, altrimenti subito, & ipso facto decada, e resti privo di tal Cappellania, come io adesso per allora lo privo, e dichiaro decaduto, ancorchè da me, ò da miei Signori Esecutori Testamentarj fosse stato nominato, e voglio, che in tal caso venga eletto altro Cappellano Paesano, che si contenti soddisfare pienamente l'obbligo da me prescritto a tale Cappellania, perchè così &c.*

Contra hanc Fundatoris voluntatem, ut nihil hactenus egerunt Rectores cæterarum Capellaniarum, ita nec quidquam gessit Henricus Cardelli primus Rector hujus, de qua hic agitur, Capellania, illique paruit etiam ad hæc usque tempora hodiernus Capellanus Franciscus Antonius Cardelli. Is tamen progressu temporis expertus, Capellaniæ reditus impares prorsus esse ferendo oneri quinque Missarum qualibet hebdomada, præter sumptum parandorum Suppellectilium, & solutionis Collectarum, quibus Bona Capellaniæ gravantur, supplex ad S. hanc Congregationem, benignam modo petit oneris Missarum reductionem.

Asserit designatum a Testatore Missarum numerum, pro modo eleemosinæ manualis, annuum exquirere reditum scut. 26; his vero addita impensa suppellectilium, & collectarum in annuis scutis septem taxatarum, quantitatem onerum æquare summam scutorum 33.

Patere autem, Capellaniæ reditus non excedere annua scuta 24., nimirum scuta duodecim, quæ percipiuntur ex nonnullis prædiolis, & totidem alia scuta duodecim, quæ reddit census scut. 300.. Concludit itaque, longè inferiores esse reditus oneribus subeundis, ac proinde esse locum illorum reductioni.

Hæc omnia confirmat Eminentissimus Firmanus Archiepiscopus, qui Oratoris precibus indulgendum censet motus ea ratione, quod bona Capellaniæ secundum Testamenti tabulas *taxativè*, ut ajunt, sint destinata.

Notissima, ac usu recepta est distinctio inter fundum demonstrative, vel taxativè relictum. Plura hac super re dicta sunt in folio diei 30. Julij anni nuper elapsi in causa Veronen. Translationis Missarum. Quo modo bona pro dote Capellaniæ fuerint relicta patet ex testamento. Animadvertendum tamen, an prohibitio reductionis expresse a Testatore adiecta, Oratoris petitioni obesse valeat.

His ergo perpensis, definiendum est.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Non proposita, cum reliquis.

Sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.

ANICIEN. DISPENSATIONIS. Matrimonium inierat Maria Anna Charrier cum Joanne Petro Lauffac; qui cum jam phtisi laboraret, paucos post menses diem obiit supremum, matrimonio non consummato. Ex protracta verò Annæ Mariæ cohabitatione cum Carolo Lauffac defuncti Viri Fratre factum est, ut insano amore invicem accensi, rem inter sese habuerint, geminosque filios susceperint. Ad evitanda proindè scandala, depellendamque tum infamiam, tum sceleris pœnam, atque ad consulendum prolis illegitimitati, propriæque conscientiæ, preces Summo Pontifici obtulerunt pro dispensatione a publicæ honestatis impedimento. Sacra hæc Congregatio, cui preces hujusmodi remissæ sunt, audiendum censuit Episcopum, & processum jussit servatis servandis conficiendum. Hoc nunc absoluto, aperienda ab EE. VV. mens est circa petitam dispensationem.

Inquiunt Oratores, Matrimonium cum defuncto Petro Lauffac ratum tantummodò fuisse, sed nunquam consummatum, idque satis rectè evinci ex jurata Mariæ Annæ Uxoris declaratione *Can. extraordinaria cauf. 35. quæst. 3.*, *Vrsaya tom. 3. part. 2. discept. 23. num. 13.*, *& seq.*, nec non ex octo iuratis testibus; atque ex impotentia defuncti ex tali scilicet ejus febri, quæ rei venereæ obsistebat ad *Text. in l. Filium cum ff. de his qui sunt sui, vel alien. jur.*, *Rot. dec. 519. num. 7. part. 2. Recen.*

Hinc inferunt, novo huic matrimonio non aliud obesse impedimentum, quam publicæ honestatis, cujus dispensationem Apostolica Sedes facilius elargiri solet, quoties legitimæ, & rationabiles causæ concurrunt, *Corrad. in prax. disp. cap. 7. num. 21. Card. de Luc. de Matrim. disc. 7. num. 7.*, *Vrsaya tom. 4. part. 1. disc. 12. num. 13.* Inter has verò causas potissimum recenseri tum sobolis procreationem, quando sequuta non fuerit animo dispensationem obtinendi *Reiffenst. in jus Canon. tom. 4. in append. de dispens. super imped. §. 3. num. 49.*, *Fagnan. in cap. quia circa de consang.*, *& affin.*, tum etiam scandalum in Populo, ob prolem ex illicitis amplexibus susceptam adhuc existentem, *Fagnan. loc. citat. num. 7.*, *Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 19. num. 9.* Utramque causam in præsenti casu verificari contendunt.

Addunt, se ita devinctos esse, tum rei pecuniariæ rationibus, (Mercaturæ enim societatem a defuncto viro exercitæ inter

ter ſeſe inierunt, & adhuc ſervant) tum amoris perſeverantia, tum ſuſceptorum Filiorum cura, ut nullo modo divelli invicem poſſint. Quod ſi diſpenſationem non obtineant, tantam fore iuiunt utriuſque deſperationem, ut ambo parati ſint proprium ſolum deſerere, & in longinquas regiones tranſmigrare.

Anicienſis Epiſcopus, etsi convenire videatur circa non ſequutam prioris Matrimonij conſummationem, atque idcircò diſpenſationi aſſentiatur, nihilominus ſuam Epiſtolam in hæc verba concludit = *Cæterum propter rei gravitatem, talis diſpenſationis inſolentiam, & novitatem in Anicienſi Diœceſi, & Locis adiacentibus, pernicioſas, quæ indè oriri poſſunt, conſequentias, negotium iſtud totum Sanctitatis Suæ judicio humillimè ſubmittit.*

De publicæ honeſtatis impedimento, ac de diverſis rerum circumſtantiis, quibus S. hæc Congregatio ſuum pro diſpenſatione vel præbuit, vel denegavit aſſenſum, plura animadverſa ſunt in folio diei 23. Aprilis anni elapſi in Cauſa *Conſtantien. diſpenſationis*. Potiſſimum hic inquirendum, an concludens habeatur probatio non ſequutæ inter Joannem, & Mariam Annam Matrimonii conſummationis. Hac enim deficiente probatione, S. Congregatio preces pro diſpenſatione rejecit, ut in *Pennen. Diſpenſationis* 29. *Maii* 1756.

In una *Leodien. Diſpenſationis* 22. *Maii* 1762. agebatur de Viro, qui jurejurando affirmaverat, Matrimonium non fuiſſe conſummatum, eique deferri poſſe Ordinarius pronunciaverat. Inſuper res erat de Muliere, quæ tabido affecta morbo, paucis a matrimonio elapſis menſibus interierat. Aderant quoque graves cauſæ, nimirum legitimatio prolis, Mulieris diffamatio, periculum ſcandali, aliaque hujuſmodi. His tamen non obſtantibus, qùia Medici non declaraverant, morbum impedimento fuiſſe conſummationi Matrimonij, Sacra Congregatio diſpenſationem denegavit, ut in *Theſaur. Reſolut. tom.* 31. *pag.* 89.

Nec eſt prætereundum, quod concurrentibus expoſitis circumſtantiis facilius diſpenſatio conceditur Viro, qui matrimonium cum Sorore prædefunctæ Uxoris contrahere cupiat, quam Mulieri, quæ Fratri Viri defuncti nubere velit, ut relato *verſ.* 18. *cap.* 18. *Levitici* notat *Rigant. ad reg.* 49. *Cancell. num.*43. Exemplum eſt in *Leodien. diſpenſationis* 10. *Maii* 1755.

His itaque mature perpenſis dijudicent Emi PP.

An ſit conſulendum SSmo pro diſpenſatione ab impedimento publicæ honeſtatis in caſu &c.

Seſſ. 22. decr. de Obſerv., & evit. in celebr. Miſſ.

FAVENTINA APPLICATIONIS MISSARUM. Sodalitium SSmæ Annuntiatæ erectum in Eccleſia Suburbii Civitatis Faventinæ proprium habet Capellanum, qui ab Epiſcopo deputatur; annuum ei penditur ſtipendium ſcutor. 15., eique inſidet onus celebrandi Miſſam in d. Eccleſia ſingulis diebus Feſtis, aliiſque novem diebus ex devotione præſcriptis. Quæſtio nunc orta eſt, an idem Capellanus teneatur tantum Miſſas celebrare, vel debeat etiam eas pro Confratribus applicare, & controverſia, inſtante Sodalitio, judicio EE. VV. deſſinienda proponitur.

Inquit Sodalitium, Miſſas ſemper fuiſſe a Capellanis pro tempore pro ſodalibus applicatas: Clare id evinci tum ex antiquis, & recentibus Capellanorum confeſſionibus de recepto, tum ex libro denominat. *il Campione* anni 1675., tum ex altero liberculo anni 1687. Clarius id ipſum probari & ex ſuppleta proximis diebus ea Miſſæ celebratione, quæ ſtatis diebus omiſſa fuerat, atque etiam ex aucto Capellanis ſtipendio pro modo ſequuti augumenti eleemoſynæ Miſſarum; Nam quum in Miſſæ eleemoſynam ad annum uſque 1633. tradi conſueverint ſex tantum oboli, Capellani ſtipendium non exceſſerit annua ſcuta 11., deinde vero aucta eleemoſyna ad obul. 8. annuum ſtipendium auctum quoque fuerit ad ſc. 13., & demum aucta anno 1671. eadem eleemoſyna ad obolos 10. ſtipendium excreverit ad ſc. 15.

Id ipſum inquit conſonum eſſe univerſali conſuetudini Civitatis, cum Capellani omnes aliorum Sodalitiorum, licet minus ſtipendii habentes, applicationis adhuc onus ſemper ſubierint. Nec majus eſſe ſui Capellani incomodum ob exiſtentiam Eccleſiæ in ſuburbio Civitatis, quum hoc ipſi Civitati cohæreat, ac annexum ſit, nec gravius incomodum præſeferat. Et re vera jam innumeros alios præſto eſſe Sacerdotes paratos eodem ſtipendio ſcutorum 15. ad Miſſas celebrandas, & applicandas.

Epiſcopus late refert rationum momenta a Capellano coram ſe adducta, nempe ex libris Sodalitii nullibi haberi, dicta ſcuta 15. data fuiſſe pro applicatione Miſſarum, ſed tantum vel pro earumdem celebratione, vel nomine officiaturæ, ac etiam titulo mercedis, proviſionis, ſalarii, ſolutionis, ac præſtiti ſervitii: dictarum Miſſarum celebrationem comodo populi fuiſſe inſtitutam; jure proinde, quæ ſtato die omiſſa fuerat, in ſequenti impletam fuiſſe: augumentum item ſtipendii jure fieri debuiſſe ob alia addita Capellano graviora onera, & incomoda excipiendi Sacramentales Confeſſiones, infirmis aſſiſtendi, congregationibus, & frequentibus proceſſionibus interveniendi, & bis in hebdomada Sanctiſſimum exponendi Corpus Chriſti & quidem in remota, ac diſſita Sodalitii Eccleſia extra civitatem in ejuſdem ſuburbio: hanc demum eamdem Confratrum petitionem bis fuiſſe rejectam a duobus Anteceſſo-

ri-

ribus Episcopis, & ob id Capellanos nunquam ex post applicasse. Hæcque omnia Episcopus judicio EE. VV. submittit.

Quamvis onus celebrandi Missam distinctum sit ab onere applicandi, ita ut nil repugnet, quin injungi possit celebratio in certo loco absque onere applicationis, ex præsumpta tamen fundatorum mente communiter recepta est sententia in Beneficiis, & Capellaniis, quod Beneficiatus, seu Capellanus teneatur ad applicationem favore Testatoris, licet sola celebratio præscripta fuerit, quoties contraria non pateat illius voluntas vel expressa, vel ex urgentibus conjecturis elicita juxta plurimas resolutiones S. C. editas in *Tinnen. Applicationis Sacrificii* 18. *Aug.* 1668., *in Spoletana Applicationis* 11. *Janu.* 1710., *in Senogallien. Missarum* 20. *Decemb.* 1731., *& in S. Miniatis Applicationis Missæ* 4. *Decembris* 1734.

Perpendendum hinc, an hæc ipsa regula urgeat contra Capellanum Sodalitii SSmæ Annuntiatæ, qui nullum verum Beneficium, nec Capellaniam possidet: itemque, an tale onus applicationis verosimiliter eidem censeri debeat injunctum: Ante oculos habenda est causa, & finis institutionis hujus Capellani, quantitas reddituum eidem assignata, gravitas oneris injuncti, subsecuta observantia, & consuetudo in aliis Sodalitiorum Ecclesiis.

Sacra Congregatio ia una *Fulginaten. Applicationis Missæ*, in qua PP. Barnabitæ obtinuerant a Sodalitio S. Joannis Decolati Civitatis Fulginei hortum quemdam cum parva area, & domuncula sub ea lege, *che detti PP., e successori perpetuamente siano tenuti, ed obligati dire, e celebrare una Messa il giorno nella Chiesa della Compagnia, e tal Messa si debba dire gratis, e senza altra limosina, come anche siano tenuti amministrare tutti gli Sagramenti di Confessioni, reconciliazioni, ed Eucharistia a benefizio de Confratri di essa Compagnia*, proposito = *An PP. Barnabitæ teneantur applicare Sacrificium*, respondit die 7. Sept. 1737. *Negative, & amplius*.

Proponitur itaque declarandum.

An Capellanus teneatur applicare Missas pro Confratribus in casu &c.

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Angela Eleonora Morroni Firmana anno 1724. Dotem Monasticam reliquit puellis ex sex nominatis familiis, deinde aliis tribus, ac demum puellis omnibus ex nobilitate Firmana, dato primogenitis sex illarum familiarum jure eligendi. Quatriennio post *Benedictus XIII.* indulsit, ut pecuniæ infructuosæ ex perceptis fructibus, quæ reperirentur depositæ, vel non adhuc exactæ, non extantibus puellis vitam cælibem in claustris optantibus, converti possent ad summam *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*

mam uſque ſcut. 500. in dotem puellarum, quæ in ſæculo nuberent, ſervato ordine vocationis.

Anno 1755. die 18. Septembris Antonius Graſſi unus ex ſex primo vocatis familiis, cum aliorum quinque conſenſu, ceſſit in partem dotis *Franciſcæ Filiæ* nupturæ *Dominico Raccamadori* jus conſequendi ſubſidium ſc. 500. ex pio opere Morroni ſine tamen ulla evictionis promiſſione. Edicto autem dici 15. Maij 1766. monitis puellis ad monaſticam Dotem petendam, nulla in termino præfixo dotem petiit.

Verum poſtea dotem poſtulavit die 5. Febr. 1767. Thecla Ruffo, at rejecta ejus inſtantia, tamquam ſerotina, a Primogenitis, diſputatum fuit in Sac. Congregatione, I. *An ſit locus favore Theclæ Ruffo affectioni ſubſidii dotalis pro ejus Monachatione juxta mentem Eleonoræ Morroni in caſu &c.* II. *An, & a quo tempore ſit locus affectioni ejuſdem ſubſidii dotalis juxta Chirographum Benedicti XIII. pro conjugio temporali inito a Franciſca Graſſi Raccamadori in caſu &c.*; ac poſt bis demandatam ſtatus hæreditarii firmationem, reſponſum fuit die 31. Maij 1766. *Ad* I. *Dilata*, *Ad* II. *Negative*, *& aſſigantur edicta, & amplius*. Viden. folia *diei* 28. *Febr.* 1761., 18. *Auguſt.* 1764., *& 31. Maii* 1766., in quibus de facti ſpecie, & de partium rationibus hinc inde diſſeritur.

Termino præfixo, duæ puellæ *Maria Anna Martello*, & *Cæcilia Coſtantini* dotem Monaſticam petierunt. Nunc itaque Conjuges *Franciſca Graſſi*, & *Dominicus Raccamadori*, obtenta venia, iterum poſtulant, ut ſibi relaxetur ſubſidium ſcut. 500., quod anno 1755. fuit eiſdem promiſſum.

Ad I. inquiunt, Theclam intra terminum in novo edicto ſtatutum non comparuiſſe, ipſamque licet monitam jura ſua nunc non deducere: deeſſe proinde ejus petitionem, ac contradictionem. Injuſte præterea petiiſſe dotem, quum hanc aſſequuta fuerit ejus germana ſoror. Theclam igitur putandam eſſe excluſam ex clara Teſtatricis voluntate, quæ nonniſi, quam unum ſubſidium cuilibet generationi largiri voluit.

Ad II. ajunt, Benedictum XIII. jus Primogenitis dediſſe tradendi nupturis in ſæculo dotem ad ſummam uſque ſcutorum quingentorum, hanc vero Franciſcæ natæ ex prædilectis familiis promiſſam fuiſſe anno 1755.: jure proinde ſibi tradendam eſſe. Nec inquirendum, an tempore promiſſionis tanta adeſſet quantitas fructuum depoſitorum, quia ex clara Benedicti XIII. littera ſatis eſt, fructus eſſe exactos, vel decurſos: Cum itaque ex hodierno Ratiocinatoris operis pii teſtimonio habeatur, fructus tunc decurſos extolli ad quantitatem ſc. 638., recte ſibi promiſſam fuiſſe dotem ſcutorum quingentorum.

Nec momenti eſſe, reintegrationes Capitalium ab eo tempore debitas: has enim ignotas fuiſſe tum Ratiocinatori, tum

Pri-

Primogenitis, ideoque bona fide dotem promisisse ex fructibus jam decursis. Præterea reintegrationes fuisse dumtaxat præscriptas anno 1761., unde futuris tantum promissionibus, non vero præteritis obesse posse. Nec ulli puellæ dotem monasticam petenti damnum allatum fuisse, cum nulla intra terminum edicti comparuerit, & nonnisi fere post annum Thecla Ruffo dotem petierit.

Demum advertunt, novo nunc termino puellis in Domino nubendis præfixo, duas tantum puellas *Martello*, & *Constantini* dotem Monasticam petiisse: cum autem etiam dempta reintegratione Capitalium, & detractis hisce Monasticis dotibus, adhuc ex fructibus exactis, & decursis idonea habeatur summa ad promissam sibi dotem sc. 500. præstandam, nulli ideo injuriam, ac damnum irrogari, si promissio executioni demandetur. Ita potissimum suadente etiam æquitate, ne bona fides defraudetur, qua matrimonium sub spe dicti subsidii contraxerunt.

Testatrix voluit = *Che tutti i frutti de miei censi si eroghino in benefizio, e dotazione della pura, e semplice dote ordinaria spirituale per il primo sborso, e resto del noviziato solamente per le figlie femine legitime, e naturali &c. che vorranno farsi Monache*. Videtur idcirco, Testatricem existimavisse, quod tempore dandæ dotis adessent paratæ pecuniæ hæreditariæ.

Benedictus XIII. ad preces Primogenitorum exponentium sæpius contigisse, *come in niuna di dette famiglie nominate, & rispettivamente chiamate vi siano Zitelle &c. atteso che gli frutti, e rendite de Capitali ereditarj a tal fine destinati si trovano infruttuosamente depositati &c.*, potestatem fecit ipsis primogenitis, ut non extantibus puellis dotem Monasticam petentibus, *e non altrimenti, ne in altri casi, di poter liberamente convertire in perpetuo la somma di sc. 500. di dette rendite, che in tali casi, e tempi si troveranno depositate, o maturate anche in assegnare la dote temporale alle Zitelle figlie descendenti &c. servato però sempre l'ordine prelativo, e successivo, ed altre cautele prescritte dalla medesima nel sopraccennato suo Testamento, e non in altra forma*.

Perpendendum hinc, an tempore promissæ dotis Franciscæ tot fructus depositi, vel saltem decursi essent, ut jure Primogeniti, non extantibus puellis dotem monasticam petentibus, temporalem dotem scut. 500. illi promittere potuerint. Ante oculos habendum est *folium diei* 28. *Februarii* 1761., & relatio Emi Archiepiscopi *diei* 10. *Decemb.* 1765., quæ inter monumenta causæ habetur.

Præstat etiam ponderare, num saltem ex æquitate, extantibus nunc idoneis fructibus ad dotem temporalem *Franciscæ*, & ad dotes spirituales dandas duabus puellis *Martello*, & *Constantini*, illa, licet incongruo tempore promissa, tradenda sit, seu potius ipsa æquitas conticescere debeat,

vel

vel a litera Benedictini Chirographi, vel a cessione juris consequendi dictam dotem absque ulla evictione, & tamquam crediti omnino incerti, vel demum a præjudicio aliis successivis puellis obventuro, quæ inposterum dotem spiritualem, vel temporalem ex pecuniis depositis consequi poterunt.

EE. PP. pro sua doctrina, & æquitate perpensis omnibus dijudicabunt.

I. *An sit locus favore Theclæ Ruffo assecutioni subsidii dotalis pro ejus monachatione juxta mentem Eleonoræ Morroni in casu &c.*

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad secundum dubium sub die 31. Maii 1766.*

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ROMANA REDUCTIONIS MISSARUM. Laicalem Capellaniam cum onere unius Missæ quotidianæ, erigi jussit Laura Fani a suo Exequutore Testamentario in termino trium mensium ab ejus obitu computando, ad Altare S. Francisci de Paula in Ecclesia S. Andreæ de Fractis. Primum Capellanum ipsa nominavit Antonium Badalucchi, post cujus obitum perpetuum Capellanum designavit Superiorem pro tempore Conventus S. Andreæ. Pro Fundo Capellaniæ bona nonnulla hæreditaria constituit in quantitate Locorum Montium viginti quatuor: Conditionem verò adjecit, quod Religiosi Minimi ejusdem Conventus, postquam Legatum acceptassent, supplementum efflagitare non possent in quolibet casu vel evictionis, vel Locorum Montium extractionis.

Post obitum Lauræ Testatricis, dubium excitarunt Religiosi Legatarii, an in casu extractionis, seu evictionis Locorum Montium, imminui proportionabiliter deberet Missarum numerus, pro quibus eleemosyna ad rationem dupli fuerat assignata. De hoc requisiti Testatricis hæredes, & Philippus Lecchini Executor Testamentarius, declararunt, *mentem, intentionem, & voluntatem d. Lauræ Fani fuisse, & esse, quod eleemosyna cujuslibet Missæ celebrandæ pro d. Capellania . . . . semper, & perpetuò sit, & esse debeat in juliis duobus pro qualibet Missa*. Quapropter concluſum fuit, quod juxta redituum decrementum, Sacrorum quoque numerus esset minuendus. Sub hac igitur expressa conditione Religiosi capitulariter congregati anno 1734. Capellaniam acceptarunt, seseque obligarunt, nullum in casu extractionis, vel evictionis Locorum Montium supplementum exposcere.

Anno 1743. octo ex Locis Montium cum sexaginta duobus centesimis extracta fuerunt, & Badalucchius Capellanus, qui, & hodiè Capellaniam possidet, Religiosis consen-

sien-

sientibus ea iterum in Locis Montium S. Petri investienda curavit. Ex hoc autem factum est, ut Loca 24. pro fundo Capellaniæ ab initio assignata ad Loca 22., & sexdecim centesima redacta fuerint. Hinc cum eleemosyna Missæ quotidianæ ad rationem dupli non amplius computari possit, Capellanus Missarum reductionem nunc efflagitat.

Contendit itaque, Testatricem eleemosynam duorum juliorum in singulas Missas designasse: Ideo enim Capellaniæ fundum constituisse asserit in Locis Montium 24., ut reditus ad annua scuta 72. ascenderent. Hoc ipsum declaratum fuisse a Testatricis Hæredibus, & Exequutore Testamentario, cui potestas ab ipsa data fuit suam voluntatem declarandi quoad dubia, quæ oriri potuissent. Hujusmodi verò declarationem eo magis esse attendendam, utpotè emissam instantibus Religiosis conventus S. Andreæ de Fractis, antequam erectio Capellaniæ fieret; Nec aliter Religiosos obligationem emisisse de non petendo supplementum, nisi postquam de Testatricis voluntate, ab hæredibus, & Exequutore testamentario pandita, facti sunt certiores. Pluribus denique suadere nititur declarationis ab his expositæ certitudinem, cui nihil quod adversetur, aut repugnet inveniri posse contendit.

Eminentissimus Urbis Vicarius de sua Sententia requisitus, plura animadvertenda proponit, quæ mox relatæ declarationi fidem non immeritò minuunt. Observat enim, Testatricis hæredes, atque Exequutorem Testamentarium, potius Jure Consultorum more, quam uti Testes, ex constitutione fundi in Locis Montium 24., duplicatum stipendium arguisse, cum verosimilius videri possit, duplicatum istud stipendium ideo fuisse constitutum, ut eo minus simplex deficeret, quemadmodum in perpetuis Missarum oneribus evenire solet. Addit ex Testatricis silentio, quoad Missarum diminutionem in casu extractionis, vel evictionis Locorum Montium, rectius inferri, diminutionem hujusmodi nequaquam convenire: Præsertim quia adjecta prohibitio petendi ex hæreditate supplementum, tacitam quoque, sed necessariam diminutionis prohibitionem suadet; alias inanis fuisset conditio, si Missarum onera imminui, vel etiam aboleri possent. Ex his omnibus infert, adeo perspicuam Testatricis voluntatem evadere, ut nec ulli dubio, nec declarationi sit locus.

Verum concludit = *Cæterum si vel prompta discessio scutorum circiter jam sex è totis annuis scutis septuaginta duobus satis ipsa per se commiseranda putetur, vel extractorum conditio Locorum (qui ejus certè generis erant, ut aliis citius extraherentur) evictionisque satis ceteroquin veteris, & obsoletæ vinculum, justæ credantur causæ, cur Testatrix magis studuisse dicatur compendio Capellanorum, quam suffragiorum indemnitati, vel denique*

ſi non parvi eſtimetur qualiſcumque illa fides, qua fuit acceptata Capellania cum eleemoſyna, ut acceptationibus videbatur manſura perenniter ad rationem perpetuæ, nolim ego repugnare qualicumque tandem bono etiam pecuniario Deo ſervientium Eccleſiaſticorum.

Conditio a Teſtatrice appoſita ita ſe habet = *che il ſudetto P. Correttore, e Padri Capitolarmente, ed in forma valida accettino il ſudetto Legato nella forma ſudetta da mè diſpoſto, ſenza facoltà di poter domandare ſupplemento dall'Eredità mia in caſo di qualunque eſtrazzione de ſudetti Luoghi de Monti, o per qualſivoglia altra Cauſa poſſibile* = Inquirendum eſt itaque, an hujuſmodi conditio Miſſarum reductioni reſiſtat in caſu ſequutæ Locorum Montium Extractionis.

Quo verò ad declarationem a Teſtatricis hæredibus, & Exequutore Teſtamentario emiſſam, videndum, qua ratione ipſi ſe geſſerint, quæ fides eiſdem præſtanda ſit. Perpendendum, an rationes ex Teſtamenti contextu deſumptæ tanti ponderis ſint, ut dictæ declarationis æquitatem ſuadeant. Ponderandum, an in præſenti quoque caſu hæredes, & Exequutor Teſtamentarius ita conſcii cenſeri debeant voluntatis Teſtatricis, ut declarationi locus fuiſſe videatur.

Denique non eſt prætereunda reflexio, quod redituum decrementum in quantitate ſolum ſex evenit; Quare videndum, an hujuſce ſummæ diminutio, ſuperextantibus pro Capellano aliis ſcutis 66., eumdem Capellanum commiſeratione dignum ita reddat, ut petitæ reductionis ſit indulgendum.

His ergo perpenſis EE. PP. decernent.

An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.

Die Sabbathi 29. Julii 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis, de jure reſolvenda.

HAbent Eminentiſſimi PP. quatuor Cauſas, quas præſens folium exhibet. Reliquas verò deprehendent ex folio præcedentis Congregationis, pro cujus reſumptione exorantur.

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM. *Seſs. 25. cap. 5. de Reform.*
An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum, in caſu &c.

Dilata, & reproponatur Cauſa citatis Exequutoribus teſtamentariis, aliiſque intereſſe habentibus.

ANICIEN. DISPENSATIONIS. *Seſs. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.*
An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ab impedimento publicæ honeſtatis, in caſu &c.

Negativè.

FAVENTINA APPLICATIONIS MISSARUM. *Seſs. 22. decret. de obſerv., & evit. in celebr. Miſs.*
An Capellanus teneatur applicare Miſſas pro Confratribus, in caſu &c.

Non propoſita.

Sess 24. cap. 1. de Reform.

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

I. *An sit locus favore Teclæ Ruffo assecutioni Subsidii dotalis pro ejus monachatione juxta mentem Eleonoræ Morroni, in casu &c.*

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis, quoad secundum dubium sub die 31. Maji 1736.*

Ad I. Dilata. Ad II. In decisis, & amplius.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

ROMANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, in casu &c.

Negativè.

Sess. 22. cap. 1. de Reform.

URBANIEN. Instante Collegio Mansionariorum Civitatis Urbaniæ, Causa hæc relata fuit in folio diei 27. elapsi mensis Junii. Verùm ad preces Promothoris Fiscalis Curiæ Episcopalis, dilata tunc fuit ad hodiernam diem resolutio, edito rescripto = *Dilata ad primam post proximam omninò* = Obsequendo igitur EE. VV. mandatis Causa iterum modo proponitur; Cumque nihil hactenus ex parte Promothoris Fiscalis deductum fuerit, rogantur folium mox relatum benignè resumere, & secundum ea, quæ animadversa sunt, his dubiis respondere

I. *An a Collegio quinque Mansionariorum a s.m. Urbano VIII. erecto in Cathedrali Ecclesia Urbaniæ applicari debeat Missa pro Populo, in casu &c.*

II. *An dictum Collegium Mansionariorum consequi debeat Decimas, & Quarteria, & alia pro dote a d. san. mem. Urbano VIII. ipsis Mansionariis in dicta Ecclesia assignata, in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 24. cap. 1. & 6. de Reformat. Matrim.

OLOMUCEN. NULLITATIS MATRIMONII. In Arce Byrava sub dominio Borussico aderat nobilis Adolescentula vix annorum 14. nomine Leopoldina Baronissa de Poppen, quæ Parentibus orbata apud Tutricem educabatur. Accidit autem, ut nobilis Vir Fridericus Er-

ne-

neſtus Comes de Giannini, in Auſtriacis Copiis Pedeſtrium Schlopetariorum Vice-Columnellus, nocturno tempore, militari habitu ementito, ſecumque adductis 24. Huſſaris, Byravium profectus die 24. Novembris 1744., ingreſſuſque ædes Baroniſſæ de Poppen, eam ſecum tulerit, aſcenſoque curru ambo diſceſſerint.

Ubi primum pervenerunt ad Oppidum Fulnekæ in proximâ Regione Auſtriaca ſitum, ſteterunt coram Capellano Campeſtri Ordinis Minorum, ac duobus adhibitis Teſtibus, matrimonium die 10. Decembris ejuſdem anni celebrarunt: Indeque iter proſequuti, Olomucium ſe contulerunt, Urbem Moraviæ principem, ubi lares retinebat ejuſdem Comitis Giannini Frater Patruelis, apud quem relicta Baroniſſa de Poppen, liberè ibidem eſt converſata.

Orto autem dubio de hujuſce matrimonii validitate, Epiſcopus Olomucenſis ambos monuit, ac prudentes Viri ſuaſerunt, ut ſejunctim viverent, & Baroniſſa in locum tutum ſe reciperet. Verùm neglectis hiſce monitis ſeſe contulerunt ad Fortalitium quoddam Kradiſtium nuncupatum, ubi poſt moram quinque menſium, coram illius loci Parocho, & duobus Teſtibus, matrimonii conſenſum die 16. Januarii 1746. renovarunt.

Cum autem Bona Baroniſſæ de Poppen poſita ſub dominio Boruſſico ſequeſtrationem paſſa fuerint a Loci Magiſtratu, ob rumorem, qui jam invaluerat de raptu ejuſdem Baroniſſæ a Comite Giannini patrato, edidit eadem Baroniſſa declarationem, qua faſſa fuit, ſpontè, ac voluntariè a præfato Comite Giannini ex Arce Byravienſi fuiſſe abductam. Hac igitur ſtante declaratione, Princeps die 18. Februarii 1746. ſequeſtrum revocari mandavit.

Gravibus deinde ſubortis diſſidiis inter Baroniſſam de Poppen, & Comitem Giannini, Baroniſſa fugam arripuit, & in Boruſſiam profecta eſt, ubi die trigeſima prima Januarii 1752. a Catholica Fide miſerrimè defecit, in Lutheranam hæreſim dilapſa. Tunc igitur Comes Giannini apud Boruſſiæ Tribunalia inſtitit, ut Baroniſſa ad ſe redire compelleretur: Contra vero Baroniſſa libellum obtulit, exponens raptus violentiam, defectum præſentiæ Parochi in celebratione matrimonii, & ſævitias, quas a Viro paſſam fuiſſe aſſerebat; his de cauſis petiit declarari, invalidum fuiſſe matrimonium cum Comite Giannini contractum.

In Tribunalibus Boruſſiæ diſcuſſa Cauſa fuit ſecundum Juris Proteſtantici principia, divortium permittentia, quando inter Conjuges odia, ac diſſidia interceſſerint, & animorum abalienatio deprehendatur. Declaratum proinde fuit ex capite implacabilis odii Baroniſſam inter, & Comitem Giannini *vinculum Matrimonii ex parte Appellatæ ſolvendum, & ei liberè relinquendum aliud Matrimonium ineundi*. Prodiit

diit hæc ſententia anno 1754., & confirmata deinde fuit annis 1755., & 1756., rejecta appellatione a Comite Giannini expoſtulata.

Novem poſtea revolutis annis, die nempe 16. Februarii 1765 Comes Giannini inſtetit apud Conſiſtorium Epiſcopale Olomucenſe, nullum declarari matrimonium a ſe initum cum Baroniſſa de Poppen, tum ex cauſa *Raptus*, tum etiam *deficientiæ proprii Parochi*. Cauſa tamen cecidit, quum pluribus allatis documentis, nonnulliſque inductis Teſtibus, formiter etiam repetitis, ſententia prodierit matrimonii validitatem declarans. Appellatione verò interpoſita ad Sac. Congregationem, eadem Cauſa definienda modo proponitur.

Ex duplici itaque capite irritum fuiſſe matrimoninm contendit Comes Giannini, tum ſcilicet ex *Raptu*, tum ex *defectu præſentiæ veri Parochi*. Raptum ſatis probari aſſerit ex duplici teſtimonio Parochi Byravienſis, qui præſens fuit, ſuiſque oculis aſpexit, Baroniſſam terrore repletam, ac renitentem per Militum manus violenter abductam fuiſſe. Inſuper ex ipſius Baroniſſæ confeſſione pandita in ſupplici libello oblato, dum apud Tribunalia Boruſſiæ pro matrimonii diſſolutione inſtetit. Ac demum etiam ex ſui ipſius confeſſione, de qua mentio habetur in decreto Tribunalis Boruſſiæ anni 1753.. Nec ullius eſſe roboris contrarias Baroniſſæ declarationes, quæ irritæ cenſeri debent, utpotè obſignatæ, dum ea adhuc in Raptoris poteſtate manebat ex cenſura *Concil. Trid. ſeſſ.24.de Reform.cap.6.*, *Ferrar.Bibl. canon. verb. impedim.matrim. art.2. num.127.*, *Perez de Matrim. diſput.38. ſect.3.num.2.*. Maximè quia non deſunt poſteriores Baroniſſæ declarationes, editæ in ſtatu libertatis, quæ his adverſantur, & quibus tantummodo fides eſt adhibenda, *Rot.dec.498. num.14.par.14.*, *dec.305.num.3.*, *& dec.162. num.3. & 4. part.15. Recent.*

Aſſerit præterea, attendendos non eſſe Teſtes raptum excludentes, cum omnes loquuti fuerint *ex ore*, ac *de auditu* ab ipſamet Baroniſſa de Poppen, quæ adhuc ſub arctiſſima Raptoris cuſtodia manebat, *Rot. dec. 305. num. 1. & ſeq. part.15.*, *& dec.250. num.18. part. 16. Recent.*. Multoque minus adhibendam eſſe fidem Canonico Quentell affirmanti Sponſalia inter Comitem Giannini, & Baroniſſam de Poppen inita fuiſſe ante raptum, tum quia teſtis ſingularis eſt, & ab aliis reprobatus, tum etiam quia inane conſilium dederat Baroniſſæ, ut ad evitandum fornicarium coitum in locum tutum ſeſe reciperet, cum ſatis fuiſſet, ut a Viro tantummodò ſejungeretur.

Perperam reponi, dicit, Baroniſſam tum Olomucii, tum in Oppido Kradiſtij liberè converſatam, tantaque libertate fuiſſe potitam, ut facilè aufugere potuiſſet. Conſiderandum quippe proponit Comes Giannini, Olomucium, &

Op-

Oppidum Kradiſtij longe a Boruſſiæ ditione, & a propriis Baroniſſæ laribus diſtare: Adfuiſſe præterea prope Olomucium Auſtriacos Milites; arma undique in Boemia, Moravia, & Sileſia Auſtriaca reſonaſſe: Tranſeundum neceſſariò fuiſſe per Caſtra, quibus ipſe præerat; multa pecunia opus fuiſſe ad longiſſimum iter ſuſcipiendum; ac tandem Baroniſſam a famulis Comitis fuiſſe ſemper comitatam. Ex his omnibus concludit, aufugiendi libertatem excludi, ac potius impoſſibilitatem evinci.

Ad alterum nullitatis caput progredieus Comes Giannini, ſuſtinet *defectum proprii Parochi* ex eo patere, quod Capellanus Campeſtris, coram quo matrimonium *Fulnekæ* celebratum extitit, neutrius ex contrahentibus eſſet Parochus. Non quidem Baroniſſæ, quia hæc ſuberat Parocho Byravien., ubi domicilium habebat. Neque Comitis Giannini, quia hic adſcriptus non erat Cohorti, ſeu Regimini Inſurgentium Hungarorum, ſed erat Vice-Columnellus Pedeſtrium Schlopetariorum apud Campi Mareſchallum de Traun, & ad Latus Sereniſſimi Caroli a Lotharingia, proindeque ſubjectus Parocho majori omnium ſupremorum Officialium, ut ex Brevi Apoſtolico ſan.me.Benedicti XIV. diei 20.Martii 1741.

Eamdemque ob cauſam irritam fuiſſe ſuſtinet conjugalis conſenſus renovationem anno 1746. factam coram Parocho Oppidi Kradiſtj, cum & ipſe Comes, tanquam unus ex Supremis Officialibus, & Baroniſſa, utpote Virum proſequi coacta Capellano Majori, uti proprio Parocho, ſubeſſent. Perperamque ad tuendam conſenſus renovationem opponi, dicit, *tam dictum Comitem, pro tunc reſtituta pace, Militem vagum nulli Supremo comando aggregatum, tam Baroniſſam, quaſi domicilium nactos fuiſſe Kradiſtij*. Reſpondet enim, facultates Capellanorum Majorum nequaquam ceſſare, ſi reſtituta pace Legionarii Milites otio diffluant in æſtivis, aut hybernis ſtationibus. Præſertim, quia renovatus conſenſus extitit, quando obſignata quidem fuerant pacis fœdera, non tamen ab Auguſtiſſima Imperatrice, & ab Aula Boruſſica ratihabita.

Animadvertit inſuper, ad acquirendum domicilium firmum animum, conſtantemque requiri aliquo in loco permanendi, *Sanchez de Matrimon. lib.3.diſput.23. num.14., Barboſ. de offic. Epiſcop. part.3. alleg.31. num.64., & de Paroch. part. 2. cap. 27. num. 35.* Hunc verò animum ipſum Comitem Giannini habere non potuiſſe, utpote quia tanquam Supremus Officialis arma ſuſcipere, & Caſtra huc, illuc ſequi cogeretur. Et revera permanendi animum ex eo excludi, quod viatoriam tantum, & militarem ſupellectilem ſecum adſportaverit.

Addit præterea, matrimonii validitati nihil favere decreta Tribunalium Boruſſiæ annorum 1754., 1755., & 1756.,

qui-

quibus matrimonii vinculum ex uno tantum capite implacabilis odii fuit diſſolutum. Obſervat enim decreta hujuſmodi prodiiſſe juxta principia *Juris Proteſtantici*; Cauſas verò raptus, & defectus Parochi innixas eſſe Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii diſpoſitioni.

Demum nihil obſtare ſuſtinet ſilentium annorum novem, quo Comes acquievit. Id enim factum fuiſſe affirmat, ut interim per lapſum temporis præſcripta remaneret actio pœnarum contra Raptores indictarum, quæ ſpatio annorum viginti de jure præſcribitur, *Farinace. in prax. crimin. tom.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 68., *& quæſt.* 10. *num.* 1. 3. 4.. Advertit inſuper coactum fuiſſe ſilentium, quia ipſe Comes Caſtra ſequutus fuit ob bella ardentiori impetu excitata, nec idcirco ſua jura deducere potuiſſe, quæ tamen in medium proferre non prætermiſit, ſtatim ac ab armis ceſſatum eſt. Cæterum concludit nunquam per lapſum temporis, diuturnamque acquieſcentiam revalidari poſſe matrimonia, quæ irrita fuerint ab initio.

Defenſor verò Matrimonii contra tuetur, neque ex cauſa *Raptus*, neque *ex deficientia proprii Parochi* irritum cenſeri poſſe hoc, de quo agitur, matrimonium. Non quidem ex cauſa raptus, de cujus eſſentia eſt, ut vis in invitam, & renuentem illata fuerit *ad Textum in cap. Cum cauſam 6. de Raptor.*, *Gonzalez in lib.* 5. *decret.tit.* 17. *de Rapt. ad cap.* 7. *ſub num.* 3., cum ex Teſtibus formiter repetitis ſatis conſtet, Baroniſſam de Poppen volentem, & maximè optantem è loco Byraviæ fuiſſe abductam. Hiſce autem Teſtium depoſitionibus expreſsè ſeſe ſubmiſiſſe Comitem Giannini, ubi primum facta ei fuit illarum communicatio, nec proinde licere ab iiſdem depoſitionibus recedere *Cap. quod ſemel de reg. jur. in 6.*, *Cap. cum in multis in fin. de reſcript.*

Deſpiciendam autem eſſe depoſitionem Parochi Byravienſis, tum quia unicus eſt, & ſingularis, *Cap. Licet §. Quamquam de probat.*, *Rot. dec.* 5. *ſub num.* 9. *de Tutor. cor. Falcòner.*, tum etiam quia ab aliis Teſtibus proſternitur ejus aſſertio, quæ idcircò intelligi ad ſummum poſſet de ficta, & ſimulata Baroniſſæ repugnantia. Nullamque rationem habendam eſſe ſuſtinet de Baroniſſæ declaratione in Tribunalibus Boruſſiæ emiſſa, cum eam in proprium ſui commodum ediderit, *Cap. ſi Teſtes §. Nullus*, *& §. Omnibus cauſ.* 3. *quæſt.* 2. *&* 3., *Leg. Nullus* 10. *ff. de Teſtib.*, *& L. Omnibus* 10. *Cod. eodem tit*. Eoque magis hujuſmodi declarationem eſſe rejiciendam, quia agitur de matrimonii diſſolutione, quo in caſu non aliæ admittuntur probationes, niſi quæ graves, ac perſpicuæ fuerint, omnique exceptione majores *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *diſput.* 45. *num.* 3., *Panimoll. dec.* 19. *num.* 4. *& ſeq.*

Immeritò autem produci affirmat confeſſionem a Comite Giannini emiſſam de raptu ab ipſo patrato, cum ea non ex

alio

alio fonte eruatur, quam ex initialibus verbis cujusdam Decreti Tribunalis Oppolienus sub ditione Borussica existentis. Quin immo advertit, ex ejusdem Decreti verbis erui tantummodo raptum materialem, non verò formalem; quod etiam confirmatur ex eo, quod dictus Comes ad tertiam usque instantiam contradixerit Baroniss formalem raptum alleganti. Et minus rectè ad formalem hunc raptum suadendum proponi, quod Comes ingruente jam nocte militibus stipatus, ac ementitis vestibus Byraviam accesserit: Hæc siquidem omnia necessariò ab eo præcavenda fuisse dicit, ne in hostium manus incideret, propriamque vitam periculo exponeret, quippe quia hostilem in locum sese conferre debebat, Borussiæ ditioni subjectum, ubi acerrimum tunc bellum efferveſcebat.

E'converso nullo modo dubitari posse contendit de consensu a Baroniſſa præstito, ut a Comite Giannini abduceretur; cum hoc resultet ex pluribus, certisque ejusdem Baroniſſæ declarationibus sæpius repetitis, ac Testium depositionibus quoque roboratis, quæ tunc editæ dignoscuntur, quum commodam, hilaremque vitam ducebat, & in omnimoda libertate constituta facile, ad Episcopum Olomucensem recurrere potuisset, & a Comitis consortio sese subtrahere, quin tamen ne suasionibus quidem unquam induci potuerit, ut ab eo sejungeretur. Nec ad excludendam libertatem opponi posse famulorum comitatum, cum isti non ad obsidionem, aut fugæ periculum præcavendum, sed pro decore, nobilique Baroniſſæ, & Comitis conditione essent destinati.

Hæc quoad *Raptum* Matrimonii Defensor animadvertenda proponit: Quo verò ad alterum nullitatis caput respiciens defectum proprii Parochi, asserit Matrimonii consensum ritè a Comite Giannini, & a Baroniſſa de Poppen fuisse renovatum coram Parocho Oppidi Kradistij, ubi plurium mensium spatio permanserant, prout disertissimè deposuerunt Testes, & ipsemet Parochus, & hunc perperam, nullaque ratione notari, tanquam *senem deportanum*, *fermè stupidum*, *nimium facilem*. Negat deinde ad legitimam consensus renovationem opus fuisse, ut Baroniſſa in loco tuto, ac libero, juxta Concilii dispositionem constitueretur, cum id nullimodè requiratur, quoties formalis raptus ex jam deductis non verificetur. Verùm quatenus etiam subsisteret, adimpletum tunc fuisse, ait, Conciliari dispositioni, quando Comes Giannini Viennam perrexit, & Baroniſſam Kradistij reliquit, quo tempore ipsa libera, & satis tuta remanserat.

Constare insuper ex Testibus, Baroniſſam de Poppen ob multam pecuniam in ludos Olomucii effusam, variasque contentiones ea in Civitate inter nobiles excitatas, quarum causa contemptui haberi cœperat, ab eadem Civitate sta-

tuisse discedere, ad Oppidum Kradistij cum Comite Giannini se transferre, ibique majori anni parte commorari. In ea autem mora post quintum mensem matrimonii consensum renovasse. Dubitari proinde non posse de hujusce actus validitate, cum ad matrimonium validè ineundum satis sit, ut Conjuges unius saltem mensis spatio habitaverint in loco, ubi fuit celebratum, *Fagnan. in cap. significasti de Parochiis, Bened. XIV. in Constit. Paucis ab hinc diei 19. Martii* 1758.

Ad excludendum verò animum permanendi nihil obesse subdit, vel quod Comes Giannini Castra sequi tunc teneretur, propter bellum cum Borussis vigens; vel quod domum bene instructam Kradistij non haberet, sed viatoria tantum, & curta supellectili militari more permanserit. Observat enim ad primum, Comitem Giannini non semper in exercitu, ac inter militares copias versatum fuisse, sed aliquo tempore a Castris abfuisse, ut passim solet evenire. Ad alterum verò respondet, unicum tantum Testem de exigua ejusdem Comitis supellectili deponere, atque idcircò rejici oportere: Insuperque addit novum esse, quod ad acquirendum domicilium ampla supellex, & magna Domus requiratur.

Tandem objici non posse, dicit, Breve san. mem. Benedicti XIV. præcipiens, quod Matrimoniis contrahendis inter personas, quarum una sit Militiæ adscripta, altera verò proprium habeat Parochum, interesse debeat, tum proprius unius Parochus, tum etiam Militaris Capellanus. Advertit enim dictum Breve intelligi, ac comprehendere tantum personam militarem, quæ *ob accidentales, & temporaneas sive hybernas, sive æstivas, aut præsidiales stationes ibi pro tempore commoretur*, sed talem non fuisse Comitem Giannini, qui neque stationis causa in loco Kradistij morabatur, neque ibi milites, eorumque Capellanus aderant. Verùm observat ulterius, nullum in eodem Brevi reperiri verbum, quo matrimonia aliter contracta irrita declarentur, atque hinc inferri, matrimonia hujusmodi illicita quidem esse, non tamen irrita.

Raptus, qui matrimonium dirimit, definiri solet: *Violenta fœminæ abductio de loco ad locum matrimonii causa*. Hæc autem abductio vel debet esse physica, idest, per violentam manuum injectionem, vel moralis, scilicet per minas, & gravem metum.

Varia fuit olim Ecclesiæ disciplina circa hujusmodi raptus impedimentum. Ex dispositione nonnullorum Canonum, qui sæculo VII., & sequentibus prodierunt, non immeritò colligunt nonnulli, raptum in quibusdam Ecclesiis fuisse olim impedimentum, quod perpetuò Raptorem inter, & Raptam matrimonium dirimebat, adeout nec per spontaneum Mulieris raptæ consensum revalidari posset, etiam-

si

si in loco tuto, & extra Raptoris potestatem præstitus fuisset. Viden. *Sanchez de Matrimon. lib. 7. disputat. 12. numer. 41.*, *Basil. Ponc. de impedimen. matrimon. cap. 39. vers. dixi quidem.*

Idipsum innuere videtur Canon apud *Gratianum conf. 36. quæst. 2. c. 11.* in hæc verba = *Placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, vel seducunt, eas nullatenus habeant Uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu Parentum suorum acceperint* = quod quidem a Burchardo, & Ivone desumitur etiam ex Concilio Aquisgranensi *can. 3.*, & habetur quoque *in lib. 7. Capitul. Regum Francorum cap. 395.*, indeque refertur in Concil. Rhemen. *cap. 8.*

Sæculo autem XI., & sequentibus, veteri moderato rigore, validum haberi cæpit matrimonium Raptorem inter, & Raptam, dummodo spontaneus istius consensus superacceSSisset. Hinc Innocentius III. requisitus ab Episcopo Saronen., seu Glasconien., aut Craconien.: *Utrum si rapta Puella, & in alienam delata Diœcesim, in Ecclesiæ facie consenserit in Raptorem, matrimonium hujusmodi legitimum sit habendum?* respondit *Cap. Accedens 7. de Raptoribus*: *Rapta Puella legitimè contrahet cum Raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuerit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum sint legitimæ personæ.*

At Tridentina Synodus *sess. 24. cap. 6. de Reformat. Matrimon.* expendens, quam parum fidendum sit consensui a Puella præstito, quandiù est in potestate Raptoris, decrevit, *inter Raptorem, & Raptam, quamdiù in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium.* Permittit tamen, ut *si Rapta a Raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in Virum habere consenserit, eam Raptor in Uxorem habeat.*

Variæ deinde circa hujusce Conciliaris decreti intelligentiam a Theologis, & Canonistis excitatæ sunt quæstiones. Illa, cæteris prætermissis, præcipua fuit, circa raptus essentiam, & naturam, utrum scilicet raptus dici debeat, quando Puella lubens, & volens abducta fuerit, invitis tamen, & reclamantibus Parentibus, Tutoribus, aut Curatoribus, & aliis, sub quorum cura, & potestate, vel educatione permanserit. Affirmant magni nominis Doctores, quos refert *Ferrar. Biblioth. can. verb. Impedim. Matrimon. art. 2. num. 120.*, qui tamen loquuntur in casu, quo vel Sponsalia, vel de Matrimonio ineundo tractatus non præcesserit.

Innituntur iidem Doctores antiquo Canoni Concilii I. Aurelianensis anno 511. celebrati *cap. 4.*, in quo legitur: *Si vero quæ rapitur patrem habere constiterit, & Puella Raptori consenserit, potestati Patris excusata reddatur, & Raptor Pa-*

tri superioris conditionis satisfactioni teneatur obnoxius = Quem in locum Gratianus inquit: *Ex hac auctoritate liquet, quod aliquando vis infertur Parentibus, & non Puellæ.* Addunt sententiam D. Thomæ 2.2. *quæst.* 154. *art.* 7. *in corp.*, dicentis: *Violentia quandoque infertur tam ipsi Virgini, quam Patri, quandoque autem infertur Patri sed non Virgini, puta cum ipsa consentit, ut per violentiam de domo Patris abstrahatur .... qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus.* Hinc *Card. de Luc. discur.* 28. *ad Concil. Trident. num.* 5. huic sententiæ inhærens, hæc habet = *Idque verum, atque ab hac Sacra Congregatione declaratum, etiamsi de Tutore, vel alio Æducatore agatur, quoniam consensus Puellarum, quæ nimium de facili subjacent seductionibus, non videtur habendus in consideratione.*

Alii tamen Doctores tentiunt, ad excludendum raptum dirimentem Matrimonium, satis esse, ut absit violentia Fœminæ illata; proindeque tuentur, quod si Puella consenserit, ut abducatur, quamvis Parentes, seu Tutores reclamaverint, non indè oriatur impedimentum raptus, quo Matrimonium dirimatur. Rationem autem adducunt, quod Concilium Tridentinum *in citat. cap.* 6., præcavere tantum voluerit, ne matrimonii lædatur libertas, quæ utique non læditur, quum Puella consentiens, invitis etiam Parentibus abducitur. Asserunt enim matrimonii libertatem pendere solum a consensu Puellæ nubere volentis, non autem a voluntate Parentum, quibus etiam renuentibus matrimonium validè contrahi potest, ut Concilium declaravit *cap.* 1.

Animadvertunt præterea, nequaquam decrevisse Concilium, ut Puella rapta, Parentibus, Tutoribus, aut Æducatoribus restituatur, sed solùm, quod sit *a Raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta.* Ad auctoritatem D. Thomæ respondent, loqui ibidem tantummodo de Puella quomodocumque Parentibus rapta, sed non ideo impedimentum matrimonium dirimens deduci; cum raptus, qui fiat invitis tantum Parentibus, præjudicium nulluminferat Puellæ libertati, cui solum prospicere voluit Concilium, nulla de cætero habita ratione consensus Parentum, aut Tutorum, quibus etiam invitis, & reclamantibus matrimonium firmum esse decrevit.

Verùm Canonistæ omnes, & Theologi conveniunt in eo, quod si post initum de Matrimonio tractatum, vel post Sponsalia jam contracta, Puella consentiat, ut è domo Patris, aut Tutoris inviti, & contradicentis abducatur, tunc cesset raptus Matrimonium dirimens. Id aperte colligitur ex *cap. Cum causa de Raptoribus*, in quo Lucius III. Nonhebergensi, seu Neuburgensi Episcopo ita respondit: *Cum ibi raptus dicitur admitti, ubi nihil ante de nuptiis agitur, iste Raptor dici non debet, cum habuerit Mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, licet Parentes forsitan reclamarent.*

Quæ-

Quærunt itaque Canoni ſtæ, quando revera dicatur Puella in poteſtate Raptoris, ut juxta relatam Tridentini Concilii diſpoſitionem raptus impediat Matrimonium inter eos contrahendum? Aloyſius Riccius *in praxi part. 4. reſolut. 455.*, propoſito ſibi dubio reſpondet, id locum habere, *quoties Raptæ aditus non conceditur liberè de aliqua re diſponere, nec ſuam liberam voluntatem coram aliquo deducere.* Hoc deſumi probat ex *L. in vinculis ff. de verb. ſignificat.*, ubi DD. omnes paſſim.

His ad propoſiti dubii definitionem opportunè præmiſſis, inquirendum primò eſt, an ſatis conſtet de Sponſalibus, quæ à Comite Giannini inita aſſeruntur cum Baroniſſa de Poppen, priuſquam iſta abduceretur.

Scrutari præterea præſtat, an eadem Baroniſſa invita, ac verè reluctans a Comite Giannini abducta fuerit, itaut non materialis, ſed formalis raptus Matrimonium dirimens verificetur. Denique perpendendum eſt, an fides adhibenda ſit perſpicuis, ac ſæpius repetitis Baroniſſæ confeſſionibus, quibus volentem ſe, & conſentientem, maximoque cum gaudio abductam fuiſſe declaravit. Hujuſmodi profecto declarationes tanti ponderis habitæ ſunt, ut nemo unquam dubitaverit de hujus Matrimonii validitate ex cauſa raptus, ſed illius nullitatem ſolùm deſumpſerint ex defectu proprii Parochi. Hinc Canonicus de Quentell formiter examinatus a Conſiſtorio Olomucen., faſſus eſt, ex ore Epiſcopi audiviſſe, quod Baroniſſæ propoſuerit: *Cum hæc per Patrem campeſtrem peracta copulatio circa valorem valdè dubia, & periculoſa eſſe appareat, ut ſe ad locum tutum in facie Epiſcopi ad Monaſterium Urſulinarum recipiat, & a ſuo Domino Marito Comite de Giannini ſeparata aliquo tempore vivat.* Quibus verbis deprehenditur, non raptum, ſed proprii Parochi deficientiam dubitandi cauſam de matrimonii validitate præbuiſſe.

Quod igitur ſpectat ad hoc alterum diſputationis caput circa Parochi defectum, vulgatiſſima ſunt, quæ Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformat. Matrimon.* hac ſuper re diſponit. Quæſtio tamen eſt inter Doctores, qualis habitatio requiratur, ut quis alicui Parocho ſubditus dici poſſit. Varias ipſorum opiniones refert *Fagnan. in cap. Significavit de Parochis num. 20. & ſeq.*, eamque præ cæteris amplectendam cenſet, quæ ſtatuit *ex ſola habitatione quem efficiſi Parochianum alicujus Eccleſiæ, dummodo non ſit ibi recreationis gratia, vel ad ruralia exercenda, aut ex alia brevi cauſa, ſtatim reverſurus ad propriam Parochiam.* Sententiam hanc, utpotè veriſſimam pluribus ille probat argumentis, ac demum concludit, probatam quoque fuiſſe ab iſta Sac. Congregatione, juxta exempla, quæ profert. Aliæ ipſius S. Congregationis reſolutiones hac ſuper re editæ, habentur *in Theſaur. reſolut. tom. 2. pag. 284., & apud Benedict. XIV. Inſtit. 33.*

Ex

Ex his ergo patet, ad acquirendum domicilium pro Matrimonio validè incundo, haud opus esse, ut quis longo tempore aliquo in loco permanserit, ac animum habuerit vel nunquam ab eo recedendi, vel saltem per longum tempus ibidem permanendi, sed satis esse, ut unius mensis spatio habitaverit in loco, ubi Matrimonium celebratur. Hinc referente eodem Fagnano *loco cit. num. 39. Cum Vir, & Mulier Trajectenses timentes impedimentum a Parentibus ad vicinam Urbem Aquisgranam se contulissent, & ibi aliquandiu morati Matrimonium contraxissent, Sac. Congregatio consulta super validitate censuit, exprimendum tempus, quo Contrahentes Aquisgranæ manserunt. Quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* Reliquis autem in hac quæstione prætermissis, ponderare sufficit, quod s.m. Benedict. XIV. in *Constit. Paucis ab hinc die 19. Martii 1758. in appendic. altera tom. 4. Bullar.*, cum expenderet, quid requiratur ad acquirendum quasi domicilium, innixus Sac. Congregationis declarationibus a Fagnano relatis, non aliter responderi posse dixit, *nisi quod antequam Matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi Matrimonium celebraverit.* Sicuti verò nihil a Sac. Congregatione definitum agnovit, circa tempus protractæ eo in loco habitationis, idcirco a definitione hac ipse abstinuit. Cæterùm advertendum, hæc locum ibi non vindicare in casu, quo domicilium dolo, & fraude fuerit electum, animo scilicet Matrimonium contrahendi in fraudem Concilii, & veri Parochi, ut S. Congregatio *loc. sup. cita.* pluries declaravit.

Ponderandum itaque, quo animo Comes Giannini, & Baroniſſa de Poppen Kradistij permanserint. Testes ex ipsorum ore audivisse deponunt, Kradistium petiisse animo permanendi per majorem anni partem, & quasi domicilium contrahendi. Nec defuit causa, ob quam ad illum locum ambo secesserint, quia nempe Baroniſſa *Olomucii multam pecuniam in lusu perdiderat, & inter nobilitatem varias, & inconsideratas lites incæperat, propter quas sensim contemni cæperat.* Parochus autem Kradistij testatus est, *eos in quintum mensem Kradistij commorantes*, coram se, & duobus Testibus consensum renovasse.

Verùm quia proprii Parochi defectus ex eo etiam desumitur, quod Comes Giannini, utpotè militiæ adscriptus, tantummodò majori Capellano subesset, idcircò accuratè perscrutandum est Breve Apostolicum fel. recordat. Benedicti XIV. diei 20. Martii 1741. . In hoc itaque facultas primo facta est Capellano majori Exercituum pro tempore deputato per se, vel per alios Sacerdotes debita forma ab ipso subdelegandos, administrandi Militibus, aliisque utriusque sexus personis ad Exercitus quomodolibet spectantibus, *omnia Ecclesiæ Sacramenta, etiam*

ea, quæ nonnisi per Parochialium Ecclesiarum Rectores ministrari consueverunt. Deinde sic pergit Pontifex: *Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Capellanus major pro Sacramentis etiam Parochialibus Militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum Exercituum ministrandis, ut præfertur, deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeant erga Milites præsidiarios, qui continuæ Arcium, seu aliorum locorum custodiæ adscripti sunt, quos eorumdem locorum Parochis, & Ordinariis in omnibus, & per omnia subesse debere declaramus; Sed dumtaxat erga Milites, & Personas Exercituum præfatorum ad vagas belli operationes destinatas, tum ubi in actuali expeditione reperientur, tum etiam cum in quibuslibet accidentalibus, & temporaneis, sive hybernis, sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus pro tempore detinebuntur =*

Vetat ulteriùs, ne Parochi, visis litteris testimonialibus deputationis, ac facultatùm eorundem Sacerdotum, impediant, quominùs in vim earundem facultatum Sacramenta etiam Parochialia ministrare valeant. Ac postea hæc addit = *Quod si eo tempore Matrimonium inter personas, quarum altera militaris sit, seu ad dictos Exercitus pertineat, ibique occasione stationum prædictarum commoretur, altera verò Parocho Loci subdita reperiatur, contrahi contingat, eo casu, nec Parochus sine Sacerdote hujusmodi, nec vicissim Sacerdos sine Parocho celebrationi hujusmodi Matrimonii assistat, aut benedictionem impertiatur, sed ambo simul, atque æqualiter Stolæ emolumenta, si quæ ritè percipi solent, accipiant, & inter se dividant =*

Inquirendum igitur, an Comes Giannini dum in Oppido Kradistij Matrimonii consensum renovavit, eo in loco stationis causa moraretur, ibique adessent Milites, eorumque Capellanus, cujus jurisdictioni ipse tunc subjiceretur. Præterea considerandum, an quæ in relato Brevi statuuntur præscripta, intelligi debeant sub decreto irritante (de quo tamen ne verbum quidem legitur) vel potiùs eo non obstante locum haberi possint declarationes Sacræ Congregationis, & signanter, quæ prodierunt anno 1573. *lib. 1. decret. pag. 125.*, ut scilicet ad Matrimonii validitatem sufficiat, si illud coram Parocho alterutrius ex contrahentibus celebretur.

Nec est prætereundum, Comitem Giannini Matrimonii nullitatem non prius proposuisse, quam post lapsum annorum viginti, quot interceserant a die, quo illud iniit, ad tempus usque moti Judicii. Ponderandum denique, ipsum met Comitem pro Matrimonii validitate acriter propugnasse in Tribunalibus Borussiis ad tertiam usque instantiam, diutius etiam propugnaturus, nisi ulterior appellatio eidem fuisset denegata.

At-

Attentis idcircò, quæ in præsenti Causa in facto, & in jure concurrunt, circumstantiis, decernent EE. PP.

An constet de nullitate Matrimonii, in casu &c.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

PISANA NULLITATIS MATRIMONII. Captus amore Catharinæ Dormier, quæ sub Fratris, & Leviri custodia Liburni morabatur, Joannes Feroe natione Danus, & Religione Luteranus, matrimonium cum ea inire curavit. Impedimento autem erat cultus disparitas, utpote quia Catharina Catholicis fuerat orta Parentibus; hinc ambo Curiam Rhætorum, vulgò *Coira* sese contulerunt, exhibitisque Ordinario testimonialibus literis de utriusque statu libero, ibidem die 27. Julij 1763. matrimonio fuerunt ritu Catholico copulati. Liburnum indè reversi, ac paucos post dies profecti Alexandriam Ægypti, illinc *Rossettam* adierunt. Cum autem nobilis quidam Anglus Acatholicus, Joanni amicitia junctus, eidem suasisset, ut negotiationis causa Hollandiam peteret, discessit Joannes, eidemque nobili Anglo uxoris curam commisit.

Dum autem Vir iter agebat, redditæ sunt Catharinæ Uxori Litteræ, quibus inopinatus illius interitus nuntiabatur. Necessitate proindè compulsa mulier, Anglo nubere constituit, cumque hùic connubio Parochus interesse recusaret, in quamdam domum alio prætextu accersitus, coram eo ambo steterunt, ab eoque, nil tale cogitante benedictionem extorserunt. Post hæc novi Coniuges Hierosolymam petierunt, ubi Anglus hæresi ejurata, novum una cum Uxore matrimonio præstitit consensum, coram P. Custode Terræ Sanctæ in illis Infidelium partibus Ordinario.

Non multo post in Egyptum redijt Joannes Feroe suam repetiturus Uxorem, quam Anglo jam desponsatam audiverat. At reditum negans ad primum virum, prioris Matrimonij nullitatem ex defectu præsentiæ proprii Parochi deduxit. Deindè suadente Vicario Apostolico recessit ab Anglo, & in Monasterium sese recepit. De his omnibus ab eodem Vicario Apostolico certior factus est Archiepiscopus Pisanus, coram quo Catharinæ Pater instetit pro declaratione nullitatis prioris Matrimonij.

Archiepiscopus judicium hac de re instituit servatis servandis, cognitisque juribus utriusque partis, pro validitate Matrimonij Sententiam dixit. Contrarium tamen, eadem infirmata Sententia, pronunciavit Sac. Nuntiatura Florentiæ, ad quam provocationis querela delata fuit. Quare in hac Sententiarum pugnantia res pendet a judicio Sac. Congregationis.

Ma-

Matrimonij nullitas ex defectu præsentiæ proprij Parochi desumitur. Animadvertunt enim Defensores Catharinæ eum Matrimonij Parochum esse oportere, qui Parochus est habitationis *Abb. in cap. Extirpandæ §. Qui verò de Præbendis. Fagnan. in cap. significavit de Paroch. num.* 20., & *seq.*. Non sufficere autem habitationem qualemcumque, sed eam requiri, quæ coniunctum habeat animum per aliquod temporis spatium permanendi *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disp.* 23. *sub num.* 12., *Bened. XIV. notificat.* 33. §. 9., *Fagnan. ibid.*, *Clericat. de Sacram Matrim. decis.* 35. *num.* 18., proindèque per unum saltem integrum, & continuum mensem protractam esse debere *Fagnan. ibid. num.* 39., *Benedict. XIV. in lit. ad Archiepiscopum Goanum die* 19. *Martii* 1758.

Constare ajunt utrumque Coniugem a Curia Rhætorum tum natione, tum domicilio exterum fuisse. Neutrum animum habuisse ibidem permanendi, figendique domicilium, sed tantummodo illuc sese contulisse, ut matrimonium còntraherent, quod Liburni, ob cultus disparitatem inire non poterant. Neutrum præterea per mensem saltem ante matrimonium eo in loco mansisse, sed tertia, vel quarta die post ipsorum accessum, contraxisse Matrimonium. Hinc inferunt omnia in fraudem legis acta fuisse, atque idcircò manifestam esse Matrimonij nullitatem, *Benedict. XIV. loc. citat.*, & *de Synod. Diœces. lib.* 8. *cap.* 4. *in fin.*

Addunt, immeritò Joannem Feroe tamquam vagum reputari, ut ei coram quocumque Parocho, & quovis in loco Matrimonium contrahere licuerit. Advertunt enim, illum dici vagantem qui proprio relicto domicilio ex loco in locum se transfert sedem quærens ubi se sistat, nullumque certum habet domicilium, vel quasi, *Leg. Ejus §. Celsus ff. ad Municipal.*, *Pignattell. consult. Canon.* 79. *num.* 34. *tom.* 5., *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 25. *num.* 1.. Nihil autem ex his de Joanne, & Catharina affirmari posse. Catharinam quippe ajunt Liburni jam habuisse domicilium, quod antequam nuptias contraheret, nunquam per suum discessum amittere, aut dimittere voluisse censeri potest, *L. Ea, quæ desponsata ff. ad municipal.*, *Brisson. de rit. nupt. pag.* 181., *Cujac. Recit. solemn. in* 5. *Different. Modestin. opp.* Joannem verò dicunt domicilium habuisse in Novergia. Hoc autem non censeri dimissum per solum discessum, nisi animus illud dimittendi concurrat *DD. in Leg. Domicilium ff. ad municip.*, *gloss. in leg. non utique ff. eod.*, *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disput.* 23. *sub num.* 2.. Hunc autem animum nec habuisse Joannem, nec in eo præsumi posse sustinent, cum verosimile non sit, ipsum paterna bona, de quibus sæpè loquutus fuerat repudiare voluisse, sed potius præsumi debere, illum lucritantum, &

mercaturæ causa paternos reliquisse lares *Mascard. de probat. concl. 535. num. 1., & 28., Casareg. de Commerc. disc. 117. num. 17.*; proindèque Joannem nullomodo vagantem dici posse.

Probant insuper eumdem Joannem domicilium, seu quasi Alexandriæ Ægypti acquisivisse, prout ex illius ore audivisse testatus est Vicarius Apostolicus. Idque etiam deprehendi ex Consulis munere, quod ibidem gerebat, & ad quod exercendum, ipse met cum esset Liburni, Alexandriam redire velle significavit. Asserunt etiam intermedio illo tempore, quo ipse Liburni moratus fuit novum èo in loco acquisivisse domicilium, cum pluribus mensibus ibi habitaverit. Et hoc agnitum quoque a Joanne fuisse dicunt, qui ut Ordinarium Curiensem ad benedicendas nuptias induceret, prætextuit, licentiam habuisse ab Archiepiscopo Pisano suo Ordinario, eamque ex testimonialibus litteris status liberi satis resultare.

Negant præterea Joannem a servanda Concilij lege fuisse exemptum, quia etsi natione Danus, nihilominus Matrimonium contraxerat in Curia Rhætorum secundum Concilij legem Liburni vigentem, quam proinde etiam ipse servare tenebatur *Fagnan. in cap. si clericus num. 36. de For. exempt.*, *Reiffenst. in Jus Canon. l. 4. de clandest. desponsf. §. 3. num. 132.*, *la Croix lib. 6. part. 3. de Matrim. num. 772.*. Advertunt autem exemptionem non esse personalem, quæ comitetur personam, sed realem tantummodò, quæ locum non excedit *Sanchez de Matrim. lib. 3. discept. 18. num. 10.*, *Pont. eod. tract. lib. 5. cap. 9. n. 1.*, *Reiffen. loc. citat. num. 130.*, eamdemque exemptionem Joannem amisisse ex mora, & incolatu Liburni protracto, ubi lex conciliaris viget.

E converso Matrimonij Defensor contendit, dubitari nullo modo posse, quin Vagi qualitas Joanni aptissimè conveniat, cum ab ineunte ætatè patriam deserens, in itineribus semper versatus fuerit, ac nullibi domicilium constituerit. Nec hujusmodi qualitatem excludi a declaratione, qua ipse domicilium Alexandriæ Ægypti habuisse testatus est, cum hujusmodi declaratio reijcienda sit utpotè continens nudam, ac simplicem assertionem per modum narrationis, nec ullo documento, nec juramento firmata comperiatur *Rot. decis. 138. num. 8. coram Molin.*, *decis. 25. num. 13. cor. Ratto*, *& decis. 100. num. 10. part. 19. tom. 1. recen.*. Eodem quoque vitio laborare epistolam Abeille, cum præsertim ejus Authographum apud ipsum scribentem fuerit repertum.

Falsum esse ait, quod Loci mutatio a Liburno ad Curiam Rhætorum Matrimonij validitati officere possit, cum unusquisque ex naturali libertate jure suo uti valeat *Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 18. sub num. 29.*, *Bonaccin. in tit. de natur.*

cur., *& propr. Matrim. quæſt.* 2. *punct.* 8. *num.* 4.. Nec ſatis liquere Coniuges Curiam Rhætorum petiiſſe, non animo ibidem lares figendi, ſed ſolum Matrimonium contrahendi, quo vix contracto Liburnum redierunt. Obſervat enim nullo modo de hac illorum mente, & intentione conſtare; Nec audiendos eſſe Teſtes aſſerentes brevi tempore fuiſſe ibidem commoratos, tum quia iſti Teſtes Catharinæ conſanguinei ſunt, & Affines, *Farinac. de Teſtib. quæſt.* 54. *num.* 1., *& ſeq.*, *Rot. dec.* 427. *num.* 3. *cor. Duran.*, *& deciſ.* 13. *num.* 20. *de probat. coram Falconer.*, tum etiam quia ad diſſolvendum Matrimonium non alij admittuntur Teſtes, niſi qui ſint omni exceptione majores *Text. in cap.* 1. *de Conſanguiuit.*, *& cap. In Litteris* 24. *de Teſtib.*, tum inſuper quia examini fuerunt ſubiecti non audito, neque requiſito Matrimonij Defenſore, quemadmodum præſcribit Conſtitutio ſa. mem. Benedicti XIV. *Dei miſeratione*, clauſula *ſublata*, & decreto irritante roborata; tum demùm quia mendaces fuerunt in deſignandis iis teſtibus, qui Matrimonio adſtiterunt, cum ex Matrimoniali fide alij adhibiti legantur ab illis, quos ipſi retulerant. Concludit tandem, quod ſi qua fides his Teſtibus eſſet adhibenda, nihilominus excluſa a Joanne Vagi qualitas non remaneret, cum neceſſe non ſit, ut vagus ante Matrimonium, domicilium acquirat in loco, ubi illud contrahit.

Nec ad Vagi qualitatem induendam requiri affirmat, ut quis Originis, & Patris domicilium deſerat. In iſto enim caſu ſuſtinet, nullos fore, aut dici poſſe vagos, niſi qui incertis orti Parentibus, huc illuc ſemper diſperſi vagati eſſent, vel qui paſſi eſſent infortunium omnimodæ everſionis loci, in quo nati fuerunt *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *diſp.* 25. *num.* 1., *Reiffenſt. ad lib.* 4. *decret. tit.* 3. *de clandeſt. deſponſ. §.* 2. *num.* 86. 87.. Incerta autem eſſe, quæ de Patre divite, deque Paternorum bonorum copia aſſeruntur; quin immo præſumi omnia fuiſſe a Joanne repudiata, cum poſt tuum a Patria diſceſſum, adeo alienus fuerit a paterna Domo, ut ne Patri quidem, vel conſanguineis quidquam de ſe unquam nuntiaverit.

Perperam quoquè proponi ſubdit, Joannem adeptum fuiſſe domicilium Alexandriæ ubi tres Conſulatus geſſerat. Deſpiciendum namque dicit teſtem de hiſce Conſulatibus deponentem, vel quia Catharinæ conſanguineus Frater, vel quia unicus, & ſingularis, vel etiam quia loquutus eſt ex ore Joannis, qui lucroſa munera venditare facilè potuit, ut nuptias ſibi conciliaret. Cæterum munera hujuſmodi ſatis ſuperque excludi ex ea, in quam Joannes incidit, inopia, ac rei familiaris anguſtia.

Neque etiam ſubſiſtere domicilium Liburni acquiſitum, quod a duobus probatiſſimis Teſtibus ſimiliter excluditur. Illudque etiam hac in re animadverſione dignum cenſet,

munus exercitoris navis onerariæ, quo Joannes fungebatur, eum impulisse diversas adire Urbes, absque ullo animo permanendi, qui tamen omninò requiritur ad domicilium, vel quasi acquirendum *Sanchez loc.cit. disp.* 23. *n.*13, *Reiffenst. loc. cit. num.*60., *Leff. de just.*, & *jur. lib.*2. *cap.* 40. *dubit.*18. *n.*121. *Sperell. dec.* 87. *n.*5.

Indubia res est, irritum prorsus esse Matrimonium in fraudem proprij Parochi, contractum. Ut igitur legitimè Matrimonium aliquo in loco contrahatur, necesse est, ut prius alteruter ex contrahentibus domicilium, vel quasi eo in loco acquisierit. Patet id ex responsis a Sac. Congregatione datis Archiepiscopo Colonienſi die 5. Septembris 1726. Propositis enim dubiis = I. *An Incolæ tam Masculi, quam Fœminæ loci in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonij est promulgatum, & acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, validè possint in isto loco Matrimonium sine Parocho, & testibus contrahere.* II. *Quid, si eo prædicti incolæ tam masculi, quam fœminæ, solo animo sine Parocho, & Testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.* III. *Quid si ijdem Incolæ tam Masculi, quam Fœminæ eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & Testibus contrahant.* Responsum fuit Ad I., & II. *Non esse legitimum Matrimonium inter sic se transferentes, & transeuntes cum fraude.* Ad III. *Nisi domicilium verè transferant, Matrimonium non esse validum.*

Deprehenditur idcircò, Matrimonium in primo, & secundo dubio expositum, irritum decerni, quia fraus interceſſerit, alterum verò Matrimonium in tertio dubio relatum, validum dici, quia novum quoque domicilium accesserat. Hæc omnia confirmavit Urbanus VIII. atque iterum etiam Benedict. XIV. in litteris die 19. Martii 1758. datis ad Archiepiscopum Goanum, incipien. *Paucis ab hinc*, quæ habentur *in Append. altera tom.*4. *Bullar.*

Ex his infert laudatus Pontifex Bened. XIV. *loc. citat.*, *ut ex Sententia communiter hodiè recepta, & observata, nullum, atque irritum habendum sit Matrimonium in fraudem proprij Parochi, coram Parocho alterius loci contractum, dummodò tamen ille, qui contrahit, antequam Matrimonio jungatur legitimum domicilium, vel quasi domicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post Matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset.* Viden. hac de re folium Superioris Causæ *Olomucen.*; nec non Benedict. XIV. *Instit.*33.

Hæc tamen omnia locum habent, in iis, qui alicujus loci Incolæ sunt, & certum domicilium, vel quasi domicilium habent. Si enim de Vagis sermo instituatur, habenda semper præ oculis est dispositio Concilij Tridentini *Sess.*24.

Seff. 24. cap. 7. de Reform. Matrim. ubi ſic ſtatuitur = *Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, & ut improbi ſunt ingenij, prima Vxore relicta aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt: Cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, omnes ad quos ſpectat paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant: Magiſtratus etiam ſæculares hortatur, ut eos ſeverè coerceant: Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Una igitur eſt, & conſtans Doctorum omnium opinio, pluribus etiam S. hujus Congregationis reſolutionibus comprobata; ut apud *Pont. lib. 5. cap.* 14., Vagorum Parochum eum eſſe, in cujus ditione hujus generis homines verſantur, atque idcircò ratum eſſe Matrimonium coram eo contractum: Idque etiam procedere, etiamsi unus tantum ex iis, qui Matrimonio copulari petunt, vagantium numero adſcribatur. Ille autem vagus eſt, qui proprio relicto domicilio, iter facit, quærens ubi ſe ſiſtat; vel qui certam, & conſtantem ſedem, aut domicilium, vel quaſi nullibi habeat, juxta *Text. in l. ejus qui §. Celſus ff. ad municipal.* ibi = *Puto autem, & hoc procedere poſſe, ſi quis domicilio relicto, naviget, vel iter faciens quærat, quo ſe conferat, atque ubi conſiſtat; Nam hunc puto ſine domicilio eſſe.* Duo itaque Vagi qualitatem conſtituunt; quod ſcilicet, quis domicilium deſeruerit, & quod aliud non acquiſierit. Qua de cauſa Peregrini vagi non dicuntur, quia domicilium non deſerunt, cum habeant animum ad propria redeundi.

Dum autem requiri dicitur, ut Vagus domicilium deſeruerit, intelligi id non debet de domicilio *originis*, ſed *habitationis*. Advertit enim *Reiffenſt.* innixus auctoritati graviſſimorum auctorum *lib. 4. decret. tit. 3. §. 2. num. 86.*, quod alias vel nulli eſſent, vel pauci ſolum dici poſſent vagi, quia domicilium originis ſemper retinetur, & nunquam dimittitur, niſi locus originis funditus evertatur *Leg. Aſſumptio* 17. *ff. de Municip.*, & *Leg. Origine* 4. *Cod. de Municip.*. Hinc meritò colligitur, eum, qui a domicilio Originis, vel habitationis verè diſcedat, animo alibi domicilium conſtituendi, primo die, quo diſcedit, vagum verè eſſe, quamvis certo conſtet, ubi natus ſit, & ubi ejus Parentes exiſtant.

Tota itaque res ab eo pendet, an Joannes Feroe fuerit, nec ne vagus. Ex circumferendis ſcriptis deprehendi poterit, quid ex jure dicendum. Iis ergo perpenſis, aſſueta maturitate, ac prudentia Emi PP. dijudicabunt.

An conſtet de nullitate Matrimonij in caſu &c.

TAU-

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

TAURINEN. MATRIMONII. Contendente *Anna Maria Cissinelli* Parochum S. Thomæ Civitatis Taurinen. non fuisse proprium Parochum, quo tempore Matrimonium contraxit die 5. Februarii 1751. cum *Jo. Antonio Peyrani*, gravis ab ea instituta fuit quæstio super illius validitate. Vario marte pugnavit primum in Curia Archiepiscopali Taurinen., dein in gradu appellationis ex Apostolico Brevi in Curia Episcopali Vercellensi. Illa enim pro validitate Matrimonii sententiam tulit, contra vero hæc primam Sententiam revocando, irritum pronunciavit Matrimonium.

Re tandem ad Sacram Congregationem delata, cum quæsitum fuerit *An constet de nullitate Matrimonii*, die 12. Decemb. 1767. responsum prodiit *Negative*. Videre præstat folium illius diei, quo late facti species habetur. Nunc autem *Joannes Antonius Peyrani*, obtenta venia iterum propugnandi ejusdem conjugii nullitatem, inquit, Parochum S. Thomæ neutrius contrahentis verum Parochum fuisse: non *Joannis Antonii*, quia is semper in Paterna domo sub Parochia S. Mariæ de Platea moratus fuerat: non *Annæ Mariæ*, quum hæc jam usque à mense Septemb. 1750. domicilium constituisset in Parœcia SS. Jacobi, & Philippi PP. Augustinianorum: Matrimonium idcirco initum præsente Parocho S. Thomæ, ob non servatam Concilii Tridentini formam, nullum prorsus, & irritum fuisse *Sess. 24. cap. 1. de Ref.*

Nec obesse, quod *Anna Maria* recedens ante Matrimonium a materna domo, se se recepisset in avitam sub Parochia S. Thomæ: negat enim in primis accessum *Annæ* ad avitam Domum: advertit moram ibi habere non potuisse, quam per paucos dies ante conjugium absque animo deferendi domum maternam: eamdem demum habitationem ex condicto habitam fuisse ad fraudandam Parœciam SS. Jacobi, & Philippi: Fraudem vero, mutuamque machinationem probare nititur quatuor Testibus examinatis, quorum duo a Defensore Matrimonii producti fuerunt; eamque rursus educit ex justa, & urgenti causa vitandi Parochiam SS. Jacobi, & Philippi, quia nimirum ibi morabatur Patruus *Jo. Antonii*, ex habitatione in avita domo absque ulla mobilium translatione, ex regressu ad maternam domum singulis noctibus, ex assidua hic retenta habitatione tum in ipso præciso die initi conjugii, tum posteriori tempore, & demum ex qualitate testium, qui Matrimonio interfuerunt.

Concludit hinc, habitationem in avita domo, quæcumque ea fuerit vel uti ineptam ad aquirendum domicilium, vel uti fraudolentam imparem esse ad Matrimonii validitatem. Momenti nec etiam esse, quod *Anna Maria* ad mensem usque Sept. anni 1750. morata fuerit in Parœcia S. Thomæ; re-

reponit enim Joannes Antonius, in ea Annam Mariam cum Matre semper incoluisse domum ab altera Avi distinctam, & hanc prorsus dereliquisse Matrem a d. mense Septembri, quo una cum tota familia domicilium transtulit in Parochiam SS. Jacobi, & Philippi: Inanem demum esse vim potestatis Avi in *Annam Mariam*, cum domicilium non a potestate, sed tantum a materiali facto, & habitatione pendeat *leg. 3., & 4. ff. ad municip. l. 7. Cod. de incol.*

Nullius etiam ponderis esse licentiam Archiepiscopi directam Parocho S. Thomæ: Cum hæc data fuerit jure ordinario, prout in singulis Matrimoniis dari solet ad excitandam in Parocho facultatem assistendi Matrimonio propriæ Parochianæ; nullam autem secumferre delegationem interessendi Matrimonio celebrando a Personis sibi non subditis: ineptam proinde eam esse ad conjugii firmitatem, quia dolo, & fraude extorta fuit ad eludendam propriam sponsæ Paræciam. Atque hinc concludit, spernendam esse Sententiam Curiæ Archiepiscopalis Taurini tamquam manifeste injustam, vel saltem excusandam ob non probatam ex suis actis fraudem, & dolum, qui tantum ex posterioribus gestis in Curia Vercellen. probatus remansit.

Contra vero Defensor Matrimonii inquit, conjugium publice, & palam de licentia Curiæ Archiepiscopalis in Ecclesia initum fuisse: per quadriennium pacifica conjugali consuetudine firmatum: nunquam Parochos, consanguineos, ac vicinos conquestos fuisse: nefas ideo esse, ejusdem firmitatem impugnare, vel suspicari Parochum S. Thomæ temere, ac scienter conjugio sponsæ non Parochianæ assistere voluisse.

Nec referre, quod Vidua Mater mense Septembri anni 1750. habitationem transtulisset in Paræciam SS. Jacobi, & Philippi: nam *Anna Maria* subdita cum esset potestati Avi paterni commorantis in Paræcia S. Thomæ, semper cum eo convixit, & in hujus domo veram habitationem, ac domicilium retinuit. Et revera licet eadem *Anna Maria* noctu ad Matrem accederet, ne hanc solam relinqueret, die tamen in domo Avi morabatur, ibique alimenta recipiebat; mutationem idcirco domicilii Matris nec tollere domicilium *Annæ Mariæ* in Avita domo, nec impedimento fuisse, quominus in ejusdem Paræciæ S. Thomæ domicilio perseveraret.

Deferendum vero non esse Testibus, qui reditum de manè ad Domum Avi retulerunt *ad un concerto tenuto ad effetto non venisse a scuoprirsi, ed impedirsi il Matrimonio*. Undique enim inverosimile esse, quod res de condicto peracta tot personis pandi voluerit, vel tanto tempore occulta esse potuerit, quin Curiæ, Parochis, Parentibus, ac vicinis innotuerit. Descriptiones vero vel Parochorum tempore Paschali, vel Censorum Civitatis non percutere præcisum tempus, quod præcessit Matrimonium.

De-

Demum advertit, a Curia Archiepiscopali datam fuisse Parocho S. Thomæ expressam licentiam Matrimonio assistendi, hinc concludit, subtilius inquirendum non esse, an sponsa vere domicilium habuerit, nec ne in Parœcia S. Thomæ, sed Matrimonium semper validum esse *Barbos. in collect. verb. Matrimonium n. 3., in addit. ad cap. 1. Conc. Trid. sess. 24. num. 19., Fagnan. in cap. quod nobis de clandest. desponsat. num. 55.* Maxime quia idem Archiepiscopus, qui dictam licentiam dederat, sua sententia validum Matrimonium censuit, sicque declaravit in vim dictæ licentiæ Parochum etiam non proprium conjugio assistere potuisse.

Synodus Tridentina hæc habet = *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel Sacerdote de ipsius Parochi, vel ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat; statuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse, quacumque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante sess. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

Ambigi ideo nequit Matrimonium initum non præsente proprio Parocho, vel Sacerdote de expressa Ordinarii licentia, nullum prorsus, & irritum esse: Idque adeo verum est, ut conjugium contra formam Concilii initum nunquam convalescat ex quocumque posteriori consensu, vel conjugali actu, nisi iterum consensus coram Parocho renovetur, ut declaravit Sacra Congregatio in *Hispalen.* 20. Junii 1609. lib. 11. Decr. fol. 58. = ibi = *Respondit, hodie post Tridentinum Concilium Matrimonium metu contractum, etiam purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rursus ejusdem Concilii forma*, & in *Constantinopolitana* 16. *Dec.* 1634. *lib.* 15. *decr. fol.* 140., *in Vigilien. Matrimonii* 3. *Julii* 1723., *in Barchinonen.* 4. *Decemb.* 1723., *& in Montis Falisci nullitatis Matrimonii* 28. *Aug.* 1751.

Immo conjugium absque proprii Parochi præsentia initum, ne in sponsalia quidem de futuro resolvi, nec contrahentes compelli posse ad denuo contrahendum tradunt *Pignatell. consult.* 135. *num.* 51. *& 56. tom.* 9., *Rot. in Romana Matrimonii* 3. *Julii* 1719. §. *hinc*, *&* 11. *Dec.* 1719. §. *jam vero coram Corio, &* 2. *Decemb.* 1720. §. *ex his, &* 7. *Martii* 1721. §. *transeundo coram Gamaches*, & Sacra Congregatio in *Hieracen.*, ibi = *præsupposito, quod Matrimonium sit factum absque Parochi præsentia, & duorum, vel trium testium, quo casu irritum declaratur a Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de Ref. quæritur, an dictum Matrimonium transeat in sponsalia de futuro, ita ut cogi possit vir per censuras, aliaque juris remedia ad servandam*

dam fidem ſponſæ, maxime quando ſecuta eſt copula, die 18. Novemb. 1589. cenſuit: *Non tranſire*.

Proprius autem Parochus ille dicitur, in cujus Parochia ſponſus, aut ſponſa domicilium habent, vel quaſi *Sac. Congr. in Mutinen.* 18. *Novembris* 1702., *& Bened. XIV. in conſt. Paucis ab hinc* 19. *Martii* 1758.: Licet autem ad acquirendum domicilium pro Matrimonio ineundo ſufficiat habitatio unius ſaltem menſis in loco, ubi Matrimonium celebratur ſecundum deſſinitiones Sacræ Congregationis relatas apud *Fagnan. cap. ſignificaſti de Parochis*, *& Bened. XIV. in cit. Conſt. paucis ab hinc*, poteſt tamen domicilium contrahi etiam prima die habitationis, ſi vere conſtet, eum, qui alio tranſtulit habitationem, in hac ſtatuiſſe permanere abjecto prorſus animo ad primam, quam dimiſit, redeundi, ut ſentiunt *Federic. de Cen. conſ.* 254., *Card. de Luc. de Matr. diſc.* 1. *num.* 10. *& Rot. in Neapolitana Matrimonii* 22. *Junii* 1705. §. *& demum coram Priolo*.

Nullum idcirco eſt conjugium initum coram Parocho rurali, quando rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negotiis, non animo ibi continuo morandi, ut reſpondit Sac. Congr. in *Urbinaten.* 1. *Decemb.* 1640. *lib.* 16. *decret. pag.* 456. Itemque nullum eſt Matrimonium coram Parocho, ad cujus Parochiam contrahentes ſe tranſtulerunt ſolo animo ibi Matrimonium celebrandi, abſque deſertione primævæ Parochiæ, ut declara vit Sac. Congr. in *Romana nullitatis Matrimonii* 22. *Febr.* 1631. *lib.* 14. *decr. pag.* 390., *& in Theatina Matrimonii* 13. *Novembris* 1683. *lib.* 33. *pag.* 336., *& in Bovinen. Matrimonii* 28. *Sept.* 1697. *lib.* 47. *decr. pag.* 453.

Perpendendum hinc, an *Anna Maria* tempore initi conjugii vere domicilium habuerit in Paræcia S. Thomæ, in qua ab anno 1749. ad menſem uſque Septembris anni 1750. morata fuerat, & an ſaltem habitatio tantum diurna habita in avita domo tempore proximo Matrimonii id effecerit, ut in eadem Paræcia retinuerit domicilium: vel potius an ipſa *Anna Maria* domicilium omne in dicta Paræcia deſeruerit ab eodem menſe Septemb., quo ſe tranſtulit una cum matre ad aliam Paræciam SS. Jacobi, & Philippi, ita ut nonniſi occaſionaliter, & abſque animo domicilium contrahendi verſata deinde fuerit durante luce in domo Avita: vel nonniſi per fraudem, dolumque id molita fuerit ad eludendam propriam Parochiam SS. Jacobi, & Philippi, ut impedimentum Coniugio effugeret Patrui *Joannis Antonii* munus vice Parochi in Parochia S. Thomæ fungentis. Quæſtio omnis ex facto pendet; Ex conjecturis, & argumentis colligendus eſt verus Animus Annæ Mariæ, a quo domicilii veritas, ac qualitas eſt petenda.

Quod vero ſpectat licentiam Ordinariorum pro Matrimoniis ineundis, notum eſt, eam dari Parochis vel jure ordinario, vel delegato. Jure ordinario, quoties conceditur, ut

Parochus assistat desponsationi puellarum sub ejus cura existentium, ad excitandam in eo facultatem præbendi ex Testem auctorizabilem, quam exercere prohibetur, donec accedat permissio Ordinarii, juxta decreta, & instructiones S. Inquisitionis relatas a *Franc. de Magistr. in Silv. Eccles. part.* 2. *lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 47. Jure delegato, quando alicui Sacerdoti, & non proprio Paroco datur jus intersendi Matrimonio celebrando a personis non subditis ejus curæ. Prima hinc inspectio est, an licentia Curiæ Archiepiscopalis directa Parocho S. Thomæ fuerit delegata, ita ut hic Parochus, licet non proprius contrahentium, recte ex delegatione Archiepiscopi potuerit Matrimonio assistere.

Ponderandum item, an eadem licentia, licet ordinario jure concessa, suffragari potuerit ad conjugii firmitatem. Sufficiens habita fuit, quoties vel errore Ordinarii, vel bona fide contrahentium directa fuit non proprio Parocho *Fagnan. in cap. quod nobis de cland. desponſ. num.* 55., *Card. Bellarm. in declar. ad Conc. seſſ.* 24. *cap.* 1., *Barbos. ad Conc. seſſ.* 24. *cap.* 1. *num.* 97., & *Benedict. XIV. instit.* 88. *num.* 4., secus vero si dolo, & fraude contrahentium extorta fuerit, qui falso eidem Ordinario suppossuerint aliquem esse verum alterutrius Parochum, inducendo ad id probandum falsos Testes super statu libero examinatos *R or. in Neapolitana Matrimonii* 22. *Junii* 1705., & 26. *Febr.* 1706. *coram Priolo*, *in Romana Matrimonii* 3. *Julii* 1719., & 11. *Decemb.* 1719. *cor. Corio*, 2. *Decemb.* 1720. & 7. *Martii* 1721. *coram Gamaches*.

Qua egregie ornantur EE. PP. juris sacri peritia sententiam dicent.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Die Sabbathi 26. Auguſti 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NOn dedignentur Eminentiſſimi PP. folium reſumere præteritæ Congregationis dici 29. Julii, & dubiis, quæ tunc non fuerunt reſoluta, aliiſque in præſenti adjectis reſpondere.

URBANIEN. *Seſs. 22. cap. 1. de Reform.*

I. *An a Collegio quinque Manſionariorum a s.m. Urbano VIII. erecto in Cathedrali Eccleſia Urbaniæ applicari debeat Miſſa pro Populo, in caſu &c.*

II. *An dictum Collegium Manſionariorum conſequi debeat Decimas, & Quarteria, & alia pro dote a d. san. mem. Urbano VIII. ipſis Manſionariis in dicta Eccleſia aſſignata, in caſu &c.*

Ad I., & II. Dilata, & ad Mentem, & proponatur citato Capitulo.

OLOMUCEN. NULLITATIS MATRIMONII. *Seſs. 24. cap. 1. & 6. de Reformat. Matrim.*

An conſtet de nullitate Matrimonii, in caſu &c.

Negativè.

PISANA NULLITATIS MATRIMONII. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform.*

An conſtet de nullitate Matrimonii, in caſu &c.

Affirmativè.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

TAURINEN. MATRIMONII.
An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

JANUEN., SEU ALBINTIMILIEN. NULLITATIS MATRIMONII. Inito mense Septembris 1766. conjugio inter Joannem Baptistam Doriam Dulcis-Aquæ Albintimilien. Diœcesis, & Mariam Theresiam Bonaroti Januensem, post habitam per semestre tantum cohabitationem, concordi voto uterque Conjux querelam instituit coram Vicario Capitulari Albintimilien. de conjugii nullitate ob inertiam Viri ad conjugii munera. Actis completis, Vicarius Capitularis sententiam tulit pro nullitate; sed reclamante Defensore Matrimonii, Sacra Congregatio *die* 27. *Februarii superioris anni* respondit: *Dilata, & circumscriptis omnibus gestis coram Vicario Sospellii, idem Vicarius procedat ex integro ad formam Benedictinæ Constitutionis.* Viden. *fol. diei* 30. *Januarii præcedentis anni*, in quo fusius Causa exponitur.

Novis nunc expletis actis secundum normam Benedictinæ Constitutionis, ambo preces renovant pro declaratione nullitatis Matrimonii. Inquiunt, conjugium summa consensione fuisse initum, & reciproco affectu, ac dilectione per integrum semestre communi consortio firmatum: frustra Mulierem cuncta, quæ debuerat, præstitisse: frustra Virum tentasse omnia: hinc debuisse ex Parochi consilio nullitatis querelam instituti, statimque Virum propriam inertiam fassum fuisse, ac nunquam expertam virilitatem declarasse. Binos inde Medicos, ac totidem Chirurgos ex mala Viri hebetudine, & ejusdem antiqua paralysi inertiam novisse, ac frustra frictionibus, fomentis, & medelis potentiam excitare tentasse: hinc Mulierem adhuc virginem fuisse repertam, proindeque certam, apertamque esse inertiam Viri.

Ambigi autem minime posse, eam futuram esse perpetuam, cum res sit de Viro jam fere sexagenario, qui mala corporis hebetudine, & antiqua paralysi est affectus, quique potentiam nunquam habuit, adeout nec medelis, nec frictionibus, ac fomentis excitari potuerit: Quod si florenti adhuc ætate, arte nulla haberi usque nunc potuit, frustra sperari inclinata jam ætate, imminutisque senio corporis viribus. Rectissime idcircò duos Medicos, totidemque Chirurgos attenta mala corporis hebetudine, morbi vi, & experimentis habitis, concordi sententia existimasse,

Viri

Viri impotentiam perpetuam, & absolutam esse, nec ab eorum judicio esse recedendum *Rot. ad Ornat. Card. de Luc. lib.* 14. *decis.* 10. *num.* 8.

Nec obesse deficientiam vitii visibilis: nam in primis hoc recte desumitur ex mala corporis hebetudine, & ex paralysis morbo, quo Vir a diuturno tempore vexatur. Insuper artis Periti advertunt, impotentiam, aliam esse evidentem, aliam verosimiliter evidentem, aliam vero dubiam: licet autem ob defectum vitii visibilis desit impotentia evidens, non tamen desideratur impotentia verosimiliter evidens ex signis certis, & evidentibus: hinc concludunt, statim locum esse dissolutioni conjugii, nullo præmisso triennali experimento, cui tantum locus est quando impotentia sit dubia, non vero quando sit verosimiliter evidens *Rot. recen. decis. 695. num. 2. part. 1., Costant. vot. ult. §. 20. & seqq.*

Contra vero Defensor Matrimonii inquit, ex ipsa Peritorum relatione constare, nullum visibile vitium in Viro haberi, sed omnia rite, rectèque a natura constituta esse; Quapropter deesse certam impotentiam Viri perpetuam, sine qua dissolutioni Matrimonii locus esse nequit, sed tantum triennali cohabitationi, *Cap. Fraternitatis de frigid., & malefic.*

Fallax vero esse dicit argumentum desumptum ex frictionibus, fomentis, & contrectatione, præsertim ob verecundiam in nobili Viro vigentem *Ann. Robert. rerum jud. lib. 4. cap.* 10.. Paralysim verò in manibus, & brachiis Viri nihil commune habere cum ejusdem potentia: virginitatem demum Mulieris post solam semestrem cohabitationem certam non præseferre perpetuam inertiam: Ex his contendit, judicium Peritorum ex causis, & signis internis non apparentibus depromptum præsumptivè tantum verosimilem impotentiam concludere, prorsus ineptam ad matrimonii dissolutionem absque triennali cohabitatione *Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 108. num. 1., Bened. XIV. de Synod. Diœcesan. lib. 9. cap.* 10. §. 2.

Ad matrimonii dissolutionem, ex capite impotentiæ, duo certe copulativè requiruntur, & quod non fuerit consummatum, & quod id ex impotentia hominis perpetua, & insanabili evenerit *cap. 1. & 2. de frigid., & malefic.*. Alterutro siquidem deficiente judicium omne silere debet: hinc tametsi de intacta, & inviolata Muliere constet, potissima inspectio esse debet de vitiato corpore Viri, tamquam de subjecto quæstionis, materia, & fonte, unde actio oritur.

Impotentia vel certa ab initio est ab evidenti vitio proveniens, & judicio Peritorum irreparabilis; & tunc tanquam de re certa, & evidenti, in qua nihil ultra expectandum sit, judicium non differtur, *Can. quod autem 1. caus. 33. qu. 1.* & S. Con-

& S. Congregatio in *Sancti Severini* 2. *Junii* 1742., *& in Romana* 13. *Januarii* 1753.

Sin vero nec certa, nec evidens ab initio impotentia ſit, tunc aliis probationibus locus eſt, quæ rectum, certumque judicium aptæ ſint conſtituere: hinc juramenta Conjugum, domeſticorum, propinquorum ſeptimæ manus, & viciniæ: hinc Peritorum judicia, & recognitiones corporum: hinc unctiones ad emolliendum, ad aperiendum: hinc ſectiones quandoque, potiones, & fomenta ad reficiendas, vel augendas vires, aliaque omnia experimenta, diligentiæ, & probationes quæruntur, quæ rem veroſimiliter evidentem, quantum fert humanarum rerum conditio, faciant.

Verum ſi res adhuc dubia ſit, nec certum ferri valeat judicium, locus eſſe debet experimento triennalis cohabitationis, antequam ſententia proferatur *diſſolutionis*, ne in re periculis plena irritum judicium detur, ut in *Sancti Severini* 11. *Januar.* 1738., *in Amalphitana* 10. *April.* 1757., *in Valentina* 22. *Martii* 1764., *& in Lucana Nullitatis Matrimonii* 19. *Julii* 1766.

De experimento triennali Cœleſtinus III. in *cap. laudabilem de frigid., & malefic.* ait = *Requiſiviſti quantum temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis, in qua ſi defecerint, ſepararetur. Nos vero quamvis in antiquis tam canonibus, quam legibus ſuper hoc diverſa tempora concedantur, id tamen in præſenti conſultatione ſentimus, ut ſi naturaliter frigidus non poteſt illa, quam duxit, uti pro conjuge, a tempore celebrati contractus, ſi frigiditas prius probari non poſſit, uſque ad triennium ſecundum autenticum legale cohabitent: quo elapſo ſi nec tunc cohabitare voluerint, & juxta decretum Gregorii Mulier per juſtum judicium de cito probare potuerit, quod cum ea coire non poſſit, accipiat alium: ſi autem ille aliam acceperit, ſeparentur.*

In præſenti themate uterque Conjux, nunquam ſequutam matrimonii conſummationem affirmat. Vir propriam imbecillitatem fatetur: Periti hanc perpetuam, & inſanabilem judicant, aliæque omnes adhibitæ ſunt diligentiæ, ac probationes. Tota hinc ſupereſt inſpectio, an ex iis rectum ferri valeat de ſeparatione judicium, vel potius adhuc neceſſaria videatur triennalis cohabitatio, ut omnis dubietas removeatur. EE.PP. ſingulis, ut aſſolent, mature perpenſis, ſumma, qua pollent, Sacrorum Canonum peritia, ſententiam dicent

An ſit locus diſſolutioni Matrimonii, in caſu &c.

Non propoſita, cum reliquis.

BAL-

BALNEOREGIEN. ELECTIONIS ALUMNI. Reditus Societatis Misericordiæ Oppidi Polimartii, quos pro rata annuorum scutorum 30. Episcopus Balneoregien. Seminario Diœcesis applicari posse cogitaverat, in manutentionem Alumni de eodem Oppido a Confratribus seligendi, & ab ipso confirmandi, impares huic oneri ferendo Sodales contra existimarunt. Quamvis autem pluries hac de re habita fuissent comitia, dum Episcopus in eo loco præsens esset, & Sac. ageret Visitationem; nihilominus Confratribus reclamantibus, res tota ad judicium S. Congregationis delata fuit; Et quemadmodum Episcopus reditus Societatis sequestro subjecerat, Sodalibus administrationem interdixerat, atque eorum nonnullos ab albo deleri mandaverat, ita præter dubium respiciens annuam submministrationem, & Alumni electionem, alia etiam oportuit exhibere dubia super iis, quæ ab Episcopo gesta deinde fuerant. Folium istius Causæ distributum pro Congregatione diei 14. elapsi mensis Januarii, & benignè nunc resumendum, factum, totiusque rei seriem latius explicat. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Verùm cum ejus rei cognitio non prius haberi potuerit, quam in Congregatione *diei* 28. *ejusdem mensis Januarii*, EE. PP. annuendum censuerunt precibus Promothoris Fiscalis dilationem petentis, rescribentes = *Dilata, remotis sequestris, & reintegratis interim Confratribus*. Nunc itaque eadem dubia in calce iterum transcripta resolvenda proponuntur, & sicuti rationes a Confratribus adductæ ex præcedenti folio deprehendi poterunt, idcirco nil aliud supereſt, quam ea hic referre, quæ Promothor Fiscalis animadvertit.

Contendit itaque ad I. dubium, consepsum a Societate præstitum in controversiam revocari non posse, quum Sodales die 10. Novembris 1765. legitimè congregati, suffragiorum pluralitate, solemniter Seminario rependere promiserint annua scuta 30. ex superextantibus ejusdem Societatis reditibus in manutentionem pauperis Clerici Polimartiensis; & die 6. Decembris 1767. Clericum Joannem Baptistam Ricci elegerint. Resolutiones hujusmodi, asserit, vim habere contractus, præcisæque obligationis, ac nefas proinde esse ab iis recedere *Rota in Romana Vexilli* 17. *Martii* 1751. *§. 3. coram Figueroa, & in Placentina Præeminentiarum super nova dubio* 16. *Junii* 1756. *§. 3. coram Buffio.* Maximè quia recessus in præjudicium cederet pauperum Clericorum, totiusque Populi Polimartii, immò & Seminarii Balneoregiensis, quibus omnibus jus est quæsitum, quo nequeunt sine justa causa privari ad *Text. in Can. 7. distinct. 56., leg. fin. ff. de pact., Rot. in Neapolitana Transactionis super secundo dubio* 14. *Maji* 1759. *§. 3. coram Frangipane*.

Perperamque exadverso opponi, resolutionem anni 1765. nul-

li-

litatis vitio laborare : Quum eadem nullitas concludenter non probetur , & pro justitia , ac validitate actus semper militet juris præsumptio *Passerin. de elect. cap. 32. num. 69.*, *Rot. in Firmana Capellaniæ 28. Februarii 1755. §. 5. coram Amadeo*. Atque hinc ad singula oppositæ nullitatis capita progrediens , respondet primo loco , novum omnino esse, quod ab Episcopo per diem ante nunciari debuissent , quæ in Congregatione agenda erant ; immò id prorsus a jure absonum videri , cum speciem quamdam subjectionis , ac servitutis præseferat *Cap. Is qui 18. de Sent. Excom. in 6.* , *Rot. in Majoricen. Præeminentiarum, & Funeris 13. Junii 1746. §. 4. coram Eminentissimo Molino , & in Avenionen. convocationis Capituli 17. Martii 1552. §. 4. coram Buffio*. Haud refragantibus Decisionibus in contrarium allegatis , quia in his non de defectu præmissæ denunciationis , sed de aliis defectibus agebatur .

Falsa omnino dicit , quæ asseruntur de Episcopi reluctantia in admittendis Confratrum protestationibus , cum id rejiciatur ex jurato duorum Canonicorum testimonio, qui Comitiis interfuerunt . Falsum itidem , quod Episcopus gemina sibi suffragia , totidemque Vicario Foraneo adscripserit , cum certum sit, Confratres una cum Episcopo numerum constituisse quadraginta duorum , collecta autem suffragia numerum non excessisse trium supra quadraginta . Advertit itaque , quod quatenus nullum Episcopo jus esset ferendi suffragii , demptis nihilominus duobus votis ab ipso in urnam collatis , supereressent adhuc suffragia viginti & unum , quæ captam resolutionem tuerentur, quia Confratres erant quadraginta & unus . Falsum denique , quod Episcopus , & Vicarius Foraneus suffragium ab unoquoque ex Confratribus in urnam conjicendum inviserint , & exquisiverint , cum hoc , tum ex ipsis Comitiorum actibus , tum ex relata Canonicorum depositione excluſum remaneat .

Non diffitetur tamen Promothor Fiscalis , Sodalitatis Priorem unum tantum ea occasione tulisse suffragium ; Verum advertit , vetitum nunquam eidem fuisse , quin duo exhiberet . Insuper observat , neque ex Sodalitatis Statutis , nec ullibi constare de jure Prioris duplex ferendi suffragium ; quin immò unum tantum dedisse suffragium, patere ex Comitiis habitis die 13. Aprilis 1766.

Nihil relevante , quod ad ferendum suffragium admissi olim fuissent tres Sacerdotes nuper inter Sodales nullo præhabito Scrutinio adscripti . Respondet quippe , eos fuisse adscriptos *senza alcuna contradizzione* , ut in actis Congregationis legitur . Insuperque non deesse exempla in ipsis Congregationum actis relata , quod solo vel Prioris , vel alterius Officialis consensu , fuerint Sodales absque Scrutinio in album relati . Denique cautum in jure non reperiri,

ad

ad legitimam alicujus admissionem formale Scrutinium requiri, sed satis esse, ut reliqui de gremio non contradicant, & admissioni acquiescant ad formam *Cap. Quia propter*, ut ponderat *Rota decis.* 148. *num.* 11. *coram Ratto*, & *in supradicta Romana Vexilli* 17. *Martii* 1751. §. 10. *coram Figueroa*.

Tandem, quoad applicationem redituum Societatis in summa scutorum 30. Seminario quotannis constitutam, observat annuum Sodalitatis introitum excedere scut. 80., expensas verò tantum pertingere scut. 36. 63., ut ex partitis Codicis Sindicatuum, & ex ipsis Sindicatoriis sententiis, quæ annos 17. complectuntur.

Post hæc gradum faciens ad tuendam validitatem Congregationis habitæ die 6. Decembris 1767., in quibus electus fuit Alumnus, immeritò, dicit, illius nullitatem desumi, ex quo habita fuerit in Palatio Episcopi, non verò in propria Ecclesia, quemadmodum Sodalitatis Statuta præcipiunt. Asserit enim, nonnisi permissivè Sodalitiorum comitia haberi in Oratoriis, seu Ecclesiis, cum potius ea fieri deceat in Domo adnexa, vel etiam in Domo Parochi, aut alterius Superioris *Innocent. in Cap. Cum ex injuncto sub num.* 2. *de nov. oper. nunciat.*, *Rot. decis.* 770. *num.* 1. & *seq. part.* 18. *tom.* 2. *recent.*

Negat' fuisse tunc vocatos eos dumtaxat, qui recenter fuerant ab Episcopo propria auctoritate in Sodalitium admissi, cum Confratrum admissio expleta fuerit novem post dies a sequuta Alumni electione. Negat præterea, ad validitatem Congregationis requiri, ut major pars accedat, cum major pars a præsentibus constituatur, nec curandum de iis, qui interesse recusant, *Monacell. form. for. Eccles. part.* 1. *titul.* 6. *annot. ad formul.* 11. *num.* 22., *Bass. de Sodalit. quæst.* 14. *num.* 8., *Rot. coram Buratt. decis.* 176. *num.* 22.

Expeditus a primo dubio, Promothor Fiscalis transit ad II., de quo sustinet, non tantùm Episcopo, sed cuilibet etiam Judici, vel Magistratui, ad tuendam propriam dignitatem permissum esse, contra refractarios, & inobedientes via œconomica procedere, eorumque audaciam illicò cohibere, *Bened. XIV. notif.* 17. §. 5., *Sac. Congregatio in Asculana* 24. *Martii* 1725. Addit, nonnullos ex iis, quos ab albo Sodalium Episcopus deleverat, die immediatè sequenti, admissis eorum excusationibus, in pristinum statum restituisse, idemque facturum fuisse quoad alios, si eodem modo restitui postulassent.

Ad III. fatetur, Confratribus competere administrationem bonorum Societatis, sed æque Episcopo competere jus visitandi Confraternitatem, & ab eorum Administratoribus rationes exposcendi, ex dispositione *Concil. Triden. sess.* 22. *cap.* 8. & 9. *de Reformat.*, Episcopo etiam incumbere abusus

tollere, ut Confraternitatum bona rectè, ac fideliter administrentur, *Barbos. ad citat. cap. Concil. Trident. num.* 7., *& de offic.*, *& potest. Episc. allegat.* 75. *num.* 11., *Monacell. tom.* 2. *titul.* 14. *form.* 8. *num.* 1. Et in præsenti casu negari non potest, varios quoad administrationem reddituum Societatis Misericordiæ irrepsisse abusus, ut ex *Summario* deprehendi valet.

Hinc ad IV. infert, expensas præsentis litis subeundas esse a Confratribus dissidentibus, quippe quia non ad tuenda Societatis jura, sed cervicosè, injustè, & ut Episcopo contradicerent eam instituerunt, *Constantin. ad Statut. Urbis annotat.* 59. *artic.* 7. *num.* 29. *&* 314., *Rot. coram Mantic. decis.* 262. *in fin.*, *& coram Coccin. decis.* 1911. *num.* 13.

Hæc sunt, quæ Episcopus animadvertit, quæque conferenda erunt cum aliis a Confratribus adductis, & in præcedenti folio relatis.

Præcipuum quæstionis caput eo spectat, ut dignoscatur, valida, nec ne fuerint Comitia anno 1765. habita. Dubitari quippe posset, an Sodalibus nuncianda essent, quæ in Congregatione proponenda erant, ut possent negotium expendere, ac maturius proferre judicium. Insuperque, an Episcopo jus esset ferendi suffragium.

Si quæ de Capituli convocatione a Doctoribus traduntur, transferre licet ad convocationem Congregationum, quæ a Confratribus haberi solent, compertum erit, moneri præsentes per diem ante oportere de die, hora, & loco *Gloss. in Cap. Si de Capitulo de concess. Præb.*, *Calderin. cons.* 2. *&* 3. *de Constit.*, *Ceccoper. lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 28., *Scarsanton. ad citat. loc. Ceccoper. num.* 24., *Petra Comment. ad Constit.* 1. *S. Leonis Magni sect.* 2. *num.* 44.; non ita tamen necesse esse, ut in ipsa convocatione res pertractanda significetur, quemadmodum tradit *Card. Petra loc. citat.*, & declaravit *Sacra Congregatio in Lunen. Sarzanen.* 12. *Martii* 1655. *ad IV.* Ratio autem est, quia qui suffragium ferre debent possunt dilationem exposcere, ut consultius respondeant de re ad deliberandum proposita.

Monet insuper *Card. Petra eodem in loco*, attendendum potissimum esse stylum, & consuetudinem, seu Capituli Statutum, quo immutato jure possent Capitulares actum irritare, *Passerin. cap.* 10. *num.* 49. *de elect.*, *Scarsanton. loco citat.*, *& alii*. Inquirendum itaque an hæc, quæ de Canonicorum Capitulis dicta sunt, in præsenti etiam casu locum habere debeant.

Certum est itidem, non posse Episcopum, seu Vicarium, qui Capitulo interfit, ferre suffragium, ut advertit *Card. Petra loco citat.*, & pluries Sac. Congregatio declaravit. Præcisè autem in casu, de quo agitur, habenda præ oculis est resolutio *in Asculana* 24. *Martii* 1725., in qua cum Episcopus vel per se, vel per alium interesse consueverit

Con-

Congregationibus generalibus habendis a Societate Sanctissimi Suffragii Terræ Offidæ, dubitatum fuit = *An Episcopus, seu persona per eum deputanda possit suffragium ferre* = & responsum prodiit: *Negative*.

In eadem *Asculana* disputatum fuit IV. loco = *An liceat Reverendissimo Episcopo removere Officiales, & Ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei, & graves exceptiones patiantur* = & Sacra Congregatio respondit = *Affirmativè*.

Omnibus itaque perpensis, resumptoque præsentis Causæ folio diei 14. Januarii, dignabuntur EE. PP. declarare

I. *An sit locus electioni Alumni, & respectivè subministrationi annuorum scut. 30., ita ut electio facta de persona Clerici Joannis Baptistæ Ricci sustineatur, in casu &c.*

II. *An sint reintegrandi Confratres ultimo loco deleti ab Episcopo, & respectivè delendi novi Confratres ab Episcopo electi, in casu &c.*

III. *An sit restituenda facultas Officialibus Confraternitatis administrandi, & exigendi reditus ejusdem Confraternitatis, itaut sint removenda sequestra, in casu &c.*

IV. *An ad expensas præsentis Litis teneantur Confratres, seu potius fieri debeant ex reditibus Confraternitatis, in casu &c.*

TRIDENTINA APPLICATIONIS MISSARUM. Novæ Audientiæ beneficio a Francisco Concini impetrato, redit ad examen Causa, quæ in Congregatione diei 26. Martii superioris anni decisa jam fuerat. Proposito enim tunc dubio = *An Capellani pro tempore Capellaniæ, de qua agitur, teneantur Missas applicare pro Animabus Fundatorum, itaut decretum Vicarii Generalis Tridenti sit confirmandum, vel infirmandum, in casu &c.* = Rescriptum prodiit = *Affirmativè, & decretum Vicarii Generalis esse confirmandum* = Viden. folium distributum die 27. Februarii ejusdem anni, in quo facti series fusius exponitur. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Novis itaque prolatis juribus, inquit Capellanus Concini, onus applicationis in litera fundationis non contineri, cum hæc nil aliud Capellano pro tempore injungat, quam personalem residentiam, & celebrationem quinque Missarum singulis hebdomadis. Sustinet autem, onus applicationis nequaquam inferri à demandata celebratione, cum sint hæc duo inter se omnino distinta, *Rot. in Hispalen. applicationis Missæ pro Populo* 14. *Junii* 1751. §. 11. *coram Eminentissimo Migazzi, & in confirmatoria* 31. *Januarii* 1755. *coram Canilliac*. Idque etiam sæpius definitum ab hac Sacra Congregatione, ac locum quoque habere, ubi etiam celebrationis onere gravatus, pro Missis non ce-

celebratis restitutioni eleemosynæ esset obstrictus, *Rot. in dicta Hispalen.*, *& in Firmana Eleemosynæ Conventualis* 12. *Februarii* 1751. §. 6. *coram Amadeo*.

Idem quoque desumi, ait, ex ipsa mente Fundatorum, qui dum Missarum celebrationem demandarunt, id unum in votis habuerunt, ut Populi commoditati consultum foret, quemadmodum ex subsequuta Capellaniæ erectione eruitur. In hoc autem casu applicationem omnino excluſam videri, *Amostaz. de cauſ. piis lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 46. *&* 52., *Sac. Congregat. in Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1679., *in Tricastinen.* 8. *Augusti* 1711., *in Novarien.* 22. *Novembris* 1727., *& in Spoletana* 18. *Septembris* 1751.

Suadere hoc nititur Capellanus nonnullis conjecturis. Advertit primum, Missarum celebrationem demandatam fuisse in honorem, & cultum S. Uldarici Capellæ Patroni, Infert proindè, volitam nequaquam applicationem *Sac. Congregat. in Mediolanen.* 11. *Maji* 1748. Deinde observat, alia plura, eaque gravissima onera fuisse Capellano injuncta, continuæ videlicet personalis residentiæ, ac assistentiæ præstandæ infirmis, quod plurimum in pretio habitum fuit in *Fulginaten. Applicationis Missæ* 7. *Septembris* 1737. Contra autem tenue stipendium viginti marcarum Meranensium, hoc est scutorum circiter 27., quod prædictis oneribus nequaquam respondet, multo minus æquare potest aliud onus applicationis quinque Missarum qualibet hebdomada, quod idcirco nullo modo præsumi debet, *Amostaz. loc. citat. num.* 50., *&* 51.; Ac demum observat, Parochum Plebis Jugi, cui reliquæ duæ Missæ qualibet hebdomada per unum, eumdemque actum injunctæ sunt, onus numquam subiisse applicationis, Certum verò esse, unam determinationem, plura determinabilia respicientem, omnia pariformiter determinare, ad regulam traditam ab *Alexand. in Leg. jam hoc jure ff. de vulgar., & pupillar.*, *Rot. decis.* 85. *num.* 19. *coram Ludovis.*, *decis.* 176. *num.* 6. *coram Priol.*, *& decis.* 583. *num* 5. *coram Emerix Jun.*

Momenti verò non esse, quod præsens Capellaniæ status reditum afferat scut. 250., ut Testes deposuere. In primis enim, ait, Testes hujusmodi esse extrajudiciales, nullamque probationem constituere. Monet præterea, distinguendos esse reditus in prima fundatione assignatos, ab aliis, qui ex pia largitione Bartholomæi Concini postea superacceſſerunt. Observat enim, quod ipse Capellaniæ reditus nimium tenues cognoscens ad decentem Capellani sustentationem, illos quidem auxit, sed auxit etiam onus annuæ celebrationis Missarum septem supra decem in Capella Sancti Lazzari, pro suæ, suorumque Animarum salute, nec aliquid innovavit de conventionibus in originaria fundatione contentis. Atque hinc contendit, ex hoc redi-

dituum augumento diversum onus applicationis induci non posse, *Scarfanton. ad Ceccoper. part. 2. lib. 3. titul. 11. num. 6.*, *Rot. decis.* 1000. *num.* 4. *coram Emerix Jun.*, *Sac. Congregat. in Tudertina Capellaniæ* 12. *Martii* 1718., *& in Montis Falisci* 21. *Martii* 1721.

Et quo ad redituum quantitatem, illud etiam ponderandum proponit, in primæva fundatione nonnisi quam 20. Marcas Meranenses Capellano fuisse assignatas. Marcam verò Meranensem respondere valori scuti unius, & obul. 35. monetæ Romanæ, *Simon Petrus Bartholomæi differt. de Speciebus monetarum Tridentin.*, *Veronen.*, *& Mercanen. anno* 1749. *Tridenti edita*. Proindeque Marcas viginti Meranenses, summam non excedere scut. 27., quemadmodum Publici etiam Cambistæ retulerunt, quibus uti deponentibus de re ad proprium officium spectante, plena fides est adhibenda *Capon. discept. Forens. sub num.* 2., *Rot. decis.* 2. *num.* 22. *tit. de censib. coram Falconer.*. Nec oppositum desumi ex iis, qui ab altera Parte afferuntur Auctoribus de Marcarum valore differentibus, cum isti non loquantur de Marca Meranensi, sed de Marca *Argenti puri valente sex ducatos de Camera*, ut scribit *Nicol. ad Concordat. Germanic tit.* 1. *de reservat. §.* 20. *pag.* 35.

Nil relevare dicit, in fundatione designatos non fuisset dies festos Missarum celebrationi, prout fieri debuisse videretur, si Populi tantùm commoditati fuisset consultum. Observat enim in primis, liberum Capellano non fuisse a celebratione diebus festis desistere, cum onus in fundatione his verbis fuerit injunctum = *Capellanus taliter se teneat erga Plebanum in Jugo, quemadmodum similes Capellani in aliis Plebibus facere tenentur, ita etiam ne per celebrationem ejusdem homines ipsius Villæ Dominicis festivis, ac solemnibus diebus a visitatione Plebis abstrahantur, sed ut eo maturius celebret* = Advertit insuper, non solum quinque Missarum celebrationem singulis hebdomadis fuisse Capellano injunctam, sed præter has, duas alias Plebano Iugi fuisse demandatas, quæ omnes cum Missam quotidianam constituant, infert, Populi commoditati singulis festis, ac feriatis diebus abunde fuisse consultum.

Perperam verò applicationem desumi posse existimat, ex verbis in erectione Capellaniæ adhibitis = *Saluti animarum suarum prospicere volentes* = Respondet enim, deficere additamentum = *& successorum*, = quod vi sua onus applicationis importat. Hinc verba illa non aliter intelligi oportere, nisi quod Populus eximeretur ab onere adeundi longè distitam Ecclesiam Parochialem, & Sacerdotem apud se haberet, qui diebus singulis Sacrum faceret, atque infirmis spiritualem opem præberet.

Demùm, recurrit ad observantiam applicationis negativam, per duo sæcula cum dimidio, & ultra protractam. Id se-

mel

mel, & bis fassam fuisse Communitatem Avisii, sæpe sæpius Capellanos, quorum testimonio plurimùm deferri oportere monet *Pignattel. consult.* 219. *Jub num.* 1. *tom.* 4. *Rot. in Tarraconen. Eleemosinæ* 28. *Januarii* 1704. *cor. Omanna*; id insuper testari quatuor Homines Terræ Avisii de auditu, ac de publica voce, & fama deponentes, & probare alia jura, quæ inter monumenta Causæ recensentur.

Contra Promothor Causarum piarum pro Applicatione Missarum urget, innixus regulæ a Canonistis, a Tribunalibus, & ab ista etiam S. Congregatione probatæ, quod scilicet injuncta obligatio celebrandi implicitum secumferat onus etiàm applicandi, quoties aliter dispositum non constet *Fagnan. in Cap. significatum de Præb.*, & *Dignit. numer.* 44., *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 208. *num.* 6.

Hanc autem regulam tunc potissimum locum habere ait, cum ex fundatione deprehenditur, vel animæ tantum saluti, vel una cum Populi commoditate, animarum quoque expiationi Fundatores respexisse. In fundatione verò Capellaniæ, de qua agitur, non aliam fuisse Fundatorum mentem patere, ex illis verbis in ea expressis = *Saluti animarum suarum providere volentes &c. Missam &c. erigere, & fundare intendunt* = Maximè quia septendecim alias Missas a Capellano celebrari voluit Bartholomæus Concini, cum hac expressione = *pro salutæ animæ suæ, & suorum* = qua posita nunquam de onere applicandi fuit dubitatum.

Quod verò respicit observantiam non applicandi, animadvertit primum, ab hodierno Capellano allegari non posse, quum institutionem ad Capellaniam obtinuerit cum præciso onere, assumptaque obligatione Missas pro Fundatoribus applicandi. Nefas proindè esse a pactis, expressaque conventione resilire *Rot. coram Gregor. decis.* 467. *num.* 5. *coram Bich. decis.* 437. *num.* 23., & *coram Falconer. de Offic. Ordin. decis.* 20. *num.* 16.. Nec prodesse protestationem postea emissam de non acceptando onere applicationis, cum ea facto contraria reperiatur, nec ullimode in jure attendi mereatur.

Cæterum hujusmodi negativam observantiam, nequaquam probari sustinet, si ratio temporum habeatur. Animadvertit enim, Capellaniæ erectionem desumi ab anno 1488., nec ullum allatum fuisse documentum, quod priora illa tempora respiciat. Quod verò respicit tempus posterius asserit, nonnulla quidem exhiberi documenta, sed hæc observantiam Juris dispositioni contrariam concludenter, ut opus esset, non probare.

Et quatenus etiam observantia satis probata dici posset, nihilominus contendit, nullam de ea habendam esse rationem, vel quia paucorum annorum spatium comprehendit, vel etiam quia in aliis similibus casibus, non obstante ob-

observantia, Sacra hæc Congregatio applicationi locum esse definivit.

Scitissimè hac in re observat sa. mem. Benedictus XIV. *de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 9.*, quod demandata per Fundatorem Beneficii, seu Cappellaniæ Missæ celebratione, injunctum quoque censeatur onus applicandi. Nam etsi juxta *regul. 57. Jur. in 6. contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda*; Nihilominus *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius*, ut ex alia *Reg. 45. eod. tit.*. Verosimilius autem est, eum, qui beneficium, seu Capellaniam fundavit, & onus celebrandi Missam imposuit, applicationem etiam voluisse.

Verùm quia ex altera Juris regula edocemur, præsumptionem a validiore præsumptione vinci; hinc si ex alia causa Missæ celebratio injuncta deprehendatur, præter quam in suffragium Animæ, videlicet pro commoditate Populi, tunc regula superius expolita cessat, ab eaque receditur, quia applicatio demandata non præsumitur, ut ex variis Sac. hujus Congregationis resolutionibus relatis in folio præsentis Causæ distributo *die* 27. *Februarii* superioris anni.

Tota itaque indago primo loco pendet ab interpretatione voluntatis Fundatorum. Dubitari non potest, eos Populi commodum præ oculis habuisse, cum Capellaniam fundaverint, quia *ipsi Homines Avisii plurimum distant a Plebe Jugi, ac propter Montis asperitatem, potissimè etiam aeris intemperiem, eamdem Plebem ad audiendum Missas, & Divina Officia accedere non valeant, præsertim valetudinarii, senes, Pueri, ac mulieres prægnantes*: Atque etiam quia iisdem Hominibus *grave foret propter d. Plebis distantiam continuò stare absque Sacerdote, ad quem in extremæ necessitatis Articulo recursum habere possint.*

Verum quia in fundatione adiecta etiam leguntur hæc verba = *Saluti Animarum suarum providere volentes*; inquirendum idcircò est, an ea ostendant, Fundatores non tam Populi commodo, quam Animæ Suffragio prospexisse; vel potius locum habere possint exceptiones, quæ contra hanc expressionem Capellanus proponit.

Perpendendum insuper, an observantia non applicandi satis probetur, & an in præsenti casu vim ullam habere possit, & debeat. Sacra Congregatio observantiam rejecit, etiam in iis casibus, in quibus Testatores nullum additamentum appossuerant, ex quo desumi posset, ipsos applicationem voluisse, ut in *Tinnen. Applicationis Sacrificii* 18. *Augusti* 1660., *in Ferrarien. Applicationis Missarum* 26. *Martii* 1718., & 24. *Februarii* 1720., & *in Cornetana* 23. *Junii* 1725.

Illud quoque serio animadvertere præstat, quod hodiernus Capellanus institutionem obtinuit ad Capellaniam, de

qua

qua agitur, cum expresso onere, ac lege, Missas pro Fundatoribus applicandi. En verba decreti = *Te Franciscum prædictum &c. instituimus, & investimus cum obligatione celebrandi Missas &c. cum earumdem applicatione pro Fundatoribus.*

His itaque ponderatis EE. PP. decernent.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

FANEN. CAPELLANIÆ. Constructo Altari B.M.V. Laurætanæ dicato in Ecclesia Spiritus Sancti Oppidi S. Georgii Fanen. Diœcesis, Dominicus, & Margarita Mattioli erigendas ibi testamento mandarunt tres Capellanias, unamquamque annui reditus scut. 50., injuncto singulis Capellanis onere per se ipsos celebrandi in eodem Altari Missas annuas 300. sub pœna privationis. Jus nominandi Capellanos alternatim dederunt descendentibus per Lineam Masculinam ab Archangelo Fabri, a Jacobo Josepho Mazza; & a Joanne Baptista Mazzanti; Et si qua ex his Lineis intercideretur, in deficientis locum substituerunt Parochum ejusdem Oppidi una cum Decurione, præstituto decemdierum curriculo ad nominandum, quem quidem terminum in posterioribus Codicillis anni 1729, postea ad 20. dies ampliarunt. Demum in cæteris bonis hæredem ex asse scripserunt dictum Altare, commissa ejusdem administratione uni ex dictis Capellanis ab aliis duobus una cum Parocho ejusdem Oppidi seligendo.

Altera ex his Capellaniis cum die 21. *Novembris* 1766. vacasset per obitum Sacerdotis Joannis Marini, Georgius, & Marcus Fratres Mazza, quibus erat jus ad eam nominandi, *die* 1. *Decembris ejusdem Anni* nominarunt Clericum Petrum Crescentini Nepotem; *e non volendosi tal nomina dal sudetto Pietro accettare*, Sacerdotem Angelum Octaviani in nominatione substituerunt. Petente hinc Clerico Petro a S. Pontifice dispensationem ætatis, judicio EE. VV. remissam, eidem sese opposuit dictus Sacerdos Octaviani, necnon alter Sacerdos Joannes Baptista Spadoni, qui jure devoluto eamdem Capellaniam ab Episcopo obtinuerat. Licet autem Episcopus tunc de more auditus in prima ejus relatione *diei* 15. *Julii* 1767. votum pro dispensatione ætatis favore dicti Clerici Petri aperuisset; quum tamen deinde evenerit, ut idem Clericus assequutus fuerit Canonicatum in Cathedrali Senogalliensi, & Sacerdos Octaviani ob id existimaverit factum fuisse locum suæ nominationi, idem Episcopus super hoc novo emergenti iterum auditus in posteriori relatione 18. *Febr.* 1768. censuit, electionem Capellani ad se jure devoluto spectare, vel quia nominatio tum Clerici Petri, tum Sacerdotis Octa-

viani

viani intra præſcriptum decendium expleta non fuiſſet; vel quia nominatio Sacerdotis Octaviani facta ſub conditione *non volendoſi tal nomina dal ſudetto Pietro accettare*, caducata remanſerit, eo quia Clericus Petrus eam acceptaverat, preceſque déderat Summo Pontifici pro diſpenſatione ætatis. Quare huic Epiſcopi Voto adhærens Promothor Fiſcalis novas preces dedit prò jure devolutionis tuendo. Singulis idcirco intereſſe habentibus monitis, nunc Sacerdos Octaviani contendit, ſibi Capellaniam adjudicandam eſſe.

Probat enim, a Fratribus de Mazza legitimis Patronis fuiſſe nominatum: nullo jure, nullaque Teſtatoris lege vetitam eiſdem fuiſſe cumulativam plurium nominationem: imo hanc a Sacris Canonibus, tamquam Eccleſiæ utilem, laudari, & approbari, *Cap. cum advocatus de jurep. Fagnan. ibid. num. 5.*, *&* 23, *Barboſ. de offic.*, *& pot. Epiſc. part.* 3. *alleg.* 72. *num.* 158., *Vivian. de jurep. lib.* 10. *Cap.* 3. *num.* 7., *& Rota in Comen. Beneficii S. Pauli* 4. *Julii* 1760. *§.* 10. *cor. Olivatio*.

Nec deſiderari conditionem, cui alligata erat ejus nominatio; Nam in primis defuiſſe dicendum eſt Clerico Petro animum verum acceptandi eo ipſo, quod ſe convertit ad conſequutionem Canonicatus, neglecta gratia diſpenſationis: inſuper vulgatum eſſe in Beneficialibus, quod ſubſtitutio cenſetur ſemper vulgaris, ac proinde ſubſtitutus in caſu noluntatis cenſeri etiam debeat ſubſtitutus in caſu incapacitatis, *Rota in Compoſtellana Parochialis* 14. *Jan.* 1765. *§. 6. cor. Herreros*.

A veritate vero alienum eſſe, quod nominatio intra decendium expleta non fuerit, quum Capellania vacaſſet *die* 21. *Novembris* 1766. Nominatio autem expleta fuerit die prima ſequentis Decembris, idque ipſum faſſum fuiſſe Epiſcopum in ſua prima relatione 15. Julii 1767.; hinc ſpernendam eſſe contrariam depoſitionem Georgii Compatroni de antidata teſtantis, quia Patronus nequit ex poſt proprio facto, vel dicto deteriorem facere conditionem nominati, & jus ei quæſitum imminuere: fortius, quia tanquam unicus nullam fidem meretur, eoque minus quia propriam allegat turpitudinem, & ſibimet ipſi contradicit.

His addit, ſpatium decem dierum extraneis tantum ſubſtitutis in caſu defectus Lineæ Vocatorum præfinitum fuiſſe, non poſſe idcirco extendi ad Familias prædilectas: Obſervat inſuper, in Codicillis ampliatum fuiſſe ad dies viginti, & ita ſemper ſervatum. Demum advertit nec a jure, nec a teſtatore vetitum fuiſſe, ne duo Fratres binas Capellanias obtinerent, cum ſatis Capellæ adminiſtrationi conſultum ſit ope præſcriptæ redditionis rationis quotannis habendæ; & revera jam pluries contigiſſe, ut vel duo

Fratres, vel Patruus cum Nepote binas possederint Capellanias.

Contra vero Sacerdos Jo: Baptista Spadoni inquit, recte Fundatores posse coercere, & moderari quadrimestre tempus a jure Patronis concessum ad præsentandum *Rot. in Pennen. Beneficii* 25. *Junii* 1753. §. 7. *coram Emo Elephantutio*. Dominicum autem, & Margaritam Mattioli Testatores expresse coercuisse tempus nominationis Capellanorum ad decem dies: nullam proinde, & irritam fuisse nominationem factam a Fratribus de Mazza post lapsum decendii, & post terminum a Testatoribus præscriptum *Rota in Firmana Prioratus* 28. *Junii* 1765. §. 10. *cor. Manelli*.

Nominationem vero post decendium expletam, probat testimonio Georgii Mazza nominantis, & Præpositi Philippi Mazza æque Compatroni. Hinc de antelatione notat datam in nominatione adjectam, eamque comprobat recognitione Notarii, cum nonnisi quam *die* 10. *Decemb.* 1766. superaddita nominationi fuerit, sicque post dies 19. ab obitu ultimi Capellani.

Inane autem diffugium quæri a Codicillis, quibus decendium ad dies viginti ampliatum fuit. Advertit enim hanc prorogationem imperatam fuisse in casu extinctionis linearum vocatarum, & purificatæ substitutionis Parochi, & Decurionis. Contendit clare id evinci ex verbis codicillorum, in quibus de solo Parocho, & Decurione habetur mentio. Carpit hinc de aperto errore judicium Episcopi, qui in sua prima relatione censuit, Patronis omnibus concessum fuisse spatium dierum viginti; concludit, nominationem Patronorum nonnisi, quam *die* 6. *Martii* 1767. fuisse Episcopo exhibitam, sicque post quadrimestre ab obitu ultimi Capellani: hinc infert, recte Episcopum jure devoluto vel ob non factam intra statutum terminum nominationem, vel ob protractam præsentationem ultra terminum Juris nominasse, sibique proinde per Episcopum nominato, Capellaniam esse adjudicandam,

A cæteris interesse habentibus nihil hactenus datum est, quamvis diu fuerint expectati. Devolutionem late tuetur Episcopus in sua posteriori informatione *diei* 18. *Febr.* 1768., quæ inter monumenta causæ habetur.

Præstat ante oculos habere Fundatorum dispositiones. In communi Testamento post datum alternatim jus nominandi descendentibus per lineam masculinam ab Archangelo Fabri, a Jacobo Josepho Mazza, & a Joanne Baptista Mazzanti ita disposuerunt = *In caso poi di estinzione di qualcuna di dette linee, in luogo della medesima debba nell'elezione sudetta subentrare il nostro Parroco pro tempore di S. Giorgio giontamente col Signor Confaloniere pro tempore di questa Communità, ed in caso che nel termine di dieci giorni dalla vacanza della Cappellania non avessero i sudetti, a quali spetta la nomi-*

mina, nominato il Cappellano, proveda detta Cappellania l'Ordinario del Luogo, e sempre colle stesse condizioni, oblighi, e pesi.

In posterioribus vero Codicillis Ioannes Baptista Mattioli legem dixit = *voglio che in caso di estinzione di ciascuna delle linee, a quali spetta la nomina de Capellani nominati in detto Testamento, nel qual caso il Parroco, e Confaloniere di questo luogo dovranno nominare il Cappellano, abbiano tempo a far tal nomina venti giorni, e non dieci, come determinavo in detto mio testamento.*

Ponderandum hinc, an decendii tantum terminus fuerit in testamento statutus Parocho, & Decurioni, erga quos minor urget affectionis Testatorum præsumptio: vel saltem prorogatio ad dies 20. facta in codicillis faveat etiam lineis prædilectis, erga quas major præsumitur Testatoris affectio. Num item probata satis sit antelatio diei nominationis ad inducendam nominationis devolutionem in præjudicium Patronorum, & Capellani ab ipsis nominati.

Vestrum igitur erit EE. PP. declarare.

An, & cui adjudicanda sit Capellania, de qua agitur in casu &c.

AMERINA. Ad novam ædificandam Parochialem Ecclesiam in Oppido Jovii Amerinæ Diœcesis, Alexander Dux Matthæjus ejusdem Oppidi Dominus Anno 1738. duo a sa. mem. Clemente XII. obtinuit rescripta: primum: *Ut pro constructione novæ Ecclesiæ erogari valeat summa, quæ debetur monti, seu montibus frumentariis ejusdem Terræ Jovii, pro eo tamen solummodo, quod supersit extra sortem erectionis*: Alterum: *Ut erogari valeant annua scuta 120. assignata pro duabus puellis de terra Jovii, quæ nubere velint in Domino, non concurrentibus de illa terra Jovii puellis de anno in annum, quæ velint profiteri in religione: sin autem una saltem puella concurrat ex prædictis, unum subsidium dotale tantum scutorum 60. de anno in annum erogari valeat pro constructione dictæ Ecclesiæ ad decennium.* *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Cæpta hinc est anno 1743. novæ Ecclesiæ ædificatio, Duce Matthæjo largiente fundum, plurima subsidia præstante, atque etiam promittente *contribuire ogni anno scudi cento in tante rubbie di grano, qual farò consegnare alli Deputati di detta fabrica, e continuarò in detta contribuzione non solo per un decennio, ma anche più di esso, se nel decennio medesimo non fosse compita del tutto la fabrica.*

Cum autem anno 1764. necessitas urgeret, ut ædificium quam citius compleretur, ac deessent pecuniæ, hodiernus Dux Matthæjus venditionem petiit Locorum Montium 20., quæ fundum constituebant unius ex dictis duobus subsidiis dota-

libus ; propositò idcircò Sac. Congregationi : *An , & quomodo , & quibus conditionibus sit concedenda facultas alienandi* 20. *Loca Montium hereditaria Barburæ Matthæi Bevilacquæ* ; responsum fuit die 15. Decembris 1764. *Affirmative cum onere reintegrandi Loca* 20. *Montium ex multiplico faciendo cum fructibus aliorum* 20. *LL. superextantium , non concurrente tamen quolibet anno puella Terræ Jovii , quæ velit in Domino nubere , & cum scutis* 40. *annuis detrahendis ex salario Ludimagistri post obitum præsentis usque ad reintegrationem prædictam ; in reliquis Episcopus procedat prout de jure* . Viden folium *dict* 24. *Novembris* ejusdem anni , in quo disertissimè facti species habetur .

Distractis iisdem locis cum erogatione pretii in prosequutionem fabricæ, adiecta multiplici lege super fructibus aliorum 20. Locorum, acquisita jam habentur loca duo, ac centesima quinquaginta . Cum tamen ad Fabricam complendam desit adhuc summa scut. 1506., postulat modo Communitas , & cum ea Dux Matthæi illius Baro , ut concedatur facultas alienandi dicta LL. 2. 50. ex multiplico comparata , itemque imponendi censum scut. 1000. super iisdem Locis 20. superextantibus , ut tandem aliquando perfici valeat Ecclesia .

Inquiunt , quæstionem esse de opere cæpto , quod necessario absolvendum est, nullum autem esse Fabricæ Ecclesiæ reditum : nullum Ecclesiæ Patronum : nulla in Ecclesia erecta beneficia : Parochiales vero reditus valde exiguos , & impares ad congruam Rectoris sustentationem : populum verò maxima paupertate detentum , & ad graves angustias redactum . Id ipsum agnovisse Sacram Congregationem , dum anno 1764. applicationem Locorum 20. Montium indulsit . Deficiente idcirco adhuc summa scut. 1500. ad fabricam absolvendam, necessarium esse extraordinarium subsidium , ut cæptum opus absolvatur .

Nullum autem aptius esse remedium , quam alienationem LL. 2. 50. ex multiplico aquisitorum , & impositionem census scut. 1000. super reliquis LL. 20. Montium superaxtantibus . Sic enim Fabricæ necessitati statim occurri , nihilque detrahi pio operi subsidiorum dotalium , quæ tantum suspensa remanent , usque dum ex residuis fructibus dictorum Locorum 20. , & ex venditione tritici Montis frumentarii *dello spiano* reintegratio fiat : assentiri tum Communitatem , tum Ducem , cui jus est ad subsidia dotalia nominandi : demum puellarum præjudicio prævalere debere justam , ac necessariam , urgentemque causam ædificationis Ecclesiæ Parochialis ; maxime quia incertæ sunt puellæ , quæ hanc Dotem assequi possint , incertumque etiam, an extituræ sint ex Oppido Jovii , quæ hoc indigeant Subsidio .

Per-

Perperam vero Episcopum conqueri de intermissa a Duce annua præstatione scutorum 100.; hanc enim tantum promissam fuisse *non solo per un decennio, ma anche più di esso*: hujus autem obligationis vim tantum extendi ad breve tempus ultra decennium *leg. hæc adjectio ff. de verb. signif., Barbos. dict. 32. num. 5.*; Cum itaque ab anno 1741. soluta fuerit promissa præstatio sc. 100. ad annum usque 1763., abunde ideo suæ obligationi satisfeciisse *Rot. coram Vbald. decis. 196. num. 2., & in rec. dec. 765. num. 5. part. 3.*

Episcopus annuit Oratorum votis, addit tamen *quoad Montem DELLO SPIANO oritur quæstio circa quantitatem frumenti Fabricæ applicati, quodque in extinctionem census erogandum, ab EE. VV. opportune decidenda: atque in eo versatur, num fundus pro prima erectione constitutus, sit modo separandus a frumento, quod in horreum ab illius debitoribus, quibus mutuatum reperitur, reponendum est, vel potius ex infra dicendis, dicendum sit ejusdem primæ erectionis fundum jam separatum fuisse, & existere. Pro rei intelligentia hoc scire nequaquam EE. VV. erit grave, quod de anno 1746. nescitur, qua facultate pro parte Communis Jovii fuerunt ab eodem Monte separata rubra 60. frumenti, & in alium montem sub nomine Monte Abbondanza de novo tunc erectum translata: cum ideo ministri ex massa frumenti de hodierna pertinentia Montis dello spiano, quod actu reperitur rubrorum prope centum intendant separare rubra 38., tamquam fundus primæ erectionis, nimis gravosum mihi videtur applicationi de hujusmodi fundo favore Fabricæ, imo menti sa. mem. Clementis XII. prorsus adversari, qui unice tantum voluit, ut fundus primæ erectionis illæsus servaretur: cum ideo idem fundus jam contineatur in dismembratione facta, & quidem in majori quantitate rubrorum nempe 60., cur modo separandus prætendi poterit a reliquatu frumenti del Monte dello spiano in esse relicto, & existente.*

De Ecclesiis Parochialibus Synodus Tridentina hæc habet = *Parochiales vero Ecclesias, etiamsi juris patronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant qualibet appellatione, exemptione, & contradictione remota. Quod si nimia egestate laborant, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in prophanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce convertendi.*

Sacra Congregatio *anno* 1707. *die* 29. *Novembris* circa hujus Ecclesiæ Ædificationem respondit: *Attenta relatione Episcopi Amerini, quoad renuentiam Populi in contribuendo pro ædificatione novæ Ecclesiæ, eidem Episcopo censuit imponendum, ut procedat pro ut de jure*: item die 26. *Janu.* 1743. rescripsit:

Pro

Pro ejusdem Ecclesiæ tutiori, & celeriori executione, quatenus opus sit, procedat etiam pro ut de jure ad formam resolutionis editæ anno 1707.. Idque ipsum Episcopo injunxit sub *die* 15. *Decemb.* 1764.

Advertendum tamen, quod tota ferè fabrica Ecclesiæ erecta est sine ullo populi incommodo, & adjumento, nec Episcopus unquam loci incolas ad præstandas operas, vel ad contribuendum coegit. Exterior Ecclesiæ facies nunc jam completa, & perfecta est, æs tamen alienum in parte iam fuit contractum, & contrahi adhuc aliud debet pro opere complendo; tota hinc inspectio supereſt, an vera necessitas urgeat providendi aliquo extraordinario remedio, vel potius Communitas ad reliquum expensarum cogenda sit.

Emi Patres assueta æquitate responsum dabunt.

Dub. *An sit concedenda facultas alienandi Loca Montium confecta ex multiplico, itemque facultas imponendi censum scutorum* 1000. *super fructibus Locorum viginti superextantium juxta votum Episcopi in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 16 Septembris 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

HAbent Eminentiſſimi PP. in præſenti folio deſcriptas quatuor Cauſas, quæ cum aliis ex alio folio præteritæ Congregationis reſumendis, ipſorum judicio ſubjiciuntur.

JANUEN., SEU ALBINTIMILIEN. NULLITATIS MATRIMONII. *Seſs. 24. cap. 1. de Reform.*

An ſit locus diſſolutioni Matrimonii, in caſu &c.

Dilata, & eſſe locum experimento cohabitationis triennalis.

BALNEOREGIEN. ELECTIONIS ALUMNI. *Seſs. 25. cap. 5. de Reform.*

I. *An ſit locus electioni Alumni, & reſpectivè ſubminiſtrationis annuorum ſcut. 30., itaut electio facta de perſona Clerici Joannis Baptiſtæ Ricci ſuſtineatur, in caſu &c.*

II. *An ſint reintegrandi Confratres ultimo loco deleti ab Epiſcopo, & reſpectivè delendi novi Confratres ab Epiſcopo electi, in caſu &c.*

III. *An ſit reſtituenda facultas Officialibus Confraternitatis adminiſtrandi, & exigendi reditus ejuſdem Confraternitatis, itaut ſint removenda ſequeſtra, in caſu &c.*

IV. *An ad expenſas præſentis litis teneantur Confratres, ſeu potius fieri debeant ex reditibus Confraternitatis, in caſu &c.*

Ad I. Negativè in omnibus. Ad II. Affirmativè in omnibus. Ad III. Affirmativè in omnibus. Ad IV. Negativè ad primam partem, Affirmativè ad ſecundam.

TRI-

Sess.25. cap.5 de Reform.

TRIDENTINA APPLICATIONIS MISSARUM.
An sit standum, vel recedendum à decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.25. cap.9. de Reform.

FANEN. CAPELLANIÆ.
An, & cui adjudicanda sit Capellania, de qua agitur, in casu &c.

Capellaniam esse adjudicandam Sacerdoti Ottaviani, & amplius.

Sess.21. cap.7. de Reform.

AMERINA.
An sit concedenda facultas alienandi loca Montium confecta ex multiplico, itemque facultas imponendi censum scutorum 1000. *super fructibus locorum viginti superextantium juxta votum Episcopi, in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo, juxta instructionem.

Sess.23. cap.18 de Reform.

VERULANA ARCHIDIACONATUS. Vacavit mense Aprilis anni 1766. Archidiaconatus Cathedralis Ecclesiæ Verulanæ per promotionem Sacerdotis Andreæ Spana ad Ecclesiam Signinam. Hanc Dignitatem, *pro uno Presbytero actu*, pluribus prædito requisitis, institutam a pio Viro Thoma Taboni, postulavit Clericus Deodatus Bisleti annorum sexdecim, tanquam a Fundatore prædilectus, precesque dedit Summo Pontifici pro ætatis venia, & gratia provisionis. Verùm Contradictorem invenit Sacerdotem Petrum Galluzzi, qui prævia dispensatione concursus ex lege fundationis præscripti in defectum Descendentium a Familia Bisleti, Archidiaconatus collationem ipse quoque petierat. Quare Emus Pro-Datarius utriusque preces ad Sac. Congregationem remisit, propositoque die 27. Februarii 1768. dubio = *An, & quæ Supplicatio sit relaxanda* = responsum fuit = *Neutram esse relaxandam* = Viden. folium diei 30. Januarii superioris anni, in quo Fundatoris dispositio, & fundationis tabulæ fusius recensentur.

In-

Indicto proindè juxta fundationis legem concurſu, eoque expleto die 30. Aprilis ejuſdem anni, Examinatores Synodales, perſpectis ſcientia, moribus, aliiſque Concurrentium qualitatibus, idoneum *in primo gradu* renunciarunt Canonicum Petrum Speranza; in *ſecundo* Dominicum Pirillium; in *tertio* Salvatorem Tullio: Quare Epiſcopus digniorem cenſuit, præelegitque Canonicum Speranza, quem teſtimonialibus, ac familiaribus etiam literis Emo Pro-Datario commendavit.

Appellationem ab irrationabili Epiſcopi judicio interpoſuit Tullius tertio loco approbatus, ſed illam rejecit laudatus Eminentiſſimus Pro-Datarius, datis literis Apoſtolicis Canonico Speranza, qui earum vigore Archidiaconatus poſſeſſionem adeptus eſt. Acriter tamen conqueſtus eſt Sacerdos Tullius, querelæ de irrationabili judicio Epiſcopi addens jactationes de admiſſis attentatis; Quamobrem Canonicus Speranza ad removendam omnem controverſiam, comparandamque ſibi pacificam Archidiaconatus poſſeſſionem, infraſcripta dubia ſubſcribi curavit, eiſdem querelis conſentanea, & ſilente adhuc Sacerdote Tullio ſæpius jam monito, pro illorum ſupplicat reſolutione.

Ad I. inquit idem Canonicus Speranza, ipſum fuiſſe in primo gradu approbatum ab Examinatoribus Synodalibus, qui circumſtantias omnes, ac Concurrentium qualitates, & requiſita præ oculis habuerunt; Cumque in concurſu ex lege Fundationis indicto, ſervatum adamuſſim fuerit quidquid Apoſtolicæ Conſtitutiones, & Concilium Tridentinum præcipiunt, perperam idcircò de irrationabilitate redargui judicium Epiſcopi, quod omni etiam juris præſumptione fulcitur: Maximè quia ex Fundatoris voluntate dignioris electio judicio, & prudentiæ Epiſcopi remiſſa eſt.

Præſtantiorem verò, magiſque dignum, atque idoneum meritò habitum fuiſſe Canonicum Speranza, patere dicitur ex ſtudiis peractis, ex actis concurſus, atque ex datis in eo reſponſionibus. Innumera referuntur ejus merita, dotes, prærogativæ, ac qualitates, quarum ſpecimen ipſum dediſſe fertur, dum Eccleſiæ Verulanæ, ac Diœceſi inſerviit. Advertit, ipſum fuiſſe etiam Fundatori Archidiaconatus dilectum, quum ab eodem fuerit nominatus ad alterum ex tribus Canonicatibus ab eo inſtitutis. His omnibus accedere unanime judicium Capituli Eccleſiæ Cathedralis, Decurionum, & Parochorum omnium Civitatis.

Nil proinde ulterius de prælecto ab Epiſcopo deſiderandum videri, cum plura ſint ejus merita, & requiſita, quorum è conſpectu ſpernendam inquit Parochi qualitatem, qua Sacerdos Tullio gloriatur, quia perpendere ſufficit, meritorum collationem non ab una tantum, vel altera qualitate dimetiendam eſſe. Cæterum nonnulla congerit de

vili conditione, ac domeſticis præjudiciis ejuſdem Sacerdotis Tullio, quorum cauſa nequaquam expedire credit, ut præferatur in aſſequutione Archidiaconatus, quæ dignitas ad augendum Cathedralis Eccleſiæ ſplendorem, ac decus fuit erecta.

Hinc ad II. concludit, ſuperfluam, atque inanem eſſe ſuper attentatis quæſtionem, cum ea ex bono jure, quo Canonicus Speranza fulcitur, prorſus evaneſcat, *Rot. in Romana Cauthelæ Angeli ſuper attentatis 5. Decembris 1740. § finali cor. Vicecomite*. Verum enim verò obſervat inſuper, nulla commiſſa fuiſſe attentata in collatione Archidiaconatus, illiuſque capeſſenda poſſeſſione, tum quia Eminentiſſimus Pro-Datarius ſemel, atque iterum interpoſitam a Tullio appellationem rejecerat, ac ſpreta prorſus ejus contradictione, literas Apoſtolicas relaxaverat, tum etiam quia recurſus nonniſi in devolutivo admitti poterat, juxta diſpoſitionem *Concilii Tridentini Seſs. 24. de Reform. cap. 18., & Conſtitutionis S. Pii V., & ſa. me. Bened. XIV.*

Beneficia Eccleſiaſtica conferenda eſſe dignioribus, eiſque, qui ætate, moribus, doctrina, & prudentia cæteris antecellunt, ſtatutum habetur *in Can. Si forte diſt. 63., cap. Quoniam de Jurepatron., & cap. Conſtitutis de appellat.*. Id autem, ut exactè impleretur in collatione Eccleſiarum, ſive eæ ſint de Jure Patronatus Eccleſiaſtico, ſive de libera Ordinarii proviſione, certam normam omnino ſervandam præſcripſit Concilium Tridentinum. Itaque *Seſſ. 24. cap. 18. de Reformat.* præciſam formam indixit concurſus habendi coram Examinatoribus Synodalibus, ſtatuitque, ut *peracto Examine renuncientur quotquot in his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis: Ex his Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre*.

Acceſſit deinde Conſtitutio S. Pii V. *In conferendis*, qua ad tollendas fraudes adverſus Tridentini legem adinventas, declaravit, quod ſi Epiſcopus minus habilem, poſthabito magis idoneo, elegerit, poſſit rejectus provocare, & appellationem, vel ad Metropolitanum, vel ad Sanctam Sedem interponere, non retardata tamen interim poſſeſſione illius favore, qui ab Epiſcopo fuerit delectus: Verum quoad modum appellandi, admittendique appellationes ſicuti nonnulli irrepſerant abuſus, ita opus fuit, ut de hoc accuratius inquireretur, & forma impoſterum ſervanda præfiniretur. Actum hac de re fuit in Congregatione diei 16. Novembris 1720., poſtquam ſan. mem. Benedictus XIV., qui munere Secretarii tanta cum laude tunc fungebatur, elucubratam exaraverat diſertationem relatam *in Theſaur. Reſolut.* ad calcem folii *diei* 1. *Octobris* ejuſ-

ejuſdem anni: Utque præſcripta forma diligenter ubique adimpleretur, de mandato Sacræ Congregationis datæ ſunt literæ Locorum Ordinariis *die* 10. *Januarii* 1721., Pontificio etiam oraculo comprobatæ, quarum tenorem laudatus Summus Pontifex retulit in ſua Conſtitutione edita *die* 14. *Decembris* 1742. incipien. *Cum illud*, in qua quidquid de forma concurſus, de præelectione, ac de appellationibus, a Sacris Canonibus, & a Concilio Tridentino, atque a Sac. Congregatione reſolutum fuerat, collegit, explicavitque, & obſervari mandavit.

Lex digniores præferendi in conferendis Eccleſiis Parochialibus a Concilio, & Apoſtolicis Conſtitutionibus ſtatuta, locum etiam ſibi vindicat in aliis Beneficiis, in quorum collatione vel ex peculiari lege, vel ex Fundatorum diſpoſitione concurſus ſit ſervandus. In caſu, de quo agitur, Fundator, deficiente aliquo idoneo ex Familia Equitis Biſleti, nominavit *per ſempre, e toties quoties quel Soggetto, che ſarà riconoſciuto più degno nel concorſo da convocarſi con tutte le ſolite formalità avanti Monſignor Veſcovo di Veroli pro tempore, in cui però voglio, che in concorſo di eguali requiſiti venga al foraſtiero, ed al Cittadino, preferito ſempre un Nobile Verolano diſcendente dalle tre famiglie &c.*

Porrò Examinatores Synodales, perſpecta non ſolum Concurrentium ſcientia ex actis concurſus reſultante, verum etiam ſingulorum honeſtate, gravitate, prudentia, meritis, ac prærogativis, in primo gradu approbarunt Canonicum Speranza, & nonniſi in tertio gradu Sacerdotem Salvatorem Tullio. Examinatorum judicio concors fuit Epiſcopi ſententia, qui Canonicum Speranza, uti digniorem, ad Archidiaconatum præelegit. Perpendendum, an in hiſce circumſtantiis de irrationabilitate redargui poſſit Epiſcopi judicium.

De hoc egit *Rota in deciſ.* 429. *num* 19. *coram Anſaldo*, ubi hæc habentur = *Fundamentum reſolutioni præbuit ineluctabilis, & undique firma propoſitio, quod ad hoc, ut judicium Epiſcopi præeligentis magis unum, quam alterum in hujuſmodi concurſibus poſſit objurgari, & reſcindi tanquam irrationabile, expoſtulatur tanta meritorum, & prærogativarum inæqualitas, ut pariat manifeſtum, & inexcuſabilem exceſſum, itaut ſi non dolo poſitive, immodice ſaltem, & non tollerabili affectioni imputanda veniat eadem præelectio, quemadmodum de mente ipſius Sacroſancti Concilii Tridentini, nec non Piane Conſtitutionis citra contradictorem ſtabiliunt Fagnan. &c.*

Hanc ipſam ſententiam conſtanter amplexa eſt Sacra Congregatio, ut proſtant exempla in *Portuen. Parochialis* 30. *Julii*, *in Firmana Parochialis* 21. *Auguſti* 1763., *in Urbanien. Præbendæ Theologalis* 23. *Junii* 1764., *in Aquinaten. Parochialis* 2. *Martii*, *in Aſculana Parochialis* 2.

Maji 1765., & in Urbinaten. Parochialis 20. Septembris anni 1766.

Omnibus itaque perpensis, dijudicent Eminentissimi Patres

I. *An constet de irrationabilitate judicii Episcopi, in casu &c.*

II. *An constet de attentatis, in casu &c.*

Ad I., & II. Negativè.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. Parochialis Ecclesia de Rothenfels, quæ extat in Margraviatu Badensi, & ante sæculum XIII. Matricitatis prærogativa pollebat, progressu temporis unita fuit Cathedrali Ecclesiæ Spiren., quæ Decimas percipit, excepta tertia illarum parte assignata Vicario, qui ad exercitium Curæ Animarum ab eodem Capitulo deputatur. Ab hac Parochia anno 1361. dismembrata fuit Villa de Seelbach ad preces Baronis Loci, qui Parochiale Beneficium in ea Villa instituit, reservatis tamen Decimis, aliisque Matricitatis juribus antiquæ Parochiali de Rothenfels. Hanc Beneficii erectionem confirmavit tunc temporis Episcopus, *pro salute etiam, & commodo evidenti Incolarum, & Villanorum dictæ Ecclesiæ Villæ Seelbach, ne propter distantiam Locorum ipsius, videlicet Villæ Seelbach, & dictæ Ecclesiæ Rothenfels, & impedimentum transitus Fluvii nuncupati Murg quamplurimum impetuosè inundantis &c. prædicti Incolæ, & Villani in Divinis Officiis, aut Sacramentorum Divinorum ministratione defectum aliquem patiantur*,

Fatiscente autem superioribus annis Parochiali Ecclesia Villæ Seelbach, demandataque per Eminentissimum Episcopum reædificatione, quæstio exorta est inter Capitulum Spirense Decimatorem, & ejusdem Villæ Parochianos, utri eorum onus hujusmodi incumberet. Interim Ædiles Margravii Badensis, qui hodiernus est Villæ Dominus, ut opus quamcitius perficeretur, Decimas sequestro subjecerunt; Sed cum Capitulum Spirense acriter conquereretur, tum de injuncto sibi reædificationis onere, tum de sequestro super Decimis indicto, oportuit Sacræ huic Congregationi gemina dubia proponere *I. An, & ad quem spectet reædificatio Ecclesiæ Parochialis Oppidi Seelbacensis. II. An*

sit

ſit locus reſtitutioni Decimarum, & a quo ſint reſtituendæ, in caſu &c.; & die 30. Maji 1761. reſponſum prodiit = *Ad I. Spectare primo loco ad reditus Fabricæ, ſecundo loco ad Populum, tertio ad Patronum. Ad II. Affirmativè, & eſſe reſtituendas a Regimine Badenſi.* Viden. folium illius diei, in quo facti ſpecies, & rationum momenta exponuntur.

Poſt hæc Cauſa ſiluit per integrum ſeptennium, ſed deinde renovato certamine, in Congregatione diei 17. Septembris 1768. cum nullus pro Regimine Magraviatus Badenſis comparuerit, idcirco inſtante Capitulo Spiren., confirmata fuit jam capta reſolutio, edito reſcripto = *In deciſis, & amplius.*

Nunc autem Regimen obtenta venia jura ſua deducendi, impugnandique præcedentes reſolutiones, quoad I. dub. præmittit, reditus Eccleſiæ ne ſatis quidem eſſe ad onera omnia adimplenda: Hinc deficientibus Eccleſiæ reditibus contendit, ex præſcripto Concilii Tridentini ad Eccleſiarum reædificationem eos potiſſimum teneri, qui proventus ad eamdem Eccleſiam pertinentes percipiunt, quorum nomine veniunt etiam Decimæ *Rot. in Urbevetana reſtaurationis Eccleſiæ 3. Martii 1752. §. 2. coram Vicecomite*, nec niſi in ſubſidium ad reædificationem adigi poſſe Populum, & Patronos *Barboſ. ad Concil. Trident. ſeſſ. 21. cap. 7. de Reformat.*, *Rot. coram Emerix jun. deciſ. 440. num. 6.*, & *coram Criſpo deciſ. 7. num. 9.*

Addit nequaquam voluntariam fuiſſe Eccleſiæ Seelbacenſis erectionem, ac diſmembrationem, cum juſtæ, & neceſſariæ cauſæ concurrerent, nempè diſtantia ab Eccleſia Rothenfels, impervium iter, flumen intermedium, & Incolarum incommodum in Divinis Officiis, & Sacramentorum perceptione. Tanta autem urgente diſmembrationis neceſſitate, onus, ex juris diſpoſitione, inſitum remanſiſſe Matrici Eccleſiæ Rothenfels pro congrua novo Parocho ex Decimis præſtanda, nec non pro novæ Eccleſiæ conſtructione, ac conſervatione *Cap. Ad Decimas de reſtitut. ſpoliat. in 6.*, *cap. Ad audientiam de Eccleſ. ædif.*, *Barboſ. de Paroch. part. 3. cap. 28. §. 2. num. 16.*, *Leuren. for. benefic. tom. 3. cap. 3. quæſt. 157. num. 8.*

Nec obeſſe Decimarum reſervationem factam favore Eccleſiæ Matricis in erectione Eccleſiæ Seelbacenſis, cum quæſtio non ſit de perceptione Decimarum, quas ad Capitulum Spirenſe pertinere non ambigitur, ſed ſuper onere reædificandi Eccleſiam, quod ex juris diſpoſitione intrinſecè ineſt Capitulo decimatori, & cui nullo modo fuit derogatum.

Demum recurrit ad univerſalem in Margraviatu Badenſi vigentem conſuetudinem, ſecundum quam neceſſitatibus Eccleſiarum occurrunt Decimatores, atque hoc agnitum,

& fa-

& facto quoque comprobatum a Capitulo fuiſſe dicit, quoad alias Eccleſias filiales Matricis Eccleſiæ Rothenfels, quibus auxilium, opemque præſtitit.

Concludit itaque ad II. jure Decimas in Eccleſiæ reædificationem fuiſſe erogatas, nec locum eſſe illarum reſtitutioni.

Capitulum Spirenſe nihil novi huc uſque deduxit, ſolumque EE. PP. modò ſupplicat, ut præterita ſcripta reſumere dignentur. In his autem viriliter ſuſtinuit onus reædificationis refundi oportere tum in Parochum, cujus reditus pingues aſſeruit, tum in Patronum, & Populum, juxta enunciativas duarum Viſitationum annorum 1686., & 1715.. In primis autem inſtetit pro reintegratione ad poſſeſſionem Decimarum ex *Text. in cap. Tua nobis 26. de Decimis*. Iiſdem nunc innixus juribus præteritæ reſolutionis confirmationem obtinere confidit.

De Parochialibus Eccleſiis inſtaurandis, reficiendiſque Concilium Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 7. de Reformat.* hæc habet = *Parochiales verò Eccleſias, etiamſi Juriſpatronatus ſint, ita collapſas refici, & inſtaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuſcumque ad eaſdem Eccleſias quomodocumque pertinentibus, qui ſi non fuerint ſufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus ex dictis Eccleſiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus juris remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota.*

Certum proinde eſt, in reædificationem Eccleſiarum erogari primum debere illarum reditus, ex aperta Concilii lege, juriſque diſpoſitione, de qua *Pyring. in jus canon. lib. 3. tit. 48. §. 3. num. 14.*, *Barboſ. de Offic., & Poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 64. num. 5.*, *Gonzalez in decret. lib. 3. tit. 48. de Eccleſ. ædific. num. 7.*, *Rot. deciſ. 627. num. 3. part. 1. Recent.*. Neque venire poteſt in dubium, quin nomine fructuum ad Eccleſias pertinentium, Decimæ quoque comprehendantur, atque idcircò onus reædificationis Eccleſiarum ipſis Decimis inſitum, quemcumque Decimatorem ſequatur *Barboſ. de offic., & poteſt. Paroch. part. 1. cap. 13. num. 2.*, *Rot. cor. Emerix Jun. dec. 407. num. primo*, *in Moguntina reparationis Chori 4. Julii 1749. §. 2. cor. Clemente*, *in Urbevetana reſtaurationis Eccleſiæ 3. Martii 1752. §. 4. cor. Vicecomite*, *in Moguntina reparationis Eccleſiæ 13. Februarii 1758. §. 3. cor. Eño Paracciano, & in Conſtantien. reædificationis Eccleſiæ 3. Martii 1758. §. 9. coram Ratta*.

Ponderandum tamen, an Eccleſia Seelbacenſis ex mera voluntate, & Baronis ejuſdem Villæ liberalitate in Parochialem erecta fuerit, ut nempe majori Incolarum commodo proſpiceretur, vel potius tanta urgeret neceſſitas, ut etiam invito, ac reluctante Capitulo Spiren. locus eſſet

diſ-

diſmembrationi, & novæ Parochialis inſtaurationi. Habenda præ oculis eſt Eccleſiæ Seelbacenſis erectio, & Epiſcopi confirmatio, ex quibus tum Baronis erigentis, tum Epiſcopi confirmantis voluntas clarè deprehenditur.

Advertendum item, plurimum hac in re deferendum eſſe conſuetudini *Abbas in cap. 1. num. 3. de Eccleſ. ædific., Barboſ. jur. Eccleſ. lib. 2. cap. 3. num. 4., Ventrigl. in prax. annotat. 18. tom. 3. §. unic. num. 3., Lotter. de re benefic. lib. 1. quæſt. 11. num. 78., Rot. cor. Mantica dec. 284. num. 2.*

Hinc inſpiciendum, quæ nam quatuor ſæculorum ſpatio conſuetudo viguerit, an ſcilicet Capitulum, vel Populus Eccleſiæ onera ſuſtinuerit.

Omnibus itaque matura, qua ſolent, deliberatione perpenſis, non dedignentur Eminentiſſimi PP. iterum reſpondere

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Non propoſita, cum ſequentibus.

HILDESIMEN. Uſus invaluit in Civitate Hildeſimen., ut nonnulli Regulares ad Civitatem ipſam pluribus infra annum vicibus accedentes, ibique per aliquot dies commorantes, ſoleant ſibi eligere Presbyterum Sæcularem ab Epiſcopo non approbatum, qui eis ſit a Confeſſionibus, quamvis non deſint, qui vel ex Sæcularibus, vel ex Regularibus, propriaque cujuſque Ordinis Familia, de Epiſcopi, vel Prælati Regularis licentia Confeſſiones excipiant. Id minimè ferri poſſe cenſet laudatus Epiſcopus; Sed ne in re tam gravi quidquam decernat, inconſulta Sede Apoſtolica, pro eximia in eam opinione, ac reverentia, dubia, quæ in calce exhibentur, declaranda proponit. *Seſſ. 23. cap. 15. de Reform.*

Et primò quidem non diffitetur, complures ex moralis Theologiæ Doctoribus opinionem tueri, quod Religioſus iter faciens, vel Domi permanens, poſſit de licentia tantum ſui Superioris, Presbyterum quemlibet ſive Sæcularem, ſive Regularem a nullo Prælato, vel Epiſcopo approbatum, ſibi in Confeſſarium eligere, ut refert *Bordon. var. reſolut. part. 1. reſolut. 34. num. 2.*. Animadvertit tamen, alios plures ex Theologis tum Moraliſtis, tum Canoniſtis contrariam ſententiam, tanquam magis veram ſuſtinere, ea præ-

ci-

cipuè ratione, quod si de jure communi, & de universali ante Concilium Tridentinum vigente consuetudine, nullus Religiosus peccata sua confiteri poterat Sacerdoti ab Episcopo non approbato; multo minus id permissum censeri debeat, postquam Concilium tam sollicitè approbationem requisivit in eo, qui Sacramentales Confessiones exciperet, *Mirand. in Manual. Prælat. tom.2 quæst. 33. art.6. Clericat. decis. Sacram. tom.2.de Sacram.pœnit.decis.39. num.5. & seqq.*

Observat præterea, ne ipsis quidem Episcopis post Tridentinam sanctionem id licere *Diana Coordinat. tom.7. tract. 1. resol. 92.*, *Nicol. Canonic.Lucubr. tom. 2.lib.5.tit.38. num.10. pag. 236*, *Clericat. ibid. num.6.*, immò nec S. R.E. Cardinalibus *Fagnan. in Cap. final. de pœnit.*, *& remis.*, *Clericat. loc. cit.*

Addit falsum omninò esse, quod Regularibus ante Concilium licuerit simplicem Sacerdotem a nemine approbatum eligere. Oppositum quippè evinci contendit ex *glossa in Cap. Omnis utriusque sexus in verb. alieno Sacerdoti de pœnit.*, *& remiss.*, *& ex Clement. 1. verb. speciali de privil.*, cui quidem *glossæ* plus deferendum affirmat, quam Doctorum opinioni. Maximè quia innititur antiquorum Canonum dispositioni præcipientium, ne ullus sive Regularis, sive Sæcularis Sacramentales excipiat Confessiones, nisi a suo Superiore, & ab Episcopo fuerit ad id munus approbatus, *Cap. Adiicimus §. Ecce in hoc, & Cap. Generaliter §. Hoc idem 16. quæst.1.* Huic autem sententiæ Canonistas ferè omnes consentire, ut apud *Fagnan. loc. sup. citat. num.10.*, *& 53.*, & apud *Clericat. loc. pariter citat. num. 11.*, quibus, cum agatur de Sacrorum Canonum interpretatione, potius quam Moralistis, seu Scholasticis est deferendum, *Card. de Luc. ad Concil. Tridentin. disc. 26. num. 24.*, *& de Matrimon. disc.3.*

Nec diversimodè intelligenda esse privilegia Regularibus concessa ab Innocentio VII., & Sixto IV., cum hæc, dum iisdem facultatem tribuunt eligendi confessarium, si non explicitè, implicite saltem designent Confessarium ab Episcopo approbatum, quia requirunt Religiosum, vel Presbyterum Sæcularem *idoneum*, *& discretum*, *Clericat. loc. citat.*. Idque confirmari ex Bulla Jubilæi, in qua caveri solet, ut Regulares eligere debeant Confessarium *approbatum*, quemadmodum ex mente Sac. Congregationis testatur *Fagnan. in Cap. Omnis utriusque num.18. de Pœnit.*, *& remiss.*. Ex quo infert, idem quoque intelligendum esse quotiescumque Confessarii electio a Regularibus fieri contingat, quia lex corrigens in uno ex correlativis, etiam in alio corrigit *Leg. final.*, *& ibi Bartol.*, *& DD. Cod. de indict. Viduit. tollen.*

Ani-

Animadvertit insuper, quod licet verum esset, quod Superior Regularis Religiosi eligentis, præsumatur tribuere Sacerdoti electo jurisdictionem ad absolvendum; nihilominus hoc non sufficeret, quia requireretur ulterius, ut Sacerdos ille idoneus fieret ad *exercitium jurisdictionis*, per approbationem proprii Ordinarii, qua deficiente impeditus semper remaneret Sacerdos ad Sacramentales confessiones excipiendas, ut observat *Clericat. citat. decis. 39. de Sacram. Pœnit. num.* 12.. Idemque dicendum de Prælatis Regularibus itinerantibus, quibus nullo modo fas est Sacerdotem Sæcularem eligere ab Ordinario non approbatum, ut contra *Bordonum*, *aliosque* tradit *Clericat. loc. cit. num.* 13., & 14.

Multoquè magis hæc omnia in præsenti casu locum sibi vindicare posse existimat, quia Regulares, eorumque Prælati ad Civitatem Hildesimen. accedentes, vel hospitantur in Monasteriis, seu Conventibus, ubi Confessarii deputati, & approbati existunt, vel si alibi morantur, eorum copiam facile habere possunt. Plures quippè, asserit, adesse Confessarios cum Sæculares, cum Regulares, qui vel in ipsa met Civitate, vel propè illam in Conventibus, & Monasteriis degunt. In his autem circumstantiis affirmat Episcopus, illos etiam Doctores, qui contrariam sententiam sequuntur, non controvertere, quin adigendi sint Regulares, alicui proprii Ordinis Religioso peccata sua confiteri, *Bordon. part.* 1 *resol.* 4. *num.* 6., & *resol.* 34. *num.* 4., *Tamburin. de jur. Abbat. tom.* 2. *disput. 6. quæst. 6. num.* 4. & 6., *Layman. lib.* 5. *tract. 6. cap.* 10. *num.* 20., *Ghobat. Theolog. experim. tract. 6. num.* 646., & *seq.*

Demum observat, nimis irrationabile esse simplicem Religiosum, forsan etiam illiteratum, & idiotam, jus habere judicandi de idoneitate, & approbandi in Confessarium Sacerdotem quemlibet sive Sæcularem, sive Regularem, qui quandoque & ipse illiteratus sit, & idiota. Id enim mali evenire posse advertit, ut Religiosus a proprio Conventu in fraudem secedat, & benevolum, atque illiteratum Confessarium eligat; quod esset absurdum, atque omninò vetitum.

Hæc Episcopus ponderanda proponit in supplici libello Sanctissimo Domino Nostro exhibito, & ad Sacram Congregationem remisso.

Absolutio in Sacramento Pœnitentiæ non est nudum dumtaxat Ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi, quod sint remissa peccata, ut Novatores existimarunt, sed actus est judicialis, quo a Sacerdote, velut a Judice, sententia pronunciatur, ut contra dd. Novatores definivit Concil. Tridentin. *Sess.* 14. *de Pœnitent. can.* 9. *Quoniam verò*, (ut prosequitur Sancta Synodus *cap.* 7.)

natura, & ratio Judicii illud expiscit, ut Sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem Ordinariam, aut Subdelegatam non habet jurisdictionem. Idque prius declaraverat Eugenius IV., & ante ipsum Concil. Lateranense sub Innocent. III. *Can.* 21.

Quamvis autem, cum quis inauguratur Sacerdos Ordinis potestatem accipiat, non accipit tamen potestatem jurisdictionis, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ad excipiendas Confessiones ab Episcopo approbetur. Alterutrum ex his modis acquirendi potestatem jurisdictionis, indigitavit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* his verbis = *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Privilegiis, aut consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.*

Hinc Urbanus VIII. in *Constit.* 92. *Bull. tom.* 4. quodlibet privilegium administrandi Sacramentum Pœnitentiæ abrogavit, nisi Episcopi facultas intercederet: Idemque observandum declaravit Innocentius XI. *in decreto de frequenti commun. die* 12. *Februarii* 1679., etiam in casu, quo ageretur de absolutione lævium culparum, aut læthalium, quæ aliàs per Confessionem fuerint expiatæ.

Super prædicta autem Conciliari dispositione, ejusque intelligentia plures quandoque institutæ sunt quæstiones. Præcipua verò fuit: An Episcopus, aliique etiam minores Prælati exempti, quibus ex *cap. final. ne pro dilatione tit.* 38. *de pœnit.*, & *remiss.* permissum est, ut *etiam præter sui Superioris licentiam providum, & discretum sibi possent eligere*, hujus Decretalis vigore queant Confessarium eligere sibi non subditum, qui a proprio Ordinario approbatus non fuerit ad excipiendas Confessiones ad præscriptum Concilii Tridentini *citat. cap.* 15. *sess.* 23. *de Reform.* Sacra Congregatio, referente Fagnano in *dicto Cap. final. num.* 62. declaravit, privilegium, quod competit Episcopis in vim hujus Decretalis, non esse quidem a Concilio sublatum, sed tamen non posse Episcopum Sacerdotem sibi non subditum eligere, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut fuerit a suo Ordinario approbatus. Idque, audita relatione Congregationis, Gregorius XIII. confirmavit.

Hujus autem resolutionis fundamenta recenset Fagnanus *loc. citat. a num.* 6. *ad* 14., ubi inter cætera observat, quod duo impediunt, quominus Sacerdos potestatem absolvendi

ali in ordinatione acceptam valeat exercere: Primum impedimentum provenit ex Concil. Trident. *dicto cap.* 15., & respicit personam ipsius met Sacerdotis, quia scilicet non sit approbatus ab Ordinario, vel Parochiale beneficium non obtineat. Alterum verò respicit personam pœnitentis, quia nempè Sacerdos in eum jurisdictionem non habeat *Cap. Placuit dist. 6., Cap. Omnis de Pœnit., & remis.* Quamvis autem a Decretali superius relata sublatum fuerit impedimentum defectus jurisdictionis, circa quod Concilium Tridentinum nihil innovavit, quia tamen remanet alterum impedimentum ex inhabilitate personæ Confessarii, ab eodem Concilio inductum, actus proindè absolutionis expediri non potest. De duobus enim impedimentis ad actum, etiamsi unum sublatum fuerit, nihilominus actus exerceri non valet, quoties aliud subsistat *Cap. Ex mecum de usu pallii, & Cap. Pastoralis de privil.* Viden. Fagnanus *loc. citat., & cap. Omnis eod. tit. sub num.* 75.

Hæc autem omnia procedunt tum quoad Episcopos, tum etiam quoad S. R. E. Cardinales, ut advertit Fagnanus *in citat. Cap. Ne pro dilatione num.* 53., *& seqq., Tria in Additionibus ad Platum num.* 55. *pag.* 410., *Andreuccius de Episc. Card. Suburbic. cap.* 3. *num.* 68., *& seq.* Eadem quoque militant quoad Parochos. Hinc Alexander VII. hanc propositionem damnavit = *Qui Beneficium Parochiale habent, possunt sibi eligere in Confessarium Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.*

Qua in re illud quoque addere juvat desumptum ex Fagnan. in *relat. Cap. Omnis de pœnit., & remis. num.* 75., quod cum in hac Sac. Congregatione disputatum fuerit, an exempti vigore privilegii resultantis ex *Cap. final. de pœnit., & remis.* possent post Concilium Sacerdoti sibi non subdito, & a suo Ordinario non approbato, in aliena Diœcesi peccata confiteri, eadem Sacra Congregatio censuit referendum SSmo, qui declaravit, posse quidem eligi Sacerdotem non subditum, sed qui esset ab Ordinario approbatus.

Gravior tamen est altera quæstio respiciens Regulares, qui privilegio potiuntur eligendi sibi in Confessarium Sacerdotem quemlibet sivè Regularem, sivè sæcularem. Non desunt plures ex Moralistis, qui contendunt, eosdem Regulares iter facientes, vel extra Claustra tempore Concionum, aut alia causa commorantes, nec Confessarium proprii Ordines approbatum habentes, posse sibi Presbyterum Sæcularem ab Episcopo non approbatum in Confessarium constituere, quos Moralistas recenset *Fagnan. in cit. cap. ne pro dilatione de pœnit., & remis. num.* 50., *& Ferraris in Bibliothec. verb. approbatio art.* 2. *num.* 10.; Verùm alii, & præsertim Canonistæ ferè omnes, quos refert *Clericat. de virt.*

virt. Sacram. Pœnit. dec. 39. ſub num. 12. contrariam Sententiam tuentur, & Ordinarii approbationem omninò neceſſariam exiſtimant.

In hoc itaque Sententiarum conflictu inquirenda præcipuè ſunt, & accuratè perpendenda privilegia a Romanis Pontificibus Regularibus conceſſa. Ludovicus Miranda Ordin. Min. in *Manual. Prælat. tom.* 2. *quæſt.* 33. *art.* 6. *concl.* 6. duo enumerat ſpecialia privilegia Fratribus Prædicatoribus tributa, & in monumentis Ordinis relata. Unum videlicet Sixti IV., quod ita ſe habet = *Quod poſſint concedere Fratribus ſuis, ut dum itineraverint, vel fuerint extra Conventus ſuos dumtaxat, valeant confiteri quibuſcumque Sacerdotibus Regularibus, ſive ſæcularibus, & quod ſimiliter id facere poſſint ipſi Prælati.* Alterum Leonis X. in hæc verba conceptum= *Quando ſunt extra Conventum, & non poſſunt habere copiam Sacerdotum, quia non habent proprium Confeſſarium, poſſint confiteri peccata ſua alteri Religioſo alterius Ordinis, vel Presbytero Sæculari, dummodo hoc fiat ſine fraude, & dicant Prælato ſuo.*

Præter hæc aliæ reperiuntur ſimiles conceſſiones, quarum una eſt Innocentii VII. pro Religioſis pariter Ordinis Prædicatorum in *Conſtit. incipien. Provenit* 16. *Kal. Novembris* 1405., ubi hæc leguntur = *Nos igitur hujuſmodi Supplicationibus inclinati Fratribus hujuſmodi, quos pro tempore, ut præfertur itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, ut ſi aliquem Presbyterum idoneum ex Profeſſoribus d. Ordinis habere non poſſint, quemcumque alium idoneum, & diſcretum Religioſum, vel Sæcularem in eorum Confeſſores eligere valeant.*

Altera verò, eſt Sixti IV. pro Fratribus Minoribus in *Conſtit. Supplicari Nobis* 11. *Auguſti* 1479. ibi = *Ut Fratres, veſtra, vel aliorum Prælatorum, & ſuorum, qui pro tempore erunt licentia, ſolummodo tamen cum itineraverint, vel fuerint extra Conventus eorum, prout eis concedetis, confiteri poſſint, & vos quomodocumque Sacerdotibus cujuſcumque Sæcularis, aut Regularis Ordinis confiteri valeatis* = Reliquas hac de re pro Regularibus editas Conſtitutiones inane eſſet recenſere, cum ſimiles ſint aliis ſupra relatis, omneſque Regulares, quoad hujuſmodi privilegia, æquiparentur.

Super his tamen privilegiis duo perpendi poſſunt: Primum ſcilicet, an ita intelligenda ſint, ut poteſtas facta Regularibus cenſeatur aſſumendi in Confeſſarium Sacerdotem quemlibet, etiam a proprio Ordinario non approbatum. Et quatenus revera hoc modo intelligi deberent, inquirendum ulterius eſſet, an talis facultas revocata fuerit a Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de reform.* Pro prima quæſtione viriliter ex utraque parte decertant Doctores. Diſſimulari profectò non debet maximam vim haber

gloſ-

gloſſam in Cap. Omnis utriuſque ſexus verb. alieno Sacerdoti de pœnit. & remiſſion., & *Clem. I. verb. ſpecial. de privileg.*, non adſtruuntur, quod ii, qui de Parochi licentia poterant alieno Sacerdoti peccata ſua confiteri, tenerentur eligere Sacerdotem habentem Ordinis exequutionem, & a ſuo Superiore ad Confeſſiones approbatum. Nota quidem ſunt, quæ contra hanc gloſſam protulit Navarrus in *Cap. Placuit num.* 40. *diſt.* 6., ſed æquè notum eſt illius rationes ſolidè fuiſſe rejectas a Fagnano in *in cit. Cap. Final. de pœnit.*, & *remiſ. ſub n.* 53., quem Canoniſtæ communiter ſequuntur.

Ad alteram verò quæſtionem quod attinet animadverti debet, tum in *Cap. ne pro dilatione de pœnit.*, & *remiſ.*, tum etiam in privilegio ab Innocentio VII. Religioſis Ordinis Prædicatorum conceſſo, iiſdem ferè verbis præſcribi, ut Confeſſarius a Pœnitente eligendus *providus* ſit, *idoneus*, & *diſcretus*. Jam verò conſtat ex Concil. Trident. *cit. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Reform.*, neminem ad Confeſſiones audiendas *idoneum reputari, niſi aut Parochiale Beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem obtineat*. Quoad Epiſcopos nullus certè poſt Concilium idoneus habitus eſt Sacerdos, niſi qui fuerit a ſuo Ordinario approbatus. Approbatio verò ſicuti non aliter, quam præſcriptis a Concilio modis haberi poteſt, ita videndum, an quæ Concilium præſcripſit, quoad Regulares etiam procedant.

Inquirendum præterea quid præſeferant clauſulæ derogatoriæ a Concilio adjectæ = *Privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus* = Hujuſmodi clauſulæ, cum favorem publicum, animæque utilitatem reſpiciant, iis etiam aptari poſſe videntur, qui ſpeciali privilegio, ac prærogativa donati ſint, ut tradit Fagnan. *loc. ſup. citat. num.* 56., apud quem plura hac in re notatu digna occurrunt a *num.* 6. *ad* 19.

Perpendenda quoque eſt Conſtitutio Pii IV. *In Principis Apoſtolorum Sede* 13. *Kal. Martii* 1565., in qua habita prius ratione Privilegiorum, exemptionum, Immunitatum, quæ conceſſæ fuerant *variis tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis, quam Collegiatis Eccleſiis, Monaſteriis, Conventibus, & aliis Religioſis, etiam Fratrum Mendicantium domibus, & Ordinibus*, ſic poſtea decernitur = *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod eadem omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, diſpenſationes, conſervatoriæ, Indulta, Confeſſionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus, & ſingulis, in quibus illa Statutis, & decretis Concilii hujuſmodi contrariantur, ipſo jure revocata, caſſata, & annullata; & ad ipſius Concilii terminos, atque limites reducta ſint, & eſſe cenſeantur, nec quidquam adverſus ipſa decreta, & Statuta, quo-*

mi-

minus ubique, & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi, & reputari debere, ac si nunquam emanassent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus = Expendendum itaque, an privilegium eligendi in Confessarium Sacerdotem quemlibet sive Sæcularem, sive Regularem ab Ordinario, vel Prælato non approbatum, adversetur decretis Sac. Concilii Tridentini, itaut per supradictam Piam Constitutionem revocatum censeri debeat.

In Literis Jubilæi, dum tribuitur facultas eligendi Confessarium, adiicitur etiam conditio, ut *sit approbatus ab Ordinario*: Quæ quidem conditio adiecta noscitur etiam in Indulto Bullæ Cruciatæ, *Benedict. XIV. Constit.* 100. *Apostolica Indulta* §. 2. *tom.* 1. *Bullar.*, & extenditur ad reliqua ejusdem generis Indulta, comprehenditque omnes personas, etiam Regulares, de quibus in Indulto habita mentio fuerit. Idemque Summus Pontifex in *Constit. Quod communi* 49. *tom.* 1. *Bull.*, revocato peculiari Statuto Ordinis Fratrum Minorum Cappuccinorum, concessit, ut quilibet ex illius Ordinis Religiosis, qui de Superiorum licentia, ex quacumque legitima causa, sive prædicandi verbum Dei, sive Sacras Missiones peragendi, moram traxerit in loco, ubi nullus Conventus, seu Hospitium, nullusque ex eodem Ordine Confessarius existat, adire possit quemlibet Presbyterum Sæcularem *ab Ordinario Loci, vel Regularem a Su. Superiori Regulari ad Sacramentales Confessiones excipiendas approbatum*.

Illud est etiam hac in re animadversione dignum, quod privilegia Regularibus concessa, hisce conditionibus, ac limitibus coercita sunt, nempè *dum fuerint extra Conventus suos dumtaxat*, ut in Constit. Sixti IV., *quando sunt extra Conventum, & non possunt habere copiam Sacerdotum, quia non habent proprium Confessarium*, ut in Constit. Leonis X., *si aliquem Præsbyterum idoneum ex Professoribus d. Ordinis habere non possint*, ut in Constit. Innocentii VII.: *Et solummodò cum fuerint extra Conventus eorum*, ut in alia Constit. Sixti IV. Ponderandum igitur, an in casu, de quo agitur, hujusmodi circumstantiæ concurrant.

Denique non est prætereundum, quod tutior sit sententia Regularibus denegans jus eligendi in Confessarium simplicem Sacerdotem, *Matthæuc. Offic. Cur. Eccles. cap.* 7. *sub num.* 19., & sa. mem. Innocentius XI. damnavit propositionem asserentem, illicitum non esse in materia Sacramentorum sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni.

Omni-

Omnibus itaque maturè ponderatis, perpenſiſque circumſtantiis ab Epiſcopo Hildeſimen. propoſitis, quoad Confeſſiones Regularium, dignabuntur EE. PP. declarare.

I. *An tales Confeſſiones licitæ ſint in caſu &c.*

II. *An ignorante Epiſcopo validæ fuerint.*

III. *An Epiſcopo ſciente, & contradicente inpoſterum peragendæ validæ futuræ ſint.*

MONASTERIEN. CONFIRMATIONIS. Ampliſſima Diœceſis Monaſterienſis in plures Diſtrictus dividitur, & in unoquoque juriſdictionem exercet Archidiaconus tanquam Vicarius Epiſcopi. Plerique ex Archidiaconis Sæculares ſunt, at nonnulli etiam Regulares, eo quia Archidiaconalis juriſdictio adnexa reperitur vel Abbatiæ, vel Præpoſituræ, vel alteri Regulari Dignitati. *Seſs. 24. cap. 3. de Reform., & Seſſ. 25. cap. 11. de Regular.*

Inter Archidiaconos Regulares recenſetur Præpoſitus *in Clarholtz* Ordinis Præmoſtratenſis, cui Præpoſituræ unitus eſt Archidiaconatus Locorum *Beelen.*, & *Lette*. Ad eamdem Præpoſituram anno 1766. electus fuit a Capitulo Præmonſtratenſium Religioſus Franciſcus Philippus de Menſeren.; Is confirmationem, & collationem Officii Archidiaconalis petere ab Epiſcopo recuſavit; Cumque nihilominus Archidiaconalem juriſdictionem exerceret, Epiſcopus Edicto vetuit, ne eidem, donec confirmationem impetraſſet, obedientiam præſtarent Parochus, & Parochiani, quos interim Vicario ſuo Generali ſubiici, eique obſequi mandavit.

Hoc intellecto Præpoſitus, prætextu inquirendi de neceſſitate petendæ confirmationis, rogavit primum Vicarium Generalem ne publicaret edictum; deinde petiit a Capitulo Cathedralis Monaſterien., ut inhiberet publicationem, ſed ab utroque rejectus, promiſit, per litteras Vicario Generali datas, ſe confirmationem poſtulaturum, ſub certis tamen modis, conditionibus, ac reſervationibus; At fidem poſtea non ſolvens, proſequi curavit in Sacræ Rotæ Tribunali cauſam longè ante vigentem ſuper exercitio Archidiaconalis jurisdictionis.

Facile Præpoſito fuit victoriam per contradictas reportare; Sed cum Promothor Fiſcalis rem omnem ſupplici libello expo-

exposuerit sa. mem. Clementi XIII., remissa illa fuit judicio Sac. hujus Congregationis, & modo definiendum proponitur dubium in calce transcriptum. Cumque nondum exhibita sint jura Præpositi, ea tantum hic enarrantur, quæ a Promothore Fiscali deducta sunt.

Contendit itaque idem Promothor Fiscalis, electionis confirmationem ex SS. Canonum præscripto requiri sub pœna nullitatis *Cap. 3., & 9. de elect., & cap. fin. eod. tit. in 6.. Loter. de re benef. quæst. 27. num. 1., & 2. lib. 1., Passerin. de elect. cap. 33. num. 55., Leuren. For. Benef. tom. 2. sect. 2. cap. 3. quæst. 418. num. 1.*, illaque deficiente, nullum electo esse jus exercendi administrationem, ne sub specie quidem Oeconomatus *Cap. Avaritiæ de Elect. in 6., Barbos. de Offic. Episcopi part. 3., Passerin., Loter., & Leuren. loc. cit.*. Nec sufficere confirmationem, quam concedit Prælatus Regularis ratione Præposituræ, cum simul requiratur confirmatio Episcopi ratione Archidiaconatus, qui eidem Episcopo immediate subiicitur, *Hostien. in Sum. tit. de elect. §. a quo confirmanda*, *Engel in Ius can. tit. 6. §. 4. num. 50.*

Dubitari autem minimè posse, quin Præpositus, tanquam Archidiaconus Locorum Beelen., & Lerte, subsit Episcopo Monasterienſi, cum certum sit, Archidiaconos juxta SS. Canones Jurisdictionem Archidiaconalem exercere, tanquam Episcopi Vicarios ad *Text. in Cap. 1. de Offic. Archid.*, *Hostien. in cap. 7. num. 7., & cap. 10. num. 24. eod. tit.*. Et Archidiaconi munus eo spectare, ut per ipsum Episcopalis sollicitudo sublevetur, atque adjuvetur *Cap. ad hæc de Offic. Archid.*, *gloss. ibid.*, *Fagnan. ibid. num. 3.*, *Piton. disceps. Eccles. 61. num. 50.*, unde est, ut Archidiaconus oculus Episcopi nuncupetur *cit. Cap. Ad hæc*, *Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de Reform.*. Nec dubitandum, quin Episcopo debita sit etiam subjectio ab eo Prælato Regulari, cui concredita sunt jura Archidiaconalia *Rot. coram Falconer. tit. de offic. Ordin. decis. 10. num. 10., & decis. 11. num. 8.*

His addit ordinariam Archidiaconi jurisdictionem, licet directè profluat a jure, indirectè tamen venire ab hominè, sivè ab Episcopo Archidiaconum instituente, vel confirmante *Anaclet. in jus Canon. lib. 1. tit. 23. num. 6., & seq.*, *Leuren. de Episc. Vicar. tract. 4. quæst. 624. num. 2.*, plures actus ab Archidiacono sine Episcopi licentia exerceri non posse *Cap. 4. 5., & 8. de Offic. Archid.*, *Bellamer. num. 8.*, *Barbos. num. 1., & 6.*, *Leuren. loc.. cit. quæst. 658. num. 4.*. Præcipuè verò vetitam Archidiaconis esse Diœcesis visitationem absque Episcopi licentia, ut observant Canonistæ omnes in *Cap. 1. de Offic. Archid.*, & statuit *Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de Reform.*

Hinc infert, nihil obstare, Præpositum de Clarholtz, uti Regularem, exemptum esse ab Episcopi jurisdictione, atque

im-

immediatè Prælato Regulari ſubiectum, quia nihilominus, tanquam Archidiaconus Locorum Beelen, & Lette, Epiſcopo ſubeſt, in cujus Diœceſi eadem Loca exiſtunt *Rot. coram Falconer. de Offic. Archid. d. deciſ.* 10. *num.* 10., *& deciſ.* 11. *num.* 8.. Maximè quia Archidiacono adnexa eſt Cura Animarum, *Cap. Dudum* 54. §. *Licet de elect.*, *Can. Perlectis diſt.* 25., *cap.* 1., *& 7. de Offic. Archid.*, *gloſſ. in cap. cum in cunctis* 7. §. 1. *verb. Archidiaconum de elect.*, cujus exercitium tunc demum Archidiaconi ſuſcipiunt, cum ab Epiſcopo Diœceſano inſtituuntur, vel confirmantur, ut notant Canoniſtæ in *Cap.* 4. *de Offic. Archid.*, *Hoſtien. n.* 7., *Joan. And. num.* 14., *Bellamer. num.* 4., *Panorm. ſub num.* 2.

Id ipſum comprobare nititur Promothor antiquiſſimis concordatis Epiſcopum inter, & Capitulum Cathedralis Eccleſiæ initis, quorum obſervantia a ſingulis Epiſcopis ſolemni juramento promittitur. In his autem caveri dicit, nequaquam poſſe Epiſcopum Archidiaconos confirmare, niſi fuerint a Capitulo præſentati. Hac itaque deficiente confirmatione, vetitum Archidiaconis aſſerit exercitium juriſdictionis, quæ tota tunc reſidet penes Vicarium Generalem; Atque advertit, antiquiſſimam eſſe conſuetudinem confirmandi Archidiaconos, ut ad exercitium juriſdictionis admittantur.

Immeritò verò Præpoſiti exemptionem deſumi poſſe exiſtimat ex Conſtitutionibus Eugenij III., & Gregorij IX.. Primò enim inquit, has continere clauſulam: *Salva Sedis Apoſtolicæ Auctoritate*, *& Diœceſani Epiſcopi Canonica juſtitia*, *& reverentia*, cujus vigore illæſa manent jura Epiſcopi, etiam quoad Archidiaconorum confirmationes *Rot. in recent. deciſ.* 349. *num.* 41., *& 42. part.* 12.. Obſervat deindè, privilegium illud eidem ſuffragari quidem poſſe, tamquam Præpoſito regulari, non verò tanquam Archidiacono adnexam habenti curam Animarum, quum ad exercitium nemo admittendus ſit, niſi a Diœceſano Epiſcopo fuerit approbatus, inſtitutus, vel confirmatus *Concil. Trident. ſeſſ* 7. *cap.* 13., *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*, *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regular.*, *S. Pius V. Conſtit.* 47., *Gregor. XV. Conſtit. Inſcrutabili*, *Benedict. XIV. Conſtit.* 109. *tom.* 1. *Bull.*, *Conſtit.* 1. *tom.* 2., *Conſtit.* 51. *tom.* 3., *Conſtit.* 16. *tom.* 4.

Inane verò præſidium quæri a contraria conſuetudine non petendi confirmationem, cum ea probari nunquam poſſit, immò excluſa remaneat, non ſolum ex vetuſtiſſimis concordatis ſupra relatis; Sed etiam ex literis confirmationis poſtremis temporibus ab immediato hodierni Præpoſiti Anteceſſore obtentæ; Inſuper ex decreto Capituli Cathedralis Monaſterien., quo rejectus fuit recurſus ab eodem Præpoſito habitus: Atque ex facto aliorum omnium

Ordinis Præmoſtratenſis Præpoſitorum, qui ſi Archidiaconi etiam fuerunt, confirmationem expoſtularunt.

Suſtinet etiam, quod cum confirmatio Archidiaconorum procedat ex diſpoſitione juris, requirentis Ordinarii inſtitutionem, vel confirmationem ad exercendam Curam Animarum, ad elidendam idcirco contrariam quamlibet conſuetudinem, unicus etiam actus ſufficiat, *Rot. coram Buratt. deciſ.* 914. *num.* 8., *coram Bich. deciſ.* 290. *num.* 31., *coram Falconer. de Offic. Archid. dec.* 16. *num.* 13.. Immo, etiamsi Prædeceſſores Epiſcopi neglexiſſent Archidiaconos confirmare, nihilominus nequaquam ſublatum eſſet jus Succeſſoris, qui Concilii Tridentini decreta obſervare ſatagat. *Card. de Luc. de Præemin. diſc.* 7. *num.* 29., *Piton. diſcept. Eccleſ.* 10. *num.* 42.

Contendit denique, nullam habendam eſſe rationem de geminis Deciſionibus, quæ prodierunt in Cauſa *Monaſterien. Juriſdictionis* 10. *Martii* 1694. *coram Emerix Jun.*, & 22. *Junii* 1767. *coram R. P. D. de Comitibus*, cum utraque contumacialis fuerit, & præcedens Judicatum revocaverit. Plura autem congerit, ut ſuadeat, earumdem Deciſionum fundamenta non ſubſiſtere, & a præſenti quæſtione eſſe prorſus extranea.

Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de Reform.*, de Archidiaconis, aliiſque, quibus jus eſt alicujus Diœceſis Eccleſias viſitandi, hæc ſtatuit = *Archidiaconi autem, Decani, & alii inferiores in iis Eccleſiis, ubi hactenus Viſitationem exercere legitime conſueverunt, debeant quidem, aſſumpto Notario de conſenſu Epiſcopi deinceps per ſe ipſos tantum ibidem viſitare*. Decretum hoc ita intelligi poſſe nonnulli exiſtimarunt, ut de Epiſcopi tantùm conſenſu Notarius aſſumi deberet, qui acta Viſitationis perſcriberet, non tamen ut illius conſenſus ad explendam viſitationem requireretur. Hanc fuiſſe videtur Sententiam Franciſci Ricardoti Atrebatenſis Epiſcopi, qui Concilio Tridentino interfuit, & qui in aperitione ſeſſionis 15. coram Patribus peroraſſe fertur. In ſua enim Diœceſana Synodo habita anno 1577. *tit. de Viſit. cap.* 1. declaravit = *Cum in hac Diœceſis noſtra Parochialium Eccleſiarum viſitatio ex antiqua conſuetudine ſit pœnes Archidiaconos Eccleſiæ noſtræ, quibus ex Decreto Trident. Concilii mandatur, ut viſitationem hanc adjuncto Notario noſtro perſonaliter obeant &c.* = Quibus verbis innuiſſe videtur, Concilium Tridentinum, nil aliud quoad Archidiaconorum viſitationem ſtatuiſſe, niſi ut ea aſſumpto Notario Epiſcopi, & perſonaliter expleri deberet.

Alii tamen è converſo arbitrantur, eam fuiſſe Tridentinorum Patrum mentem, ut Archidiaconi, aliique inferiores Prælati, quibus viſitandi jus eſt, actum viſitationis, nonniſi de Epiſcopi conſenſu explere poſſint. Interpreta-

tio-

tionem hanc magis congruam existimat Van Espen *in Jus Eccles. univ. part. 1. tit. 12. cap. 1. sub num. 17.*, eamque desumit ex sequentibus verbis relati Concilii decreti, quibus præcipitur, ut *Visitatores etiam a Capitulo deputandi, ubi Capitulum jus visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur*. Hanc præterea Archidiaconorum subiectionem Episcopo debitam probant reliqua ejusdem decreti verba, quibus injungitur, ut Episcopo *ipsi Archidiaconi, vel alii inferiores Visitationis factæ infra mensem rationem reddere, & depositiones Testium, ac integra acta ei exhibere teneantur, non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, & privilegiis quibuscumque*.

Ulterius animadverti debet, nihil frequentius, verbisque magis perspicuis fuisse a Concilio Tridentino dispositum, quamquod nullus sive Sæcularis, sive Regularis ad Curam Animarum admittatur, nisi prævia Ordinarii approbatione, vel confirmatione. Id sane statutum fuit *sess. 7. cap. 13., & sess. 24. cap. 18. de reform.* Id præcipue *sess. 25. cap. 11. de Regular.* in hæc verba = *In Monasteriis, seu domibus Virorum, seu Mulierum, quibus imminet Animarum cura personarum Sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam Regulares, quam Sæculares hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles deputentur nisi de ejusdem consensu, ac prævio examine, per eum, aut ejus Vicarium faciendo* = Sanctionem hanc variis temporibus renovavit Bened. XIV. *Constit. Firmandis 109. tom. 1. Bull., Const. Quamvis 1. tom. 2., Constit. cum nuper 51. tom. 3., & Constit. Apostolicum Ministerium 16. tom. 4.*

Operæ igitur prætium erit perpendere, an Præposito Clarholtz, uti Archidiacono Paræciarum Beelen, & Lette tam de jure, quam ex consuetudine in suo Archidiaconali Districtu Animarum cura competat, itaut hac ratione Episcopi Monasterienſis confirmatione indigeat. Formula confirmationis adhibita in litteris expeditis ab Archidiacono Antecessore est hujusmodi = *Cum hoc nostram exonerates conscientiam, tuam verò, utpote quem in partem oneris deligimus onerantes, ut juxta SS. Canonum, & Concilii Tridentini præcepta Parochias tuæ administrationi commissas personaliter, vel legitimo obstante impedimento per qualificatum Commissarium bis in anno accurate, & sollicite visites, & non tam interesse privatum, quam finem principalem hujus S. Visitationis, videlicet Fidei Orthodoxæ promotionem, malorum morum correctionem, vitiorumque extirpationem, indeque per pœnitentias potissimum Canonicas spectes, & attendas, aliaque, quæ muneris nostri Archidiaconalis sunt,*

zelo divini honoris ductus perficias, itaut relatione administrationis annuæ, quam absolutè desideramus a te accepta S. Sedi Apostolicæ de Statu hujus Ecclesiæ a Deo nobis concreditæ peritiorem, ac pleniorem rationem suo tempore reddere valeas.

Superest modò, ut Emi PP. dijudicent.

An Præpositus in Clarholtz confirmationem Episcopalem reportare teneatur pro exercitio prætensæ jurisdictionis Archidiaconalis in Paræciis de Beelen, & Lette in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Novembris* 1769. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

NOn dedignentur Eminentiſſimi PP. ex folio præcedentis Congregationis diei 16. Septembris, atque ex alio pro hodierna die diſtributo, Cauſas cognoſcere, quæ ipſorum ſapienti judicio decidendæ proponuntur.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

In Deciſis, & amplius.

HILDESIMEN.
I. *An tales Confeſſiones licitæ ſint, in caſu &c.*
II. *An ignorante Epiſcopo validæ fuerint.*
III. *An Epiſcopo ſciente, & contradicente in poſterum peragendæ validæ futuræ ſint, in caſu &c.* *Seſs. 23. cap. 15. de Reform.*

Negativè in omnibus, & amplius.

MONASTERIEN. CONFIRMATIONIS.
An Præpoſitus in Clarholtz confirmationem Epiſcopalem reportare teneatur pro exercitio prætenſæ juriſdictionis Archidiaconalis in Paræciis de Beelen, & Lette, in caſu &c. *Seſſ. 24. cap. 3. de Reform., & Seſs. 25. cap. 11. de Regular.*

Affirmativè.

ROMANA, SEU ALBINTIMILIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. In ſupremis tabulis anno 1701. obſignatis pia Mulier Franciſca Bartolacci Barberi nonnulla bona reliquit Ven. Archiconfraternitati SS. Stigmatum de Ur- *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

Urbe, pro dote perpetuæ Capellaniæ, cum onere Missæ quotidianæ in ea Ecclesia instituendæ. Capellanum ipsa primum nominavit Sacerdotem Josephum Barberi, deindeque eamdem Capellaniam conferri voluit Presbytero de Familia Barberia *tanto effettiva, che contentiva, egualmente, e senza differenza alcuna, intendo però sempre della detta Casa, e Famiglia Barberia dei Discendenti delli Signori Gio: Battista Barberio del quond. Ludovico Romano, Gio: Battista Barberio del quond. Gabriele della Terra di Dolc' Acqua, e delli Discendenti del Signor Agostino Barberio della stessa Terra Ventimilien. Diœcesi. in infinitum &c.*

Mox universalem instituit hæredem Marcum Antonium Barberi Virum suum, cui eamdem Archiconfraternitatem SS. Stigmatum substituit. Huic autem onus injunxit tria dotalia Subsidia scut. 30. pro quolibet singulis annis distribuendi pauperibus Puellis, quarum una ab hæredibus Marci Antonii Viri, reliquæ verò a dictæ Archiconfraternitatis Custodibus essent eligendæ, quæque utroque Parente orbatæ, vel Matrimonio jungi vellent, vel monasticam vitam amplecti. Postea verò subdit = *E perchè col progresso del tempo potrebbe succedere il caso, che nella medesima Famiglia Barberia vi fossero Zitelle, le quali potessero aver bisogno di essere ammesse al sussidio delle suddette tre Doti, perciò dichiaro, e voglio, che in tal caso queste siano preferite a tutte, ancorchè prive delle qualità da me richieste, volendo, che rispetto a queste non si abbia alcun riguardo.*

Hac igitur innixa dispositione Puella Magdalena Polidori descendens a Marco Antonio Barberi, usque ab anno 1767. supplex fuit apud Sac. Congregationem, ut ex subsidiis dotalibus a Custodibus Archiconfraternitatis SS. Stigmatum distribuendis, cumulus fieret scut. 600., eique assignarentur pro dote spirituali tradenda Ven. Monasterio S. Dominici Viterbii, ubi æducationis causa reperiebatur, & monasticam vitam amplecti cupiebat. Remissis precibus ad Eminentissimum Protectorem diu, multumque cum Archiconfraternitatis Custodibus actum fuit de modo conficiendi petitum subsidiorum dotalium cumulum, & dotem persolvendi: Tandem res ita composita fuerat, ut Puella Oratrix eidem Archiconfraternitati cederet jus conferendi unum ex dotalibus subsidiis, quod ipsi tanquam descendenti a Marco Antonio Barberi competebat; E' conversio autem Archiconfraternitas Monasterio rependeret scuta quingenta in relatam Dotis, & expensarum causam, & interim fructus recompensativos ad rationem scut. trium pro centenario præstaret, quousque integram promissam summam persolvisset.

Rebus ita compositis, quamvis Sac. Congregatio hujusce conventionis exequutionem laudato Eminentissimo Protectori commisisset, ejusque decretum, & auctoritas jam inter-

ces-

ceſſiſſet, nihilominus ea infecta poſtea remanſit ex contradictione Thereſiæ Barberi Albintimilien. Diœceſis, quæ uti deſcendens a Joanne Baptiſta quond. Gabrielis Barberi in aſſequutione ſubſidiorum dotalium præferri poſtulavit. Oportuit itaque, ut de utriuſque juribus accuratius inquireretur, eorumque cognitio EE. VV. modò proponitur.

Inquit Magdalena, ſatis probari, atque indubiè evinci ſuam deſcendentiam ad aſſequenda dotalia ſubſidia, de quibus agitur, cum deſcendat a Marco Antonio Barberi, in cujus lineam jus prælationis Teſtatrix contulit. Perperam idcircò hujuſce juris exercitium tot laboribus, & expenſis comparatum controverti; Atque iniquum fore partæ jam victoriæ fructum auferre.

Ex alia verò parte Thereſia ſuſtinet, ſe unicam eſſe deſcendentem ex familia Barberia a Teſtatrice vocata, ſibique tantummodò paupertate laboranti prælativam ſubſidiorum dotalium conſequutionem eſſe elargiendam *Bald. in Leg. Præterea Cod. Unde Vir, & Uxor, gloſſ. in Authen. de hæred., & Falcid. §. Si verò adſunt.* Rejiciendam autem penitus Magdalenam, quæ eſt de Familia Polidori, quæque nonniſi Matrem habuit de Familia Barberi.

Addit nomine Familiæ nequaquam comprehendi Cognatos, ſed illos dumtaxat de Agnatione, & ejuſdem Cognominis *Card. de Luc. de Dot. diſc. 2. num. 1., Rot. deciſ. 586. num. 3. part. 19. tom. 1. Recen.*. Maximè quia Teſtatrix dotes reliquit pro Deſcendentibus *ex Familia Barberia*, quorum nomine nec veniunt deſcendentes ex fœminis, *deciſ. 440. num. 25., & 28. part. 19. tom. 1. Recen.*, nec ipſa in toto Teſtamento alios intelligere voluit, niſi qui procederent ab iis tribus perſonis, quas in inſtitutione Capellaniæ nominaverat.

Tota præſentis Cauſæ indago ex Teſtamento pendet. Teſtatrix Capellaniæ fundationem demandavit, eamque poſt obitum primi Capellani conferri voluit deſcendentibus a tribus deſignatis perſonis. Deinde inſtituto hærede Marco Antonio Viro cum ſubſtitutione favore Archiconfraternitatis SS. Stigmatum, dotes diſtribui præcepit pauperibus Puellis, data tamen prælatione iis, quæ *nella ſudetta Famiglia Barberi* dotalibus ſubſidiis indigerent. Utraque Puella, quæ hujuſmodi ſubſidia modò efflagitat ſuam deſcendentiam probat ex Familia Barberi, Magdalena ſcilicet per medium Agathæ Matris, Thereſia verò ex Jo: Baptiſta quond. Gabrielis. Neutra in diſcrimen revocatur. Videndum utri ex his prælatio ſit tribuenda.

Perpendendum, quod Magdalena diu permanſit, & adhuc permanet in Monaſterio S. Dominici Viterbii, ubi monaſticam vitam amplecti cupit, eamque amplexa jam eſſet, niſi præpedita ipſi fuiſſet ſubſidiorum dotalium aſſequutio.

De

De Thereſia verò non conſtat, quam vitæ rationem inire velit. Ponderandum ulterius, an juribus Magdalenæ ex æquitate ſaltem quidquam ponderis addere valeant acta, quæ geſſit, & reſcripta, quæ obtinuit, ut dotalia ſubſidia aſſequeretur ab Archiconfraternitate SS. Stigmatum, quæ etſi eidem aliquando obſtiterit, deinde tamen acquievit, traditioni eorumdem ſubſidiorum conſenſum præſtitit, cum ipſa de ſolutione convenit, & hodie non comparet, nec ulli ex Puellis collitigantibus contradicit.

Eminentiſſimus Protector de ſua ſententia rogatus ſuper utriuſque Puellæ petitione, hæc habet = *Cum igitur Puellæ omnes Familiæ Barberi ad ſubſidia Angelæ Bartolacci perſpicuè invitentur ſola paupertatis probatione, perpendendum dumtaxat videtur, quæ nam ex utraque Familia verius a Marco Antonio deſcendat. Thereſia adeo quidem ejuſmodi deſcendentiam probat, ut per concatenatam maſculorum ſeriem in Familia Barberia contineatur. Magdalena verò deſcendit a Familia Barberi per medium Agathæ Polidori. Illa itaque in tota ſua latitudine ad dotalia ſubſidia invitata videtur, hæc diverſo modo, diverſoque juris effectu. At nihilominus cum Magdalena non ſine gravi ſumptu, maximoque labore litem cum Archiconfraternitate SS. Stigmatum in hac Sac. Congregatione ſuſtinuerit, compendioque victoriæ ſpem emittendæ profeſſionis altius auxerit, & in ejus limine jam ſit, prudentiæ, & religioni EE. VV. ſubiiciendum id quoque eſt, num juſta inde habeatur ratio æquitatis, ut præferenda in his rerum circumſtantiis videatur.*

Veſtrum itaque erit EE. PP. declarare, quid æquitas, & juſtitia ſuadeat ad reſolutionem dubii

An ſit exequendum reſcriptum Sac. Congregationis emanatum die 23. Novembris 1768. favore Magdalenæ Polidori Barberi, ſeu potius ſit annuendum precibus Thereſiæ Barberi Albintimilien., in caſu &c.

Negativè ad primam partem, & amplius. Affirmativè ad ſecundam pro tribus Subſidiis.

Seſs. 21 cap. 2. de Reform.

MONOPOLITANA DONATIONIS. Ut Clericus Paulus de Aleſſio ad Sac. Ordines promoveri poſſet, Antonia Mater anno 1729. patrimonium ei conſtituit in quodam rure nuncupat. *Franceſto*, & in capitali cenſus ſcut. 38. cum dimidio, ſub ea lege, ut idem Paulus ſolum uſumfructum perciperet, ipſa vivente, eaque defuncta, utrumque capitale tum ruris, tum cenſus in diviſionem paternorum bonorum cum aliis Fratribus conferret.

Secuto obitu Antoniæ Matris, factaque anno 1732. bonorum

rum paternorum diviſione, tum dictum rus, tum dictus cenſus, aſſignati Paulo fuerunt in ejus portionem. Poſtquam verò ipſe ad Sacerdotium fuit evectus, anno 1735. dictum rus *Franceſto* irrevocabiliter donavit Natali de Aleſſio fratri, reſervato ſibi quoad viveret illius uſufructu, vel annua reſponſione ducatorum 17., prout melius eidem Natali donatario videretur.

Rus nihilominus jam Fratri donatum poſſedit Paulus ad annum uſque 1759., illudque pro ſui arbitrio locavit. Cum verò Natalis frater eo anno illud vindicare ſategiſſet, oblata Paulo fratri penſione ducatorum ſeptendecim, quæſtio inſtituta fuit in Curia Monopolitana ſuper dictæ donationis validitate: cumque ſequenti anno dictus Natalis controverſum rus in dotem dediſſet Antoniæ filiæ nuptæ Vito Criſtino Buttaro, & Conjuges pro donationis executione inſtetiſſent, Epiſcopalis Curia validam declaravit donationem cum onere annuæ præſtationis ducatorum ſeptendecim, Paulo dum viveret perſolvendæ.

Appellavit Sacerdos Paulus ad Sac. Congregationem, ſed intra appellationis terminum cum non exhibuiſſet Curiæ Epiſcopali ejuſdem Sac. Congregationis epiſtolam, cauſa declarata fuit deſerta, & ſententiæ dictæ Curiæ Epiſcopalis, quæ rei judicatæ vires aſſumpſerat, demandata extitit executio. Nunc autem conqueritur Sacerdos Paulus tum de relata ſententia, tum de actis pendente appellatione, ac recurſu ad Sacram Congregationem geſtis, & dubia in calce tranſcripta exhibet reſolvenda.

Ad 1. inquit, rus *Franceſto* ſibi in patrimonium Eccleſiaſticum anno 1729. aſſignatum fuiſſe: irritam idcirco fuiſſe illius donationem factam anno 1735. abſque Ordinarii licentia favore Natalis fratris, ex cenſura *Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.*, *Anacl. in jus Can. lib.* 1. *tit.* 11. *num.* 2., *Ventrigl. in prax. part.* 2. *annot.* 42. *§.* 2. *num.* 2., *Barboſ. de Offic.*, *& Poteſt. Epiſc. part.* 1. *alleg.* 19. *num.* 90., *& Rot. in Romana Pecuniaria* 22. *Martii* 1751. *§. Mandatum cor. Eminentiſſimo Molino*.

Nec ad donationis validitatem prodeſſe expreſſam favore Donantis reſervationem vel uſusfructus ruris, vel annuorum ducatorum 17.. Reſpondet enim, Patrimonium ſemper in re ſtabili conſtitui, ac permanere debere, hinc invalidam eſſe quamcumque diſtractionem rei ſtabilis in patrimonium aſſignatæ, etiam reſervato favore Donantis uſufructu, vel annua reſponſione *Conſtant. vot. deciſ.* 133. *num.* 7., *Monacell. form. leg. tom.* 2. *tit.* 12. *annot.* 3. *num.* 19., *& Rigant. ad Reg. Cancell.* 24. *§.* 5. *num.* 141.. Nec item prodeſſe ad donationis validitatem tuendam, quod ipſe Donans inter Portionarios Eccleſiæ Cathedralis adſcriptus ſit, tum quia tempore donationis Portionariorum Collegio nondum fuerat cooptatus, tum quia patrimonii titulus, ac legis pro-

hibitio de illius alienatione non ceſſat, niſi de expreſſa Epiſcopi licentia beneficium loco Patrimonii ſubrogatum fuerit, *Ventrigl. in prax. part.* 1. *annot.* 42. §. 2. *num.* 3., *Corrad. in prax. diſp. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 31.

Immerito verò ſupponi donationem fuiſſe oneroſam, & correſpectivam, quinimo ex ejus littera apertè conſtare merè gratuitam, ac voluntariam extitiſſe. Demum advertit eamdem donationem ſpatio fere 25. annorum nunquam exequutioni fuiſſe demandatam, ac proinde ex hoc ipſo illius nullitatem, & inefficaciam deprehendi *Rocc. diſp. jur. cap.* 67. *num.* 6., *Gratian. diſcept.* 825. *num.* 14., *& Rot. cor. Bich. deciſ.* 483. *num.* 7.

Ad II. obſervat, poſt latam *die* 23. *Decemb.* 1765. ſententiam a Curia Epiſcopali, ſtatim appellationem fuiſſe interpoſitam, die ſcilicet 27. ejuſdem menſis, ac poſtea die 11. ſequentis Januarii datam fuiſſe Epiſtolam Sacræ Congregationis: omnia proinde pendente recurſu, ac appellatione geſta in Curia Epiſcopali aperto attentatorum vitio infecta remanſiſſe. Nec imputandum ſibi eſſe, quod Epiſtola S. Congregationis intra fatalia exhibita Ordinario non fuerit, cum id evenerit culpa, & dolo Viti Buttaro, qui injuſtè impedimentum appoſuerat.

Contra vero Conjuges Buttaro ad I. inquiunt, Patrimonium Eccleſiaſticum Sacerdotis Pauli fuiſſe a Matre conſtitutum in ſolo uſufructu ruris *Franceſto*, non vero in illius proprietate: nihil proinde detractum fuiſſe eidem Patrimonio Eccleſiaſtico ex donatione, quæ non uſumfructum, ſed proprietatem tantum comprehendit. Addunt in ipſa donatione Sacerdotem Paulum ſibi expreſsè reſervaſſe dicti ruris uſumfructum, & hac ſtante reſervatione liberum eidem fuiſſe ad alienationem proprietatis patrimonii Eccleſiaſtici abſque Epiſcopi licentia devenire, *Paulut. diſſertat. leg. tom.* 1. *diſſert.* 5. *num.* 38., *Paſſerin. problem. leg.* 2. *num.* 107., *& Polit. diſſert. tom.* 5. *Miſcell. diſert.* 6.

Exequendam hinc eſſe donationem irrevocabiliter factam; præſertim quia exarata noſcitur in remunerationem beneficiorum a Donante acceptorum, & munita etiam deprehenditur juramento, & pacto de non revocando, quorum utrumque tantæ eſt efficaciæ, ac roboris, ut irrevocabilis cenſeatur donatio, etiamſi deſtituta ſit Epiſcopi licentia, vel ſaltem id efficit, ut etiam ex poſt Ordinarii approbatio efflagitari, atque obtineri valeat, *Rota in Pennen. juriſpatronatus* 2. *Martii* 1733. §. 7. *coram Millino, & in confirm.* 3. *Julii* 1744. §. 2. *coram Eodem*.

Potiſſimum quia idem Sacerdos Paulus non ſolum uſumfructum ruris percipit, ſed etiam Portionarius eſt Eccleſiæ Cathedralis, & abundè aliis reditibus proviſus, undè ceſſat ratio, & cauſa, cur a Concilio patrimonii diſtractio vetita fuerit. Tandem obſervant, donationis nullitatem non-

nonnisi, quam post lapsum annorum 30. fuisse propositam, quo quidem temporis decursu quælibet nullitatis querela præscripta remansit; *Covaruv. var. resolut. lib.* 1. *cap.* 4. *numer.* 3. *& seq.*

Expensa donationis validitate, ad II. concludunt, inanem esse attentatorum quæstionem, quæ ad tramites boni juris semper absolvi debet, *Rot. in Hildesimen. Præposituræ 6. Decembris* 1752. §. 2. *coram clar. mem. Card. Bussio*, vel saltem attentata spernenda esse, tum ob bonam fidem, & defectum spretus, ac contemptus, tum etiam quia eidem Sacerdoti Paulò controversi ruris possessio jam fuit restituta.

Episcopus in relatione, quæ inter monumenta Causæ habetur, justitiam sententiæ suæ Curiæ tuetur.

Patrimonii Ecclesiastici titulus pene ignotus fuit in veteri Ecclesiæ disciplina, juxta quam nemo ad Sacros Ordines promoveri poterat, nisi certæ Ecclesiæ fuisset adscriptus, in qua & sacras functiones perageret, & ex ejus reditibus alimenta perciperet. Cæpit Patrimonii titulus ex quadam Apostolica dispensatione probari in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. celebrato, ut refert *Thomas. de benef. part.* 2. *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 1., *Paulut. jurisprud. sacr. tom.* 3. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 6. *num.* 5., ubi laudatus Pontifex inquit: *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tandiù necessaria ei subministret, donec in aliqua Ecclesia convenientia ei stipendia militiæ Clericalis assignet, nisi forte talis, qui ordinetur, extiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere*, quemadmodum legitur in *cap. Episcopus de Præbend.*

Hoc ipsum confirmavit Concilium Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de Reformat.*, ubi statuit, ut = *Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari posthæc non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel comoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint, atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum Canonum pœnas super his innovando.*

Patrimonium vero ad hoc, ut sufficiat pro sacræ ordinationis titulo, consistere debet in possessione temporalium redituum, qui annuatim exigantur, quique sufficiant ad congruam Ordinati sustentationem, in quantitate vel a taxa Synodali præscripta, vel juxta morem Regionis, vel arbitrio Episcopi determinanda: idemque patrimonium certum esse debet, in re scilicet immobili, ac frugifera constitutum, nullo ære alieno gravatum, proindeque constitui nequit super obligatione personali solvendi Cle-

rico totum id, quod pro congrua illius ſuſtentatione ſufficiat: Poteſt tamen aſſignari in cenſu perpetuo, vitalitio, & officio vacabili, *Rigant. ad Reg. Canc.* 24. §. 5. *num.* 119. *& ſeqq.*

Semel ac autem Patrimonium fuerit conſtitutum, neque de licentia Epiſcopi alienari poteſt, niſi Clericus beneficium Eccleſiaſticum illi æquivalens ſit adeptus, vel aliunde habeat, ex quo honeſtè vivere poſſit, ut ſtatuit Sacra Congregatio in *Taurinen.* 2. *Septemb.* 1604.: nec etiam cum aliis bonis liberis æqualis, ac etiam majoris reditus permutari, niſi Epiſcopi auctoritas, & aſſenſus interceſſerit, ut definivit eadem Sacra Congrgegatio in *Terracinen.* 20. *Julii* 1619.: atque idcirco adeo perpetuus eſt Patrimonii titulus, ut nec ipſo jure extinguatur per aſſecutionem beneficii, ſed ad ejuſdem diſtractionem Epiſcopi conſenſus ſemper requiratur, juxta declarationem S.Congr., & præſertim in *Aquilana* 24. *Febr.* 1652. = ibi = *Sacra &c. reſpondit renunciationem Patrimonii ad cujus titulum Clericus ſimpliciter Sacris Ordinibus fuit initiatus abſque licentia Epiſcopi factam, non ſubſtineri etiam poſt aſſequutionem beneficii ad ejus vitam ſufficientis.*

Et in *Bitetten.* 28. *Novembris* 1686., *&* 12. *Julii* 1687., in qua propoſito dubio = *An bonis ad commodam ſuſtentationem poſtea quæſitis, vel beneficio ſufficienti adepto, ſtatim Patrimonium evaneſcat, vel potius requiratur expreſſa ſubrogatio bonorum, ſeu beneficii aſſecuti ab Epiſcopo facienda loco Patrimonii, qua ſubrogatione expreſſe non facta, patrimonium adhuc vigeat. Sacra &c. cenſuit danda eſſe decreta alias edita, & ſignanter* 8. *Auguſt.* 1602. *tenoris ſequentis* = *Quæritur an verba illa Concilii in cap.* 2. *ſeſſ.* 21. = atque deinceps alienari = &c. *intelligenda ſint, ut poſtquam ordinatus adeptus fuerit unde vivere poſſit, requiratur etiam licentia Epiſcopi, Sacra Congregatio cenſuit requiri licentiam, quamvis ordinatus ſit adeptus, & in Senogallien.* 26. *Junii* 1705., *& in Fanen.* 21. *Aug.* 1717.

Certum eſt in præſenti caſu, controverſam donationem nullo Ordinarii conſenſu munitam eſſe. Prima hinc inſpectio eſt, an Patrimonium in ſolo ruris uſufructu conſtitutum fuerit, & donatio ſolam proprietatem reſpexerit, ita ut nihil ex illa de Patrimonio Eccleſiaſtico detractum fuerit: ante oculos habenda ſunt verba tum conſtitutionis Patrimonii, tum donationis.

Antonia Mater Vidua uſufructuaria aſſignavit *a titolo di patrimonio ſufficiente &c. una maſſarizia di tumole trenta nel luogo detto Franceſto &c. affittata a Natale d'Alleſſio per annui duc.* 19. 80, *e di più un capitale di duc.* 38. 50. *&c. della qual maſſarizia, e capitale come ſopra aſſegnata, il detto Chierico Paolo ne ſia, e ne debba eſſere mero uſufruttuario vita durante di eſſa Antonia Iutino, poichè ſeguita ſua morte dovranno*

detti

detti beni porsi in collazione con gli altri ſuſſeguenti beni ereditarj di detto quondam Gio: Antonio, e dividerſi con gli altri ſuoi Fratelli al numero di quattro, ſalve ſempre le ragioni di eſſo Chierico Paolo, ſe in tempo di detta divisione più gli ſpettaſſe &c. di maniera che li ſudetti beni aſſegnati da oggi paſſano in pieno dominio, e poſſeſſo di detto Chierico Paolo.

In donatione Sacerdos Paulus ceſſit Natali fratri *la maſſaria di Franceſco &c., della qual maſſaria detto D. Paolo ſe ne riſerva l'uſufrutto vita ſua durante &c. con patto però eſpreſſo, che volendo detto Natale uſufruttuarſi detta Maſſaria, lo che reſta a ſua elezione, ſia tenuto, ſiccome promette, pagare ogni anno a detto D. Paolo per ragione d'affitto ducat. 17. &c., e che ſia anche lecito a detto Natale ſubaffittarla per quel prezzo, che per maggior ſuo vantaggio potrà convenire.*

Ponderandum item, an uſusfructus reſervatio impediat, quominus donatio proprietatis Patrimonii de nullitate redarguatur. Sacra Congregatio ſub die 10. *Octobris* 1676. nullam edixit alienationem bonorum Patrimonii etiam cum expreſſa uſusfructus reſervatione, ut apud *Monacell. form. tom. 2. pag. 72. num. 19.*, *& Rigant. ad reg. Canc. 24. §. 5. num.* 141.

Eminentiſſimi Patres, qua ornantur juris ſacri peritia ſententiam dicent

I. *An ſubſtineatur donatio, in caſu &c.*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda, in caſu &c.*

Dilata ad ſecundam.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Obitus ſine filiis Bartholomæi Ruſpoli acerrimam litem excitavit diu actam inter Fabricam S. Petri, Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Annunciationis, & alteram S. Joannis Decollati Urbis ſuper hæreditate Alexandri Sen. Ruſpoli. Hic enim inſtituto hærede eodèm Bartholomæo Nepote, ipſi ſi abſque filiis decederet ſubſtituit Confraternitatem Urbis, in albo relinquens ejus nomen, hoc modo = *la Compagnia ..... di Roma*, cum onere dotandi ex fructibus tot Puellas præfinito quolibet ſubſidio in ſcutis octoginta: Cumque dictus Bartholomæus ſine liberis deceſſiſſet, unuſquiſque vel jure ſubſtitutionis, vel ex inteſtata ſucceſſione hæreditatem aſſequi conabatur. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Vicit tandem Archiconfraternitas Sanctiſſimæ Annunciationis, cujus favore judicio Sacræ Rotæ ad hæreditaria bona decreta fuit immiſſio; Sed partæ victoriæ compendium haud ita feliciter aſſequuta fuit. Etenim Marchioniſſa

Hie-

Hieronyma Vidua Marchionis Francisci Ruspoli Nepotis, & hæredis Bartholomæi plures allegavit detractiones, quas ex hæreditate Alexandri Sen. debitas proposuit. Nova tamen hæc lis in ipso ejus vestibulo dirempta fuit transactione, qua Marchionissa Hieronyma ab allegatis detractionibus recessit, & Archiconfraternitas eidem, ejusque Successoribus concéssit jus nominandi ad decem dotalia subsidia, ex dispositione Alexandri Sen. distribuenda. Expedit hanc transactionem diligenter scrutari, quæ inter monumenta Causæ recensetur.

Omnes itaque Descendentes de prænobili Familia Ruspoli jure nominandi Puellas ad decem dotalia subsidia pacificè gavisi sunt ad annum usque 1723., quo tempore cum Princeps Franciscus Maria Collegiatam Ecclesiam in suo Feudo Vineanelli erexisset, obtinuit a san. mem. Benedicto XIII. dismembrationem tot capitalium, quot *novem* ex relatis annuis subsidiis responderent, ut Præbendæ Canonicales ex iis constituerentur. Unum itaque tantummodo supersunt subsidium deinceps distribuendum, & ita quidem, ut non uni tantum, sed duabus Puellis conferri posset.

Anno autem 1758. innupta decessit altera ex Puellis a Principe Ruspoli nominatis, absque eo quod dotem fuisset assequuta; hinc Archiconfraternitas prætensionem excitare cæpit super reincidentia dotis, quam sibi devolutam esse censuit. Re tamen sine judicii strepitu discussa, eadem Archiconfraternitas acquievit, & Principi Ruspoli jus iterandi nominationem permisit. Hujusmodi tamen prætensionem denuò excitavit anno 1764., quo tempore accidit interitus alterius Puellæ prius, quam dotem consequeretur. Tunc enim freta forsan præsidio Rescripti san. mem. Clementis XIII. super dotium reincidentia, graviorem ea de re proposuit quæstionem, quæ sapienti EE. VV. judicio resolvenda modo subjicitur,

Inquit Princeps Alexander, nulli dubium esse posse, quin dotes ab eo jam collatæ, quæque ob Puellarum interitum vacuæ factæ sunt, ab ipso sint denuò conferendæ, absque eo quod juris quidquam super iis Archiconfraternitas valeat exercere. Casum hunc jam fuisse decisum à Sac. Rota in celebri Decisione, cui titulus *Romana electionis Puellarum* 27. *Novembris* 1624. *coram Pirovano*, quæ impressa legitur post *Constantin. vot. decis.* 298. *tom.* 2., eamdemque fuisse opinionem tum *Constantin. in citat. vot.*, tum etiam *Card. de Luc. de dot. disc.* 19. *num.* 5.

Id autem eo magis locum sibi vindicare, dicit, in præsenti casu, quo jus nominandi ad dotalia subsidia ex transactione proveniens comparatum noscitur titulo verè oneroso, quod desumitur non solum ex ipsa Transactionis natura, quæ titulum correspectivum, & onerosum præsefert ad

Text.

Text. in Leg. Tranſactio nullo dato, ubi DD. *C. de Tranſact.*, *Jaſon. in rubric. num.* 15. *ff. de tranſact.*, *Rot. deciſ.* 248. *n.* 1. *& ſeq. part.* 11. *Recen.*, ſed etiam ex illius ſpiritu, & litera, cum Marchioniſſa Hieronyma non aliter jus nominandi ad dotalia ſubſidia acquiſiverit, niſi quia juri ſibi competenti pro detractionibus contra hæreditatem Alexandri Sen. renunciavit.

Addit, jus nominationis eo tantum caſu conſumptum Tranſigentes voluiſſe, quo illius exercitium inadimpletum fuiſſet *nel giorno del maritaggio di ciaſcun anno*. Perperam idcircò ſublatum modo prætendi ex alia diverſa cauſa, in tranſactione non comprehenſa, quæque refragatur pacto tranſactionis adamuſſim ſervandæ *Cap.* 1., *& cap. qualiter de pact.*, *Rot. deciſ.* 58. *num.* 5. *part.* 6., *& deciſ.* 477. *num.* 2. *part.* 19. *tom.* 2. *Recen.*

Verum non ſolum ex Tranſactione, ſed ex Apoſtolicis etiam literis S. M. Benedicti XIII. jus ſuum, & titulum oneroſum arguit Princeps Alexander. Aſſerit enim, præſumi nequaquam poſſe, quod Summus Pontifex Tranſactionem approbare voluiſſet, & applicationem novem ex dotalibus ſubſidiis Eccleſiæ Collegiatæ Vineanelli concedere, niſi compertum eidem fuiſſet ex titulo verè oneroſo, & correſpectivo ſubſidia hujuſmodi fuiſſe quæſita. Maximè quia facultatem quoque tribuit decimum, quod ſupererat ex relatis ſubſidiis dividendi, illudque non uni tantum, ſed geminis Puellis conferendi.

Demum recurrit ad obſervantiam, qua certum fieri ſuſtinet, fuiſſe jam ab Archiconfraternitatis Deputatis probatum, anno 1758. favore Principis Ruſpoli jus denuò conferendi dotale ſubſidium, quod per deceſſum alterius Puellæ, cui fuerat ab eo collatum, reinciderat. Minus itaque rectè in diſcrimen hodie revocari, quidquid jam alias de eorumdem Deputatorum conſenſu, & placitu fuerat admiſſum, *L. quod ſemel de reg. jur. in 6.*, *Rot. deciſ.* 228. *num.* 7. *part.* 13., *& deciſ.* 272. *num.* 3. *part.* 14. *Recen.*

Nec juri Principis Alexandri obeſſe gratiam, quam vocant *delle Ricadenze* a ſan. mem. Clemente XIII. anno 1761. Archiconfraternitati conceſſa, cum ea trahi non poſſit ad ſubſidium dotale, non gratuitò, ſed oneroſo titulo quæſitum, quodque eo tantùm caſu declaratum fuit caducum, quo intra præfinitum tempus expleta nominatio non fuiſſet. Neque enim præſumi, Supremum Principem, dum gratiam Archiconfraternitati conceſſit, alterius jura lædere, aliique præjudicium inferre voluiſſe, *Cap. fin. ut lit. penden.*, *& cap. fin. de Conſtitut.*, *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 39. *num.* 18., *Rot. dec.* 647. *n.* 18. *part.* 19. *tom.* 2. *Recent.*

Ab Archiconfraternitate, licet monita, nihil hactenus habuimus. Eminentiſſimus Protector poſtquam Cauſæ ſtatum, & rationes utriuſque Partis, accuratè, ut ſolet, di-

diligenterque narravit, ſuum aperit ſenſum in hæc verba: *Si a Juris diſpoſitione quæſtionis reſolutio petenda eſt, planè videtur, quod ſubrogare hic* (nempe Princeps Alexander) *poſſit Puellam in locum præmortuæ, quia nominatio tunc demum conſumpta dici debet, cum plenum ſortita eſt effectum, ad quem directa, & præordinata eſt, quia rurſus ex Tranſactionis littera nominandi facultas non gratioſa, ſed oneroſa dignoſcitur, & quia demum anno* 1758. *ipſi Deputati re maturè diſcuſſa id ipſum agnoverunt. Si verò juxta Pontificium reſcriptum anni* 1761. *judicium ferendum eſt, certè apparet, quod non alias Summus Pontifex a reincidentia excepit dotes, quam quæ ex Teſtatorum, ſeu Fundatorum expreſſa voluntate in eventu caducitatis iterum diſtribui jubentur. At ponderandum ſerio eſt, num reſcriptum iſtud jus Principi Ruſpoli quæſitum offendat. Non eſt enim præſumibile, quod Supremus Pontifex dum alterius petitioni annuit jus, tertio quæſitum excutiat, deſtruatque.*

Dotalia ſubſidia, quæ ex pia Teſtatorum diſpoſitione pauperibus Puellis diſtribuuntur, dupliciter reverti poſſunt; vel quia poſt contractas nuptias ſine filiis deceſſerint, vel quia innuptæ poſt eorumdem ſubſidiorum deſtinationem obierint. In primo caſu cum effectus nominationis ſequutus jam fuerit, revertuntur ſubſidia liberè ad Loca Pia, quæ de illis diſponere pro libito poſſunt; in ſecundo verò caſu, ſicuti cauſæ præſtandarum dotium nondum fuit ſatisfactum, ita finis adimpleri debet per novam nominationem, cum prima nominatio pro non facta habeatur. Egregiè utrumque caſum diſtinguit celebris in hac materia Deciſio *in Romana Electionis Puellarum* 27. *Novembris* 1624., *coram Pirovano*, quæ eſt impreſſa poſt *Conſtantin Vot. deciſ.* 298. *num.* 2., quam latè exornat hic Auctor in *citat. vot.*, & *Card. de Luc. de dot. diſc.* 10. *num.* 5.

Servanda tamen in hoc præcipuè ſunt ſpecialia Statuta a Summis Pontificibns confirmata, & peculiaria eorumdem Summorum Pontificum reſcripta. Præcæteris vero ponderandum, num reſcriptum ſan.me. Clementis XIII. quoad reincidentias, ad dotes controverſas trahi poſſit, eaſque afficiat.

His omnibus opportunè perpenſis, dignabuntur EE. PP. decernere

An in caſibus deceſſus Puellarum nominatarum ante exactionem Subſidii dotalis, de quo agitur, ſit locus nominationi aliarum Puellarum favore Principis Ruſpoli, in caſu &c.

Dilata ad ſecundam.

Seſſ. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

BENEVENTANA IRREGULARITATIS. Mandavit anno 1767. Curia Archiepiſcopalis Beneventana Vicario Foraneo Oppidi Montis Sarculi, ut inquireret de inhoneſta vitæ conſuetudine Sacerdotis Raphaelis Paradiſo cum puel-

puella Antonia Joderico ejuſdem Oppidi, nec non de ſecuta ejuſdem Antoniæ prægnantia, ac patrato animato abortu. Examinati primum fuerunt Chirurgus, & Obſtetrix, qui abortus tempore puellam, ac natum infantem inviſerant. Ille nullum novit externum ſignum, unde abortus violentiam argueret: hæc vero ex ipſa corporis puellæ inſpectione certum dedit de violento abortu judicium.

Alii undecim Teſtes de aſſidua Sacerdotis familiaritate, ac prava conſuetudine primum habita cum Lucia Judice, dein cum Urſula Quarantello, & demum cum dicta Antonia depoſuerunt: teſtati item ſunt de publico ſcandalo, præſertim ex ſecreta, & intima familiaritate cum dicta Antonia, nec non de iſtius prægnantia ex communi opinione dicto Sacerdoti attributa, & de ſecuto abortu, qui pariter ex publica voce, ac fama, & ex nimia illius cura, & ſollicitudine, eidem imputabatur. Tres quoque aliæ fœminæ ex proprio viſu patefecerunt crimen a Sacerdote Paradiſo cum dicta Antonia Joderico in agris admiſſum.

Ob hæc Curia Archiepiſcopalis eidem Sacerdoti imperavit, ut ſub pœna ſcutorum 50., & ſuſpenſionis a divinis a Patria abiret ultra octavum lapidem ad diem uſque 6. Martii 1767. Mandato primum paruit Sacerdos, & a patria ſeceſſit, brevi tamen, die ſcilicet 3. dicti menſis Martii, ad eamdem rediit ex cauſa adverſæ valetudinis, & cum primum convaluit ſpiritualia egit exercitia. His abſolutis ex præcepto ejuſdem Archiepiſcopalis Curiæ promiſit, ſe cum dicta Antonia non verſaturum, nec acceſſurum ad dictum Oppidum Montis Sarculi per circuitum decem millia paſſuum ſub pœna exilii a tota Diœceſi, & in ſubſidium ſuſpenſionis: ſed poſt brevem abſentiam, ad Patriam rediit, quare in ipſo Oppido Montis Sarculi ſub die 18. Maii 1768. carceribus fuit mancipatus.

Bis conſtitutus idem Sacerdos conſtanter affirmavit, Patriam repetiiſſe cauſa adverſæ valetudinis, & Medicorum conſilio. Negavit pravam non ſolum cum dicta Antonia conſuetudinem, ſed omnem etiam familiaritatem, aſſeruitque ignorare ejuſdem prægnantiam, ac abortum; teſtes verò fiſcales pro repetitis habuit, & ſuis defenſionibus renunciavit. Hinc Vicarius Generalis edita *die* 30. *Julii* 1768. definitiva Sententia *ſuper diffamato concubinatu cum ingravidatione, & inditiato abortu, & cum diffamatione, ac murmuratione abortus prædicti per dictam Terram in perſonam Antoniæ Joderici* cenſuit dictum Sacerdotem Raphaelem Paradiſo *tamquam de præmiſſis reum repertum, & de jure punibilem, condemnandum fore, & eſſe ad exulandum, & exulem permanendum per decem annos continuos a Terra Montis Sarculi ejus Patria, & per quindecim milliaria circum circa, necnon ad peragendum exercitia ſpiritualia etiam per decem an-*

nos, scilicet per decem dies continuos quolibet anno, sicuti etiam ad consulendum conscientiæ suæ pro diffamatione abortus ad adeundam Sanctam Sedem Apostolicam pro absolutione.

Hanc Curiæ Archiepiscopalis Sententiam Sacerdos expresse acceptavit, obligationemque de servandis exilii finibus emisit, ita ut Fisco plene jam satisfecerit. Ut autem ad Altaris ministerium restituatur, nunc exponit, se nulla irregularitate notatum esse, vel quatenus irregularis dici possit saltem implorat EE. VV. clementiam pro opportuna dispensatione. Qua de re disceptanda curavit dubia in calce transcripta.

Et ad I: inquit, non incurri ex delicto irregularitatem, nisi hæc illi inhæreat ex juris sanctione, idemque delictum concludenter fuerit probatum *cap. is qui de sentent. excom. cap ex tenore* 4., *& cap. ult. de temp. ordin.*. Fornicationi autem, ac etiam concubinatui nullibi a jure impositam esse pœnam irregularitatis *Gloss. in cap. Maximus dist.*8. *Imol. in cap. at si Clerici num.* 14. *extr. de judic.*, *Farinac. de delict. carn. quæst.* 137. *num.*16.

Nullam autem in præsenti casu violenti Abortus haberi probationem in genere, immò hanc excludi ex relatione Chirurgi, qui fœtu inspecto, nullisque violenti abortus repertis signis, ac vestigiis judicium protulit, quod naturaliter contigerit; Chirurgi verò relationi magis credendum, quam fallaci, insulsæ, & inverosimili obstetricis opinioni *Guazzin. ad defens. rect. defens.*4. *cap.* 12. *num.*4.. Deesse item probationem in specie, quia tres mulieres a Fisco examinatæ non tam in suo dicto singulares sunt, & ob muliebrem sexum spernendæ, sed etiam nihil concludunt contra personam Sacerdotis Oratoris. Hunc autem probationum defectum perspectum quoque fuisse dicit Reverendissimo Archiepiscopo, ut ex ejus relatione desumitur.

Hinc arguit nullam infamiam contractam fuisse, tum quia deest delicti probatio, tum quia infamia non oritur ex dicto duarum, vel trium mulierc ularum, sed tantum ex communi opinione, ac fama penes probos viros, & majorem populi partem *cap. inquisitionis* 21. §. *Quæsiviſti de accusat.*, *Pignatel. cons.*19.*num.*6 *tom.*7., *& Rot. rec. decis.* 207. *num.*38. *part.*17.. Nec eam evinci ex pœna exilii Oratori inflicta, quia hujusmodi pœna injuncta non fuit ex causa abortus, sed ob turpem consuetudinem, de qua tantùm extat probatio. Sustinet autem, quod sicuti ex inhonesta vivendi ratione nulla irregularitas incurritur, ita nulla ex dicta pœna exorta fuerit infamia, vi cujus Orator ab altaris ministerio sit arcendus *Garzias de Benef. part.* 11. *cap.*3., *& Suarez. de cens. disput.*4.

Secundo dubio saltem postulat benignam dispensationem sibi ex gratia indulgeri. Advertit enim rem esse de Sacerdote jam promoto, non de promovendo: probat Archiepi-

piſcopi teſtimonio ſui reſipiſcentiam, ac converſionem ad meliorem frugem: probat item jam Fiſco ſatisfeciſſe, pœnitentiam egiſſe, & in maximam paupertatem redactum eſſe: hinc concludit ex Sacrorum Canonum, & Eccleſiæ benignitate diſpenſationem ſibi eſſe elargiendam *can. ſi duo 35. quæſt. 6., Fagnan. in cap. Henricus num. 34. de Cleric. pugn. in duello, & Garzias de Benef. part. 7. cap. 8. num. 64.*

Archiepiſcopus poſt relata inditia procurati abortus contra Sacerdotem Oratorem concludit = *Pro levi itaq. inditiorum efficacia, nec non ſatisfactione jam Fiſco præſtita, cum aliunde abortus ex naturali cauſa evenire potuerit, quamvis iſtiuſmodi diffamatio ex præfata illicita conſuetudine ortum habuit, cum a petita diſpenſatione non indignum eſſe arbitror, eoque proclivius in hanc ſententiam deſcendo, quo Raphael poſt ſententiam facti pœnitens, & in meliorem reverſus frugem mihi hactenus videtur: adderem etiam egeſtatem, qua ipſe præmitur maximam, ſi ea ad hujuſmodi beneficium impetrandum opportuna dici poſſet.*

Irregularitas, ut incurratur ex delicto, requiritur actus externus conſummatus *can. ſi quis non iratus 15. quæſt. 1.*, nec unquam contrahitur niſi ſit in jure expreſſa *cap. is qui de ſent. excom. in 6.*, ubi Pontifex ita arguit *licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen (cum id non ſit expreſſum injure) laqueum non incurrit.* Nulla autem irregularitatis pœna inflicta eſt Clericis, ac Sacerdotibus impudicitiæ ſordibus, ac etiam immundo concubinatu inquinatis, niſi ſervatis pœnarum gradibus præſcriptis a Sacro *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14.*

Verum quoad abortus delictum, quidquid præſcripſerint antiqua Romanorum jura, illud graviſſimis ſanè pœnis puniendum eſſe definierant antiqui Canones *Conc. Ancyr. can. 21.* Receptaque poſtmodum fuit in jure Canonico diſtinctio, tradita a *Tertull. de anim. cap. 37.*, *Div. Auguſtino in cap. quod vero 8.*, & approbata ab Innocentio III. in *cap. ſicut ex litterarum 20. de homicid.* inter fœtum animatum, & nondum animatum, ut ſcilicet primo caſu delinquens, tamquam homicida puniatur, & irregularis evadat *cap. ſi aliquis 5. de homicid., cap. conſuluiſti in fin. 2. qu. 5.* ſecundo vero caſu mitius agendum ſit, & ita quidem, ut nec irregularitatem Clericus incurrat *dicto cap. ſicut ex litterarum, gloſſ. in dicto cap. ſi aliquis 5. de homicid.*

Hanc tamen diſtinctionem penitus expoſt abrogavit Sixtus V. in ſua Conſtitutione incip. *Æffrenatam* 4. *Kal. Novembris* 1588. *la* 134. ubi graviſſimas pœnas infligens procurantibus abortum fœtus *tam animati, quam inanimati, formati, vel informis*, preciſe contra Clericos his verbis invehit = *Eos vero, qui Clerici fuerint omni privilegio Clericali, officiis, dignitatibus, & beneficiis Eccleſiaſticis ipſo facto privamus, & in futurum inhabiles ad ea ſuſcipienda decernimus, adeo ut illi, qui hoc delictum commiſerint, non ſecus atque ii, qui ſua vo-*

luntate homicidium perpetraverint juxta Concilii Tridentini decreta, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, ad sacros ordines promoveri, aut in susceptis ordinibus ministrare nullomodo possint, nec illis aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio perpetuo careant.

At rigidiorem hanc Sixti V. constitutionem in aliquibus, & præsertim circa fœtum non animatum moderatus fuit Gregorius XIV. in sua Constitutione incip. *Sedes Apostolica prid Kal. Jan. 1591. la 2a.* ubi in §.3. hæc statuit = *Quo vero ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis aut exhibentium mulieribus, vel sumentium venena sterilitatis, aut quocumque modo auxilium, vel consilium eis dantium in prædicta Constitutione contentas, constitutionem præfatam, ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem auctoritate Apostolica tenore præsentium tam quoad præterita, quam quoad futura reducimus, perinde ac si eadem constitutio in hujusmodi parte nunquam emanasset.*

Fœtus, quem Antonia peperit, jam quinquemestris, vel saltem quadrimestris erat, ut constat ab examine Chirurgi, & Obstetricis. Licet autem non una sit Philosophorum, Sententia, circa præcisum tempus, quo fœtus animatus dicendus sit, ut differit *Gregor. Lopez. in leg.8. tit.8. part.7. gloss. 2., Gothofred. ad leg. 3. §. fin. ff. de suis, & legitt. læred., Zacch. quæst. med. leg. tit.2. quæst.9., Barbos. de off., & potest. Episc. part.3. alleg.51. cas.9. num.137.;* recepta tamen passim sententia est, post diem XL. in masculis, & LXXX. in feminis intrare animam in fœtum conceptum, eumque ab hoc tempore animatum censeri *Farinac. in oper. crim. quæst.122. part.6. num.143., Martin. Azpilcvet ad tit. 10. de homicid. cons. 46. num. 2., & Carand. de part. cap. 1. §. 2. num.35.*

Tota hinc inspectio est, an idem abortus violentus fuerit, & an ejusdem auctor, fautor, vel consiliarius censeri possit Sacerdos Raphael Orator. Quid Chirurgus, & obstetrix testati fuerint, habetur ex eorumdem examine, quod inter monumenta causæ transcribitur. Omnes fere alii undecim Testes deponunt de publica voce, & fama, quod idem abortus violentus fuerit opera, industria, & consilio dicti Sacerdotis. Præcipuè vero Josepha Caporale deposuit = *Giorni prima di sortire l'aborto sudetto venuta in discorso con Porzia Jenca circa la gravidanza di detta Joderico, la medema Porzia mi raccontò, che era stata più volte da quella pregata, ed importunata, acciò l'avesse fatta abortire, protestandosi però, che non aveva voluto farlo, ma circa otto giorni doppo, che feci con detta Porzia detto discorso, avendo inteso che erasi lamentovata Antonia Joderico abortita, subito feci giudizio, che la*

la riferita Porzia foſſe ſtata quella, che operata avea l'aborto, così per eſſer ſolita comettere tali ſceleraggini, come perchè detto Sacerdote D. Raffaele è ſuo confidente per aver il medemo più anni prima di aver pratica con la detta Antonia, avuto pratica, e attacco carnale con Lucia del Giudice Nuora di eſſa Porzia.

Nuntia vero teſtata eſt = *doppo detto ſeguito aborto, eſſendo un giorno venuto a diſcorſo con detta Porzia Jenca, dalla ſteſſa, mi fu confidato, che per titolo di carità avea fatto il piacere alla mentovata Antonia Joderico per farla abortire, e per detto di Antoniella Papa Nipote di detta Porzia ſi ſeppe, che la cennata Porzia nel luogo della Tora coll'intervento del detto Sacerdote Raffaele avea applicata la radice della ſudetta Joderico, d'onde eſſere ſeguito l'aborto, doppo del quale pur anche eſſo Paradiſo continuò a praticare nella ſudetta Caſa d'Antonia.*

Et demùm Antonia Papa Ann. 14. depoſùit = *nella ſettimana antecedente alla feſtività di S. Giacomo del meſe Luglio 1766. in giorno di Sabbato sò, e mi ricordo beniſſimo, che nella detta mia Caſa portoſſi il Sacerdote D. Raffaele, e poſtoſi a diſcorrere con Lucia del Giudice mia Madre, e con Porzia Jenca mia Ava, per poter con più libertà, e ſegretezza trà di loro diſcorrere, mi fece detto Sacerdote uſcire fuori di detta mia Caſa, e rimaſto tutti e tre dentro la Camera, per avergli inteſi contraſtare all'uſcir che feci della Cucina, inteſi che la detta Lucia mia Madre diceva a detta Porzia mia Ava le ſeguenti parole =* via fancelo mamme per carità, *ne altro inteſi, e potei comprendere. Lo ſeguente giorno di Domenica la ſudetta mia Ava Porzia doppo mezzo giorno diſſe voler andare al noſtro territorio nel luogo della Tora, e con eſſa volle portar me per procurarci della legna, ed appena gionte nel detto Territorio, viddi nello ſteſſo portarſi detto Sac. D. Raffaele Paradiſo unitamente con detta Antonia Joderico, e ſtando io accoſto al Pagliaro, da cui detta Porzia mia Ava ſtava alquanto lontana, viddi che il detto Sacerdote D. Raffaele gli fece ſegno colla mano, acciò ſe gli foſſe avvicinata, come fece, ed immediatamente la riferita Porzia col detto D. Raffaele, ed Antonia ſi allontanarono dal detto Pagliaro, e ſi poſero a camminare per detto Territorio, ed allontanatiſi circa mezzo tiro di ſchiopetta, ſi fermarono in una vaſcianza di quella vicino ad un piede di pero, dove ſi trattenero per circa mezz'ora ſenza però vedere, o ſapere ciò, che mai faceſſero &c., e la ſeguente mattina di Lunedì inteſi che la d. Antonia s'era figliata ſenza ſaver come &c.*

Perpendendum hinc, an ex his ſatis probata ſit violentia abortus, & an ejuſdem auctor, cooperator, vel conſiliarius dici poſſit Sacerdos Orator, vel ſaltem an in qualibet probationum dubietate idem Orator ſit irregularis renunciandus. Licet enim in dubio ſive juris, ſive facti quiſque non ſit irregularis cenſendus, diverſimodè tamen ſentiendum eſt quoad homicidium *ex cap. Ad audientiam, & cap. ſignificaſti de homicid.*, ubi expreſſe ſancitur, quod dubius non debeat

beat in ſacris miniſtrare, nec celebrare *cum in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem, & in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quam temere celebrare*. Docet tamen *Giballin. de irreg. cap.4. ſect.3. num.* 17. id recte procedere, quoties homicidium certum eſt, dubiumque ſolummodo oriatur de perſona quod illud commiſerit, non tamen, ſi de homicidio dubitetur, an illud commiſſum fuerit, cum hoc caſu irregularitas minime incurratur.

Ponderandum præterea, an idem Sacerdos infamiam contraxerit vel ex publica voce, & fama in dicto Oppido vigente, quod ipſe auctor fuerit dicti abortus, vel ex ſententia Curiæ Beneventanæ contra ipſum lata, quorum cauſa irregularis dijudicari debeat: Præſertim cum Sacerdos Orator eamdem ſententiam acceptaverit, & exequutus fuerit.

Sacra Congregatio in una *Aſten. irregularitatis* 3. *Martii* 1714., in qua ob ſecutum homicidium Clerici Paterii condemnatus ex meris indiciis fuerat Sacerdos Luzana contumax ad extraordinariam pœnam quinquennalis exilii, quam poſtmodum ope defenſionum in totum revocari obtinuerat, & innocens fuerat declaratus, propoſitis dubiis I. *An conſtet de irregularitate in caſu, & quatenus affirmative*. II. *An ſit locus diſpenſationi in caſu*, reſpondit *ad* I. *Affirmative*, *ad* II. *Negative*.

Item in una *Lavellana, ſeu Romana 6. Julii* 1726., in qua Sacerdos ex meris indiciis ex dicto correorum deſumptis, de nefando crimine fuerat inquiſitus, quamvis illud conſtanter negaverit, & ob ſuam paupertatem indefenſus, damnatus fuerit pœna extraordinaria ad triremes per ſeptennium, quum expleto tempore pœnæ, quin unquam remigaverit, preces dediſſet pro facultate Miſſam celebrandi, quæſitum fuit *an petitis ſit annuendum, nec ne?* S. autem Congregatio reſpondit *Negative*.

Similiter in *Aſculana Irregularitatis*, in qua Sacerdos propter homicidium fuerat diffamatus, quamvis ſubſtinuiſſet torturam, & idcircò condemnatus tantum fuiſſet ad exilium, cum dubitatum ſubindè extiterit an eſſet diffamatus, & dici poſſet Irregularis, Sac. Congregatio *die* 8. *Julii* 1690. cenſuit fuiſſe diffamatum, & non eſſe diſpenſandum.

Quandoque tamen ex levibus tantum indiciis, commiſſi delicti credidit Sac. Congregatio nec irregularitatem fuiſſe incurſam, nec diſpenſatione opus eſſe niſi ad cautelam, ut proſtant exempla in *Vigilien.* 23. *Septembris* 1673., *in Militen. Irregularitatis* 10. *Novembris* 1674., *in Tyraſonen. Irregularitatis* 3. *Auguſti* 1665., *in Vgentina Irregularitatis* 27. *Martii* 1677., *& in Brugnaten.* 11. *Julii* 1693.

Dignentur ideo EE. PP. decernere quid juris in præſenti caſu dijudicandum ſit, & quo clementiæ gradu dignus ſit Sacerdos Orator, qui poſt Sententiam facti pœnitens, & in me-

meliorem frugem reverſus Archiepiſcopo videtur; dum proponitur.

I. *An conſtet de irregularitate in caſu, & quatenus affirmative.*
II. *An ſit concedenda diſpenſatio in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Negativè.

CAMERACEN. DISPENSATIONIS. Parentum voluntati morem gerens Clericus Joannes Franciſcus Andrè Sacrum ſuſcepit anno 1759. Subdiaconatus Ordinem: conſtanter deinde renuens ad Diaconatum aſcendere preces obtulit Sanctiſſimo pro diſpenſatione a voto continentiæ Subdiaconatui adnexo, eo quod invitus, ac metu a Parentibus incuſſo dictum Ordinem ſuſceperit. Re S. huic Congregationi commiſſa, modò quæritur an petitæ diſpenſationi ſit indulgendum. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Inquit Clericus Orator, continentiæ votum nonniſi recentioribus Eccleſiæ legibus Ordini Subdiaconatus fuiſſe adnexum *Cap. 1., & cap. dilectus de his, quæ met. cauſ., Piton. diſcept. Eccleſ. 107. num. 1., Rot. deciſ. 870. num. 2. coram Emerix. Jun.*. Ad illud autem rite emittendum, liberam requiri voluntatem. Ejuſmodi vero eſſe non poſſe eam, quam excitat, cogitque metus; Et voluntatem cogere dicitur etiam metus reverentialis, proindeque ipſum quoque juſtam præbere cauſam diſpenſandi a voto continentiæ *Fagnan. in Cap. majores num. 103. de Baptiſm., Urſaya tom. 2. part. 1. diſcept. 13. num. 4.*

In præſenti verò caſu ſuſtinet idem Orator, non interceſſiſſe ſolum metum reverentialem, ſed metum quoque gravem, cadentem in conſtantem virum. Inquit enim, ipſum Philoſophiæ, ac Theologiæ in Seminario ſtudentem, ſemper Parentibus animum Statui Clericali averſum ſignificaſſe, ſæpiuſque veniam ab his petiiſſe, ut ſibi poteſtas fieret operam navandi vel Mercaturæ, vel Medicinæ, vel Chirurgiæ, aut Pharmaciæ. Pluries item interpoſuiſſe amicorum preces, ut a Parentibus aſſenſum obtineret deferendi clericalem ſtatum, & ſæcularem militiam amplectendi. Inanes tamen fuiſſe hujuſmodi conatus, cum Parentes vocationi ſuæ viriliter obſtiterint, ac jugiter minati ſuerint ejectionem a Domo, & privationem alimentorum, niſi ad Sacerdotium aſcenderet. Hinc infert coactè, & ne fame periret Subdiaconatus Ordinem ſuſcepiſſe, ſed deinde vix ſemel in eo miniſtraſſe, oblatum ſibi pingue beneficium recuſaſſe, & a ſuſceptione Diaconatus abſtinuiſſe, immò de ſuſcepto jam Subdiaconatu pluries fuiſſe conqueſtum. Conſtare hæc omnia ex jurata Parentum depoſitione,

ne,

ne, nec non ex teſtimonio Joannæ Mariæ Stoequart, & Sacerdotis Bettinier.

Certum proinde ſubdit deprehendi metum gravem, qui cadit in virum conſtantem, qualis eſt comminatio ejectionis è Domo, ac privationis alimentorum *Barboſ. vot. deciſ.37. num.8. Rot. coram Peutinger. deciſ.98. num.7.* Nec ullam magis certam haberi poſſe metus probationem, quam quæ reſultat ex jurata Parentum confeſſione, qui de facto proprio, & de rebus ab ipſis geſtis teſtantur *Rot. deciſ.373. num.13. part.18. Recen.*, vel ſaltem eorumdem depoſitionem, aliis adminiculis, & probationibus roboratam, ſatis, ſuperque ſufficere ad obtinendam diſpenſationem, quæ ex conſueta Apoſtolica benignitate, ac perpetuo Sacræ Congregationis more ſolet qualemcumque coactionem paſſis indulgeri, *de Juſt. de diſpen. lib. 3. append. cap.15. num.19.*

Nec obeſſe, quod ſemel Ordinem Subdiaconatus exercuerit. Reſpondet enim, quod ſicuti in Seminario tunc degebat, ita Superiorum mandatis etiam invitus obtemperare tenebatur: Maximè quia in humanis adhuc erant ejus Parentes, eademque metus cauſa perdurabat. Cæterum aſſerit, quod cum voluntatem ſuam a Statu Eccleſiaſtico ſemper alienam patefecerit, nulla proindè ex unico actu induci potuerit Ordinis ratificatio, quæ nunquam inducitur, quando de contraria voluntate conſtiterit *Rot. dec.373. num.12. part.18. Recen.*

Adverſus hæc Defenſor ex Officio deputatus, ut ſuo muneri ſatisfaceret, nonnullas exaravit animadverſiones, quas Oratoris paupertas vetat, ne typis edantur. Sunt autem quæ ſequuntur. Primo ſcilicet, deſpiciendos eſſe Teſtes, utpotè quia examinati fuerint abſque Articulis, abſque interrogatoriis, & abſque interventu Defenſoris Ordinis, contra formam præſcriptam a ſan. mem. Benedicto X V. in Conſtitutione incipien. *ſi datam Hominibus*. Nec dubitari poſſe, modum in dicta Conſtitutione præfinitum pro cauſis nullitatis Profeſſionis, ſervari quoque oportere, ubi agitur de nullitate Ordinis, cum in utroque caſu res ſit de irritando voto, ac fide Deo ſemel præſtita revocanda.

Advertit præterea, allatos Teſtes nihil relevare, cum Parentes vel ratione affectionis, vel quia propriam turpitudinem allegant, nullam fidem mereantur *Rot. coram Falcon. deciſ.13. num.20. de probat.*, & *in Miſcell. deciſ.44. num.15.* Alium verò Teſtem eſſe unicam fœminam, nihil concludentem, quoad præciſum tempus ſuſcepti Ordinis Subdiaconatus. Obſervat inſuper, tum Clericum Joannem Franciſcum, tum iſtius Parentes potuiſſe poſt collatum Ordinem actæ rei pœnitere, nec idcircò attendendas eſſe declarationes, vel facta vetuſtiora, cum ea tantum in pretio habeantur, quæ præciſum Ordinationis tempus percutiunt. *Sperel. dec.79.n.56.*

Hinc

Hinc nihil obeſſe, quod Orator a Diaconatu abſtinuerit, quod beneficium repudiaverit, & preces pro diſpenſatione Sanctiſſimo obtulerit, cum hæc omnia non reſpiciant præciſum tempus ſuſcepti Ordinis Subdiaconatus, & mutatio voluntatis ex poſt, atque ex alia diverſa cauſa evenire potuerit. Et revera animadvertit, quod dum idem Orator in Seminario degebat, & Subdiaconatum ſuſcepit, Parentes eo in loco non aderant, propterea que liberum ipſi fuiſſe vel Superioribus, vel Epiſcopo ſuam reluctantiam exponere, eorumque opem implorare, ut a ſuſcipiendo Subdiaconatu poſſet abſtinere, prout fecit quando a Diaconatu abſtinuit, abſque eo quod mali quidquam eidem evenerit.

Demum obſervat, Subdiaconum Andrè in Sacro Subdiaconatus Ordine miniſtraſſe, ac proindè ex hoc unico actu ratificationem induci, *Rot. deciſ.* 154. *num.*4. *part.* 14. *recen.* Spreta penitus exceptione vel metus, cujus de cætero nulla exhibetur probatio, vel ignorantiæ nullitatis Ordinis, quæ in eo, qui jam a quadriennio Theologiæ operam dederat nec præſumitur, nec attenditur *Rot. deciſ.*4. *num.*1., *& ſeq. part.*13. *recen.*

Epiſcopus tranſmiſſis Parentum, & alterius Teſtis depoſitionibus, hæc habet = *Ex his reſponſis coaleſcit, minas Parentum iteratas fuiſſe ante incæptum Philoſophiæ curſum, & ante ſuſceptum Ordinem Subdiaconatus, Patrem nempè, & Matrem, prædictos que Parentes eo vehementiæ deveniſſe, ut licet variis modis Orator iis expoſuerit, & exponi ab aliis fecerit, ſe nullatenus aptum, & idoneum eſſe ad ſtatum clericalem, minis eum coegerint ad ſuſcipiendum Subdiaconatus Ordinem, ni vellet paternam Domum deſerere, & victu uti vellet, & poſſet quærere. Quare nobis talis viſus eſt Orator, cui diſpenſationem expoſtulatam concedere omnino conveniens, atque etiam neceſſarium eſſe judicaverimus, quamvis poſt ſuſceptum prædictum Subdiaconatus Ordinem ſemel in Miſſa ſolemni miniſtraverit.*

De Sacramento Ordinis Concilium Tridentinum *ſeſſ.*23.*cap.*3. *de Reform.* declaravit = *Cum Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit per Sacram ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem eſſe verè, & propriè unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis.* Hinc contra Novatores edixit *Can.* 3. = *Si quis dixerit ordinem, ſivè Sacram Ordinationem non eſſe verè, & propriè Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum excogitatum a Viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi Miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema ſit.*

Prætermiſſa autem quæſtione, an Subdiaconatus veram Sacramenti rationem, virtutem, & excellentiam habeat, de qua fuſius egit *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.*8. *cap.*9.

§.3., *& seq.*. Indubia res est, quod olim inter Minores Ordines recensebatur, & nonnisi quam sæculo XI. inter Sacros Ordines cæpit numerari, ut colligitur ex *Micrologo de Eccles. observ. cap.*8., & probat *Morin. de Sac. Ord. part.*3. *exerc.*. Hanc disciplinam confirmavit deindè Concil. Tridentinum *sess.*23. *cap.*2. *de Ref.*

Verum non levis inter Theologos, & Canonistas orta est controversia, an suscipiens Ordinem Subdiaconatus per coactionem non absolutam, non præcisam, sed conditionalem, & causativam, recipiat caracterem, ita ut teneatur ad votum continentiæ eidem Ordini adnexum. Tutiorem Sententiam amplexa est Rota, quæ censuit in his circumstantiis efflagitandam esse a Summo Pontifice dispensationem, ut in *decis.*1. *coram Cæsar. de Graff. de his, quæ vi, & met caus., & in Romana Nullitatis Ordinis* 14. *Januarii* 1754. *coram Vicecomite*. Hanc ipsam Sententiam probavit Sac. Congregatio in *Hispalen. dispensationis* 28. *Maii* 1716., *in Ipren. dispensationis* 5. *Augusti* 1719., *in Parisien. dispensationis* 12. *Julii* 1721., *in Namurcen. dispensationis* 10. *Martii* 1731., *in Constantien. dispensationis* 21. *Maii* 1734., *& in Osnabrugen. dispensationis* 15. *Decembris* 1764.

Tota igitur inspectio versatur circa metum, de quo inquirendum est, an talis fuerit, ut justam præbere valeat dispensationis causam. Pendet id a rerum, factorumque circumstantiis, quibus perpensis Sacra Congregatio dispensationem quandoque concessit, ut in causis *Ipren.*, *Parisien.*, *Namurcen.* mox relatis. Aliquando tamen illam denegavit, ut in citata *Hispalen.*, *Constantien.*, *Osnabrugen.*, *in Monasterien.* 15. *Januarii* 1724., *in Arelaten.*27. *Februarii* 1731., *in Cathacen. Dispensationis* 9. *Septembris* 1742., *in Bisuntina* 17. *Junii* 1752., *& 20. Maii* 1765.

Advertendum, quod Orator, quo tempore Subdiaconatum subscepit, ætatem agebat viginti quinque annorum. Ex hoc autem, aliisque probationibus ab eo deductis, dijudicabunt Eminentissimi PP.

An sit locus dispensationi super voto continentiæ in casu &c.

Non proposita, cum sequenti.

Sess. 23. *cap.* 1. *de Reform.*

ARETINA MISSÆ CONVENTUALIS. Præscripta prosequens in Constitutione sa. mem. Benedicti XIV. incipien. *Cum semper*, Episcopus Aretinus Capitulo, & Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Agathæ Terræ Asciani imperavit, ut Sacrum agerent quotidie *pro Benefactoribus*. Onus hujusmodi grave nimis existimarunt Canonici, tum propter tenuitatem redituum Ecclesiæ; tum etiam ob pervetustam consuetudinem, onus illud non ferendi. Supplí-

plices proindè adierunt felic. record. Clementem XIII. petentes abſolutionem ab applicatione quoad præteritum, omiſſa, & omnimodam inpoſterum ab hoc onere exemptionem, vel ſaltem illius reductionem ad dies tantum feſtos. Precibus ad Sac. Congregationem remiſſis, auditoque bis Epiſcopo, nunc ea res judicio ſubiicitur EE.PP.

Præcipua Oratorum excuſatio, ex redituum tenuitate deſumitur. Ducto quippe calculo fructuum unicuique ex Capitularibus obvenientium, ſubductiſque oneribus inquiunt, in utilitatem Præpoſiti vix ſupereſſe annua ſcuta *61. 70.*; in compendium Archipresbyteri autem ſcuta *32. 35.*, ſingulos verò quatuor Canonicos de maſſa accipere tantum ſcuta *19. 85.*, comprehenſis tamen quotidianis diſtributionibus. Has autem ſummas percipi, affirmant, ratione quotidiani ſervitii, quod præſtant choro, & ex cauſa rurſus adminiſtrationis Curæ Animarum, quæ per turnum, ſingulis nempè ſextis hebdomadis, a quolibet ex Capitularibus exercetur.

Addunt incommoda, caritatis annonæ, tenuiſſimæ Miſſarum taxæ, cælique intemperiei. Unde inferunt, incongruum eſſe, ut Capitulares novo quotidianæ applicationis onere graventur, cui ferendo exigui Capituli reditus impares comperiuntur.

Quod verò reſpicit ommiſſam tempore præterito Sacrificii applicationem, excuſatione ſe dignos eſſe Capitulares exiſtimant, tum ob expoſitam redituum tenuitatem, tum, & maximè ob bonam fidem, in qua huc uſque fuerunt, quum nulla in actu erectionis Collegiatæ Canonicis injuncta appareat obligatio Miſſam Conventualem applicandi, & emolumenti tenuitas præſumptionem induxerit non injunctæ Applicationis, cui illud non reſpondebat, ob neceſſariam proportionem, quæ intercedere debet inter emolumentum, & onus *Roland. conſult. 66. num. 7. in fin. lib. 3.*, *Rot. coram Molin. deciſ. 841. num. 13.*

Epiſcopus Aretinus in utraque ſua relatione confirmans, quæ a Capitulo, & Canonicis de redituum quantitate afferuntur, ipſorum petitioni favet. Addit præterea, nihil de erectione Dignitatum, & Canonicatuum poſſe affirmare, cum nulla in Collegiatæ illius libris extet de erectione memoria, nulla apud incolas Loci traditio, & neque in Tabulario Epiſcopali vetus aliquod monumentum appareat, cum deſint Scripturæ ante annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum, quo infelici incendio omnes conflagrarunt. Advertit tamen, ex redituum inopia id evenire, ut cum aliquis Canonicatus vacare contingat, nullus inveniatur, qui illud aſſequi cupiat. Incolæ enim Aſcianenſes admodum rari ſunt ad munus idonei; Advenæ autem a cælo inſalubri non immerito dererriti, domicilium eo in loco conſtituere recuſant.

Sæpius Sacra Congregatio declaravit, quod Canonici Cathedralium, & Collegiatarum teneantur quotidie Missam pro Benefactoribus applicare, non obstante reddituum tenuitate, aut quavis contraria etiam immemorabili consuetudine. Resolutiones hac super reeditas videre præstat in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad I. Dub.* in *Squillacen.* 17. *Martii*, in *Camerinen.* 9. *Junii* 1714., in *Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad II. Dub.*, quas omnes confirmavit sa: mem: Benedict. XIV. in sua Constit. *Cum semper* anno 1744.

Verùm ob reddituum tenuitatem si annua scuta 30. non excedant, reductionem ad dies tantùm festos de præcepto indulgendam censuit Sac. Congregatio in citat. *Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad III. Dub.*, in *Spalaten.* 23. *Julii* 1729. *ad I.*, & *II. Dub.*, quod quidem probavit etiam laudatus Pontifex in relata Constit. *cum semper* §. 19., cui postea inhærens Sac. hæc Congregatio, sæpissime hunc reductionis modum probavit, & præsertim in *Amerina* 12. *Martii* 1746., in *Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., & alibi passim.

Sæpius pariter actum est de prætermissa quoad tempus præteritum Missæ Conventualis applicatione. In citata *Ariminen.* Sac. Congregatio reductioni indulgens addita clausula *perdurante tenuitate redituum*, quoad omissam pro tempore præterito Missæ applicationem, respondit: *Ad D. Secretarium, facto verbo cum Sanctissimo.* Die tamen 2. *Decembris* 1718., denegavit reductionem, quam per supplicem libellum Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai Terræ Meldulæ postulaverant, & quoad præteritum rescripsit = *Quoad præteritum consulant conscientiæ suæ.*

In præsenti itaque disputatione considerandæ præcipue est redituum tenuitas, & num ea tanta sit, ut locum faciat reductioni ad solos dies festos. Quo verò ad præteritum statuatur oportet, num bona fides Canonicos possit excusare, præsertim postquam prodiit vulgatissima Constitutio sa, me. Benedicti XIV. *Cum semper*, de qua mentio superius habita est.

Vestrum itaque est Emi PP. declarare.

I. *An Capitulum, & Canonici Terræ Asciani teneantur applicare Missam Conventualem pro Benefactoribus in casu &c., & quatenus affirmative.*

II. *An, & quomodo sit locus illius reductioni in casu &c.*

III. *An, & quomodo pro tempore præterito sit providendum in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 16. Decembris 1769. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BInæ ex præcedenti folio Cauſæ, ſeptem verò ſapienti EE. VV. judicio in hodierno proponuntur. Qua igitur ſolent æquitate, ac juſtitia dubia in utroque tranſcripta definiant.

CAMERACEN. DISPENSATIONIS. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

An ſit locus diſpenſationi ſuper voto continentiæ, in caſu &c.

Negative.

ARETINA MISSÆ CONVENTUALIS. *Seſſ. 23., cap. 1 de Reform.*

I. *An Capitulum, & Canonici Terræ Aſciani teneantur applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus, in caſu &c.* & quatenus affirmative

II. *An, & quomodo ſit locus illius reductioni, in caſu &c.*

III. *An, & quomodo pro tempore præterito ſit providendum, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative ad formam Conſtitutionis ſan. mem. Bened. XIV. *Cum ſemper*. Ad III. Ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo.

ROMANA REDUCTIONIS LEGATORUM. Cæcilia Meriſi poſt erectam anno 1672. per publicas tabulas Capellaniam in Eccleſia S. Jacobi Incurabilium in animæ ſuæ, ſuorumque ſuffragium, in ultimo, quod anno 1683. poſtea condidit, teſtamento hæredem ex aſſe ſcripſit Ven. Archihoſpitale dictæ Eccleſiæ S. Jacobi, plura eidem injungens temporaria, ac perpetua onera, & præ cæteris diſtributio- *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

tionem panis qualibet hebdomada faciendam ſeptem ibi nominatis Conventibus Religioſorum Urbis; celebrationem præterea duorum Anniverſariorum, alterius in die obitus Julii Meriſi fratris, cum diſtributione panis pro quantitate duorum modiorum tritici in pauperes facienda; Erectionem inſuper alterius Capellaniæ annui reditus ſcutor. 40. cum onere Miſſæ quotidianæ, & denique diſtributionem octo Subſidiorum dotalium ſcutorum 25. pro totidem Puellis monaſticam vitam amplexuris, quæ intereſſe tenerentur tum Anniverſario in die obitus ſui celebrando, tum etiam ſolemni ſupplicationi, quæ die octava Corporis Chriſti ſolet haberi.

Expreſſe verò ſic ſtatuit: *E venendo il caſo, che alcuna delle Zitelle sì nominate, che eſtratte a ſorte per buſſolo non adempiſſe la mia volontà con farſi Monica, ed in luogo dì monacarſi ſi maritaſſe, ovvero avanti di monacarſi moriſſe, e paſſaſſe di queſta a miglior vita, in tal caſo voglio, ordino, e comando, che quel ſuſſidio dotale, che ſara ſtato promeſſo, ovvero toccato a ſorte a quella Zitella, o Zitelle, che contro la preſente mia volontà pigliaſſe marito, ovvero moriſſe, ipſo jure, & ipſo facto decada da detto ſuſſidio dotale, e riſpettivamente ricada quello liberamente all'infraſcritto mio Erede il ſuſſidio dotale di ſimil Zitella maritata, ovvero morta, e quello reſti a beneficio, utilità, e comodo dell'infraſcritto mio erede.*

Defuncta Teſtatrice anno 1683., Deputati Ven. Archihoſpitalis conſultius duxerunt cum beneficio legis, & inventarii hæreditatem adire. Solemni hinc confecto inventario, ſeparatim, ac diſtincte geſta fuit hæreditatis unius adminiſtratio, impletiſque temporariis legatis, perpetuis quoque hactenus ſatisfactum eſt. Verum imminutis hæreditatis fructibus, & contra auctis expenſis reparationum domorum ad eam pertinentium, ob imparem illorum quantitatem ad annua onera ferenda, Ven. Archihoſpitale in poſtremo vicennio grave ſubiit damnum ſcutorum 1077. 86. ex facto omnium onerum implemento; Quamobrem ejus Deputati ſimul poſtulant, & damni paſſi reintegrationem, & onerum perpetuorum reductionem ita ſtatuendam, ut ea impoſterum nonniſi. quam pro modo annuorum fructuum ſint implenda.

Inquiunt, Archihoſpitale hereditatem adiiſſe cum beneficio legis, & inventarii, ac ſemper diſtinctim, & ſeparatim hæreditaria bona adminiſtraſſe, nullum idcirco damnum debere ipſum in re propria ſentire. Hinc concludunt, debitam ſibi eſſe reintegrationem ſcutorum 1077. 86. ære proprio Archihoſpitalis ab anno 1745. ad annum 1766. erogatorum, itemque onera ita reducenda eſſe, ut nihil damni in poſterum eidem Archihoſpitali poſſit obvenire.

Eminentiſſimus Protector ſingulis mature expenſis ſic pandit ſententiam ſuam = *Cenſerem, eſſe locum favore Archioſpitalis*

lis ſuſpenſioni ſubſidiorum dotalium a Cæcilia Meriſi relictorum uſque ad reintegrationem ſummæ ſcut. 1077. 86., nec non alterius ſummæ, quam ex calculo anni 1767. prælegatis piis, de quibus agitur, implendis plus reditu impenſam fuiſſe conſiteretur, ita tamen ut annua duorum ſaltem ex iiſdem ſubſidiis dotalibus diſtributio nunquam intermittatur. Poſt completam vero ejus ſummæ reintegrationem, & prævia nova firmatione ſtatus hæreditatis, quæ deinde in ſingula quinquennia renovabitur, reducenda fore eadem ſubſidia dotalia ad eum numerum, cui reditus hæreditarii, ſupportatis aliorum piorum legatorum in perpetuum, & quotannis implendorum oneribus, & ſalvo eidem Archihoſpitali remanente eorum ſubſidiorum, quæ diſtribuantur, & deinde caducentur emolumento, annuatim ſufficiant; quod ſi ex præcedentis anni reditibus alia ſuperſit quantitas, quæ integram unius ex ſubſidiis dotalibus ſummam non adæquet, eamdem quantitatem cum ſubſequentis anni reditibus cumulandam fore, donec alicujus dotalis ſubſidii præſtationi ſufficiat, atque ita in poſterum obſervari debere, onerata ipſius Archihoſpitalis Deputatorum conſcientia ſuper fideli, & exacta hæreditariorum redituum adminiſtratione, ac præſentis Decreti obſervantia.

Binæ ſunt petitionis partes; altera tempus reſpicit præteritum pro reintegratione paſſi damni, altera futurum, ne onera ſuperent hæreditatis vires. Quoad primam attinet, prænotandum in facto eſt, Ratiocinatorem Archihoſpitalis rationes edidiſſe integræ adminiſtrationis geſtæ ab anno 1683. ad 1765., in quatuor vicennia diviſæ. In *primo*, quod ab anno 1683. excurrit ad annum 1705. ait, onera exceſſiſſe in ſcutis 42. 29. In *ſecundo*, quod ab anno 1705. protrahitur ad annum 1725. teſtatur, fructus, impletis oneribus, reliquos fuiſſe in ſumma ſcutorum 261. 81.; in *tertio* pariter ducto ab anno 1725. ad annum 1745. monſtrat, fructus ſuperaſſe onera in ſcutis 231. 55.; in *poſtremo* demum ab anno 1745. ad annum 1765., Ven. Archihoſpitale ſubiiſſe grave damnum ſcut. 1003. 87., ac demum refert anno 1766. reditus defuiſſe in ſcutis 77. 99., & anno 1767. in ſcutis 32. 21.. Licet itaque Ven. Archihoſpitale in *primo*, & *poſtremo* vicennio, ac noviſſimis annis longe plus in onera contulerit, quam quod ex hæreditatis reditibus perceperit; in *ſecundo* tamen, & *tertio* vicennio compendium habuit ſcutorum 494. 36.. Prima idcirco inſpectio eſt, an compendium hoc cum damno, quod ſenſit in cæteris annis ſit compenſandum.

Ex clara itidem Teſtatricis lege in utilitatem Archihoſpitalis illa ceſſerunt ſubſidia dotalia, quæ vel ob præmorientiam puellarum, vel ob non datum ab ipſis Religioni nomen, reverſa ſunt. Conſtat autem ex Ratiocinatoris teſtimonio, illa ab anno 1683. ad annum 1745. conflare ſummam ſcutorum 2481. 05., alia vero ab anno 1746. ad 1765. diſtribu-

ta,

ta, quorum non adhuc factus est locus solutioni ob non susceptum adhuc a Puellis nominatis habitum Religiosum, ascendere ad quantitatem scutorum 895. 81.. Perpendendum hinc est secundo loco, an compendium hoc dotalium subsidiorum jam reversorum, aliorumque, quæ in posterum reverti possunt, non impediat solum reintegrationem passi damni, sed obstet etiam, ne onerum fiat reductio.

Papinianus in *Leg. in ratione* 11. *ff. ad Leg. Falcid.* inquit = *In ratione legis Falcidiæ retentiones omnis temporis hæredi in quadrantem imputantur*. Celsus *in Leg. non est* 50. *eodem tit.* ait = *Non est dubium, quin ea legata, a quibus hæres submovere exceptione potuerit, in quartam ei imputentur, nec cæterorum legata minuunt, & in Leg. seq.* Julianus = *Nec interest utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidenti postea in eum casum pervenisset legatum, ut actio ejus denegaretur*. Item Marcellus *in L. ex asse* 52. *eodem* ait = *Quacumque ex causa legata non præstantur imputantur hæredi in quartam partem, quæ propter legem Falcidiam remanere apud eum debet* = Et Gajus *in L.* 76. *eod.* hæc habet = *Qua ratione placuit legata, quæ Legatarii non capiunt, cum apud hæredes subsederint, hæreditario jure apud eos remanere intelligi, & ideo quadranti imputanda: nec quidquam interesse, utrum statim ab initio legatum non sit, an quod legatum est, remanserit*.

Ubi autem urgere judicetur reductionis necessitatem, atque justitiam, ponderandum est, quæ ex injunctis oneribus reducenda sint. Ambigi sane nequit, nulli suspensioni, vel reductioni subesse priorem Capellaniam per actum inter vivos, & ante conditum testamentum constitutam cum dote census scutorum 2100., in cujus locum modo totidem Loca Montium subrogata sunt, cum nulla juris, aut æquitatis ratio pati possit, hanc reduci, vel suspendi ex causa diminutionis redituum hæreditariorum, quorum pars nulla defluxit in ipsius Capellaniæ commodum, & beneficium.

Verum quoad alteram Capellaniam cum onere Sacri quotidiani ex testamento posterius erectam, nec non quoad duo anniversaria, quæ Testatrix quotannis celebrari jussit, alterum in die obitus sui, alterum vero in die obitus Julii Merisi fratris, obstat reductioni, vel suspensioni verosimilis Testatricis voluntas, juxta quam Sac. Congregatio alia potius legata, quam Sacrorum celebrationem animæ Testatoris, suorumque salutarem minuere, ac moderari consuevit *Amostaz. de cauf. piis lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. *lib.* 2., *Ansald. dec.* 66. *num.* 28., & *Rot. coram Lancetta decis.* 867. *num.* 9.

Viden. idcircò, an reliqua legata pia, nempe distributio panis qualibet hebdomada septem designatis Conventibus Religiosorum, itemque alia distributio panis in pauperes pro quantitate duorum modior. tritici anniversariorum die facienda, ac de-

deni que octo ſubſidia dotalia quotannis danda puellis in Domino nupturis, ſingula pro modo ſuæ cujuſque quantitatis ſint minuenda, & reducenda juxta *L. Si quis teſtamento §. Apud Julianum ff. de leg. 1.*. Advertendum tamen, legatum panis ſingulis hebdomadis præſtandi ſeptem Conventibus, vix annuum ſumptum ſcutorum 3. 64. continere: aliudque legatum panis ex duobus rubris tritici levi impenſa impleri poſſe, itaut utriuſque legati reductio, vel ſuſpenſio parum levaminis Ven. Archihoſpitali ſit allatura.

Singulis itaque mature pro more perpenſis, dignentur Emi Patres reſpondere

An, & quomodo ſit locus reductioni legatorum piorum, in caſu &c.

Dilata, & firmetur ſtatus per Peritum deputandum a Domino Secretario juxta inſtructionem, & reproponatur ſub congruis dubiis.

BARCHINONEN. In ſupremis tabulis anno 1692. exaratis pius Sacerdos Franciſcus Anglada Barchinonen. Diœceſis, inſtituta hærede Anima ſua, mandavit, ut ex omnibus bonis inſtitueretur opus pium pro dotandis puellis *nella maniera, e forma, che gli Amminiſtratori, ed Eſſecutori Teſtamentarii ſcritti di ſotto diſporranno, o ordineranno, e per queſto effetto gli dò, e conferiſco largo, e baſtante potere con libera, e generale amminiſtrazione, perche fondino detta cauſa pia nel miglior modo, e maniera, che gli parerà conveniente a ſervizio di Noſtro Signore, dando, ed aſſegnando a ciaſcuna Zitella, che nomineranno quello, che a detti Amminiſtratori, o Eſſecutori Teſtamentarj parerà.* Executores verò Teſtamentarios nominavit *Sacerdotem Franciſcum Brianzò*, & *Joannem Lacoma*, iiſque defunctis, hæredes, ac ſucceſſores ejuſdem *Joannis Lacoma* in perpetuum Executores deſignavit. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Defuncto ſequenti anno 1693. Teſtatore, illicò ex aſſe illius hæreditario librarum 2500. monetæ Barchinonenſis, erectum Epiſcopi auctoritate fuit præſcriptum opus pium *pro pauperibus puellis nubendis, & collocandis tam in matrimonium ſpirituale, quam carnale ad omnimodam, & liberam diſpoſitionem, & voluntatem Adminiſtratorum dictæ piæ cauſæ eligendis, & nominandis &c. ita quod ipſi Adminiſtratores poſſint donare, & aſſignare uni ſoli domicellæ, vel pluribus ad dictum effectum omnes fructus, & reditus dictæ piæ cauſæ illius anni, in quo fuerunt nominatæ, ita videlicet, quod ſit, & eſſe debeat ad arbitrium, & liberam voluntatem dictorum Adminiſtratorum donare, & aſſignare unicuique puellæ per illos nominandæ ad dictum effectum Matrimonium contrahendi pecuniæ quantitatem eis bene-*

visam ex fructibus dictæ piæ causæ; Insuperque tum supradicto Sacerdoti Franciſco Brianzo, tum etiam Joanni Lacoma, iſtiuſque hæredibus, & ſucceſſoribus adminiſtratio fuit impertita.

Ad tramites hujuſce fundationis, dotalia ſubſidia Executorum, ſeu Adminiſtratorum arbitrio fuerunt uſque nunc diſtributa. Unicus modo cauſæ piæ Adminiſtrator, & Executor eſt *Franciſcus Lacoma dicti Joannis* ſucceſſor, & hæres; ſed fortunæ bonis omninò deſtitutus, ac gravatus ſeptem filiis, duobus videlicet maſculis, ac quinque fœminis, quarum una jam Religioni nomen dedit, altera vero proxime Monaſterium ingredi cupit. Cum vero utrique filiæ ob Patris inopiam congruum deſit, ac neceſſarium valitium, ſeu livellum, ideircò idem Franciſcus Pater modò ſupplicat, ut ex reditibus dictæ cauſæ Piæ congruum earum cuilibet vitalitium librarum 30. Barchinonenſium aſſignetur, quo decenter ad inſtar aliarum Monialium monaſticam vitam traducere queant.

Inquit ſe unicum eſſe Operis pii Patronum, ac Adminiſtratorem cum pleno arbitrio beneviſas puellas eligendi, dotiſque quantitatem pro libito diſtribuendi: Addit ſe pauperem eſſe, nullaque fortunæ bona poſſidere, ac Regio tantum ſtipendio inopiæ familiari conſulere, imparem proinde eſſe ad neceſſarium, ac congruum vitalitium filiis Monialibus præſtandum: Concludit itaque, ex æquitate ſibi ſubveniendum eſſe, ut ex reditibus operis pii neceſſariæ, ac congruæ ſuſtentationi filiarum proſpicere valeat, tenui eiſdem aſſignato annuo vitalitio librarum 30. Barchinonenſium.

Maxime quia nemini præjudicium irrogatur, cum nullum certum genus puellarum a Teſtatore prædilectum, vel vocatum fuerit, ſed ex mero ſui arbitrio dotes ſint diſtribuendæ. Advertit præterea non agi de perpetua præſtatione in præjudicium operis pii, ſed tantum de præſtatione ad vitam Monialium, itaut nulla derogatio, ſed tantum brevis ſuſpenſio dotalium ſubſidiorum ſit demandanda, ut Puellis de familia prædilecta auxilium præſtari valeat. Ac demum obſervat, quod detracto etiam vitalitio, reliqua adhuc ſupereſt ſumma aliis puellis juxta legem fundationis elargienda.

Vicarius Generalis Barchinonen. votis Oratoris maxime annuit: præcipue vero de ejuſdem paupertate inquit = *Oratorem nulla bona immobilia, neque aliquot reditus habere, ſed tantum Regium ſtipendium, nempè libr. 50. monetæ Barchinon. ſingulis menſibus, quæ ſcuta Romana 28. 60. conſtituunt, quod ſatis limitatum eſt pro manutenendis ſeptem filiis, duobus maſculis, & quinque fœminis, ex quibus una jam Monialis extat Profeſſa.*

Itemque quoad quantitatem largiendi vitalitii ait = *quæ ſum-*

summa inſpectis rerum omnium circumſtantiis ad vitalitium requiratur, & neceſſaria eſſe poterit? Videtur, quod ſumma librarum 30. *monetæ Barchinonen., quæ efficiunt ſcuta* 17. 10., *eſt ſufficiens, & moderata ad enarratum vitalitium conſtituendum.*

Duo in facto conſtant, alterum quod Franciſcus Orator unicus eſt Adminiſtrator, & Patronus operis pii cum pleno arbitrio puellas eligendi, ac dotis quantitatem ſibi beneviſam diſtribuendi: alterum verò, quod idem Franciſcus nulla fortunæ bona poſſidet, & inſpecto filiorum numero, pauper revera dici poteſt, itaut congruum nequeat Monialibus filiabus vitalitium ſubminiſtrare. Ponderandum igitur, an æquitas ſuadeat, ut ex reditibus operis pii filiarum neceſſitatibus proſpiciatur.

Patrono Pauperi debita eſſe alimenta, patet ex Textu *in cap. nobis de Jurepatron.* Jus verò conſequendi alimenta, quod Patrono competit, ex Sacrorum Canonum benignitate protrahitur etiam ad hæredes quantumvis extraneos, in quos Patronatus devenerit, ut pluries dixit *Rota*, & ſignanter in *Salernitana Alimentorum* 11. *Januarii*, & 20. *Junii* 1712. *coram Scotto*.

Perpendendum hinc, an neceſſitas verè urgeat, ut Oratoris filiæ congruo vitalitio non deſtituantur, cujus ope liberius, nulliſque diſtractæ curis Deo ſervire valeant. Dijudicent EE. PP., an æquitati, ac charitati modo indulgendum ſit favore iſtarum puellarum ex prædilecta familia, dum quæritur

An, & quomodo petitis ſit annuendum, in caſu &c.

Negative.

CONSTANTIEN. DECIMARUM. Conradus II. jam Epiſcopus Conſtantien., ſimulque Parochus, ac Decimator univerſalis totius Diœceſis, liberaliter anno 1225. in Capitulum ſuæ Cathedralis tranſtulit jus Decimarum, præſertim quoad bona, & Agros poſitos intra fines Parochiæ *Seefeldenſis*; Immo Parochiam ipſam plene, ac ſubjective eidem Capitulo univit, & hanc unionem ſan. mem. Gregorius IX. confirmavit. Verùm contendente Monaſterio Salemitano Ordinis Ciſtercienſis, Decimas nonnullorum ſaltem prædiorum, integre ad ipſum ratione Juriſpatronatus pertinere, hinc ad amputandas controverſias inita anno 1227. ſolemnis tranſactio ſtatuit, ut ſi quæ novæ Grangiæ in Parochia Seefeldenſi erigerentur, vel in Grangiis jam exiſtentibus Aratra augerentur, ex nova cultura, abſque ulla contradictione, ſolverentur decimæ Capitulo Cathedralis. *Sefs. 21. cap. 12 de Reform.*

Cum tamen Monaſterium Salemitanum nonnulla prætexens nova privilegia Ordini Ciſtercienſium competentia, pactam decimarum ſolutionem denegare cæpiſſet, ad omnes idcirco recidendas contentiones, nova anno 1581. ſtipulata tranſactio fuit, qua ſtatutum extitit, ut decimæ tam in novalibus uſque tunc factis, quam ex aliis in poſterum faciendis intra ditionem Monaſterii Salemitani, ipſum inter, & CapitulumConſtantienſe, æqua ratione dividerentur.

Verumtamen hiſce non obſtantibus pactis, & conventionibus, recenti tempore Abbas Salemitanus duas ſibi adſcribens decimarum partes ex ſuo Feudo Nuſdorff, intra limites Parochiæ Seefeldenſis ſito, tertiam tantum Capitulo tradi juſſit. Hac novitate percitum Capitulum graviter primum conqueſtum fuit apud Epiſcopum, exactiſque deinde viginti circiter annis ſub ſpe amicabilis concordiæ, cum hæc tandem in irritum ceſſerit, confugit ad S. hanc Congregationem, ut ſuper prædicta Decimarum ſolutione ſuam proferret ſententiam.

Ex parte itaque Capituli pro certo ſtatuitur, Parochialem Eccleſiam Seefeldenſem, cum omnibus bonis, & juribus decimariis anno 1225. ſibi fuiſſe a Conrado II. tunc temporis Epiſcopo Conſtantienſi ſubjectivè unitam, approbante Pontifice Gregorio IX.: Idque pleniſſime evinci ex geminis Tranſactionibus ſuper iiſdem juribus decimariis a Monaſterio initis cum Capitulo, & Canonicis, quos Monaſterium Parochos Eccleſiæ Seefeldenſis agnovit. Hinc infert, Capitulo, & Canonicis jus reale competere exigendi prædiales decimas ex omnibus frugibus, quæ colliguntur in agris intra illius Parochiæ limites exiſtentibus *Cap. Ex multiplici*, *Cap. Cum contingat*, & *Cap. Cum ſua de Decimis*. Et hoc ipſum locum habere, ſive prædia decimis ſubjecta culta jam fuerint, ſive nuper effecta novalia, propterea quod Decimator univerſalis jus habet reale ſuper ipſo potiſſimum fundo, tanquam cauſa eorumdem fructuum productiva *Cap. Commiſſum*, & *Cap. in Tua* 30. *de Decimis*, *Fagnan. in citat. Cap. Cum Contingat de decimis*, *Rot. in Sabinen. Decimarum* 5. *Iunii* 1741. §. 42. *coram Peralta*. Idque etiam in unaquaque Tranſactione fuiſſe conſtitutum.

Contendit præterea, prædia, de quibus agitur, in *Nuſdorff* & in *Burnau*, eſſe revera novalia, ut depoſuerunt annoſi Teſtes Salemitani, incolæ Oppidi Nuſdorff, maximè experti, & de utriuſque partis conſenſu ſolemniter rogati. Perperamque opponi, prædia hujuſmodi etiam ante Tranſactionem culta, & frugifera extitiſſe, cum teſtes aſſeuerint, nullam vetuſtæ culturæ habuiſſe memoriam, quin immò Arbores plures expoſt excreviſſe, quæ nonniſi diuturno temporis ſpatio ſolent ad culmen pervenire, undè concludit, eadem prædia verè, & propriè inter Novalia recen-

censeri, *Cap. Quid novale de verb. significat.*, *Piring. tit.* 30. *sect.* 1. §. 3., *Pignatell. consultat. canon.* 358. *num.* 1. *tom.* 1.

Negat autem possessionem Monasterii percipiendi duas ex tribus Decimarum partibus, etiam postquam prædia effecta sunt Novalia, cum omnes Testes, si unus excipiatur annorum 88. dementatus, & repuerascens, initium novæ culturæ bonorum, tam in *Nusdorff*, quam in *Burnau* desumpserint a viginti circiter, & amplius annis; atque insuper ratio quoque habenda sit temporis, quo antiquæ Arbores evelli debuerunt, ut tellus Aratro subijceretur. Rejicienda idcircò assertam præscriptionem, quum tempus habile ad eam inducendam non intercesserit; Immò si in calculo habeatur tempus huic Liti proximum, quo Capitulum inani transactionis spe delusum remanlit, nullum ad præscribendum tempus interfuisse affirmat. Actus verò omnes a Monasterio gestos in fraudem transactionum, quique controversiæ causam dederunt, tanquam violentos, & attentatos posthabendos sustinet *L.* 1. §. *final. ff. uti possidetis*, *Rot. in Toletana Decimarum super minutentione* 19. *Februarii* 1734. §. 9. *coram Millino*, & *in Sabinen. Decimarum* 5. *Junii* 1741. §. 9. *coram Peralta*.

Advertit etiam jus percipiendi decimas præscribi non posse, nisi ex *immemorabili*, vel ex *quadragenaria cum titulo*, immò cum certa scientia, & patientia unius partis, & bona fide alterius, *Fagnan. in cap. Nuper de Decimis num.* 37., *Bohemer. in Decretal. lib.* 3. *tit.* 30. *num.* 53., *Rot. coram Molin. dec.* 299. *num.* 10., & *in Salamantina Decimarum* 24. *Februarii* 1757. §. 5., & 8. *Maji ejusdem anni* §. 4. *coram Frangipane*. Utrumque autem in præsenti casu deesse, quia Capitulum singulis annis dimidiam Decimarum partem per suum Collectorem flagitavit; Monasterium verò ignorare non poterat Transactiones, præsertim illam anni 1581., de qua fuit semper a Capitulo monitum, dum pro solutione decimarum illius vigore instetit.

Perperamque a Monasterio adduci posse existimat amplissima privilegia, quibus Cistercienses Ordo a Summis Pontificibus donatus fuit, quia privilegia omnia, & illud quoque non solvendi decimas, cessare affirmat, quoties Ecclesias Parochiales enormiter lædunt *Pignatell. consultat. canon.* 8. *num.* 13. *tom.* 8., *Suarez. de Relig. lib.* 1. *tit. de Divini cultus neces. cap.* 20., *Petra ad Constitut.* 8. *Martini V. tom.* 4. *num.* 8. Observat insuper Cistercienses Ordinem, virtute corumdem privilegiorum, gaudere ad summum posse exemptione a solutione Decimarum ex agris suis, quos propriis manibus, aut sumptibus colunt, ut ex *Cap. Ad audientiam de Decimis*, secus vero pro aliis bonis, cum post Concilium Lateranense omnis sublata fuerit Immunitas, ne Parochorum jura everterentur *Cap. Nuper de Decimis*.

Præ-

Prædia verò, de quibus Capitulum decimas expoſcit, nec eſſe propria Monaſterii, nec propriis Monachorum manibus coli, ſed aliis ad colendum tradi; proindeque ſolutioni Decimarum obnoxia remanſiſſe *Cap. Licet de Decimis*, *Piringh. lib.3. tit.30. ſect.3. num.67.*, *Rota in Corduben. Decimarum 25. Junii 1751. §.16. coram Molino*. Cæterum concludit, quamlibet ſublatam fuiſſe quæſtionem ex Tranſactione anni 1581, qua privilegiis omnibus, ſi quæ adeſſent, Monaſterium renunciaſſe cenſetur, cum privilegia, quæcumque ea ſint, privatorum conventionibus nequeant derogare *Cap. Ex multiplici de Decimis*, *Lotter. de re benefic. qu.34. num.11. lib.2.*, *Rot. dec.408. n.4. cor. Celſo.*

Nec dubitari poſſe affirmat de Capituli, aut Monaſterii facultate ineundæ Tranſactionis, tum quia illa plenè deſumitur ex *Cap. Dilecti*, *Cap. Suggeſtum*, *& Cap. Nuper de Decimis*; tum etiam quia Epiſcopi Conſtantienſis aſſenſus acceſſit, etſi nulla fuiſſet opus Superioris licentia, aut approbatione in actu geſto probono pacis, & ad amputandas contentiones, *Rot. in Legionen. Decimarum inter impreſſas poſt Nicoli. ad Monet. de decimis dec.26. num.3.*. Denique ineptum eſſe dicit obtrudere defectum vel facultatum, vel conſenſus Ordinarii, vel Beneplaciti Apoſtolici poſt lapſum duorum ferè ſæculorum, quando minori etiam temporis intervallo, omnia legitimè interceſſiſſe præſumantur, *Gratian. diſceptat. Forenſ. cap.867. num.5.*, *Rot. in Tyraſonen. Decimarum 9. Maji 1755. §.16.*, *& 9. Februarii 1756. §.15 cor. Stadion.*

Ex parte Monaſterii Salemitani nihil hactenus datum eſt, quamvis ſemel, iterum, ac tertio monitum fuerit ad edenda jura ſua. Extat tamen Epiſtola Reverendiſſimi Abbatis ad ſuum in Urbe negociorum geſtorem ſcripta, quæ duò potiſſimum continet. Primum ſcilicet, quod Prædia, ſeu Agri recenter exculti non ſint propriè novales, vel ad ſummum pauca tantummodo terræ jugera, ex quibus Capitulum decimas percipere valet, novalium nomine appellari poſſe: Capitulum verò integras ex aliis novalibus exigere Decimas, quas cum Monaſterio dividere deberet. Alterum verò, quod vigore Tranſactionis anni 1227. Monaſterium decimas Capitulo rependere teneatur ſolum in caſu, quo novæ Grangiæ erigerentur, vel Aratra in Grangiis jam extantibus augerentur. Neutrum verò contigiſſe, ait, in Parochia Seefeld. His tamen, aliiſque reſpondet Capitulum in Memoriali additionali, quod EE.VV. circumfertur.

Judicium præcipuè pendet a Tranſactionibus inter Capitulum, & Monaſterium Salemitanum initis. In priori Tranſactione anni 1227. hæc leguntur = *Novas verò Grangias ſi in Parochia de Seefelden erexerimus, vel ſi in ſingulis jam habitis Aratrum auxerimus, de nova hac cultura ſæpedictis Canonicis decimas ſine omni contradictione ſolvemus* = In poſteriori verò anni 1581. convenerunt, *quod in futurum Decimæ non tantum*

ex

ex modo dictis tribus neofactis Vineis, & quinque jugeris Agrorum in ſpecificatis locis Parochiæ Seefelden ſitorum; verum etiam ex omnibus novalibus, quæ in ſæpe nominata Parochia intra, & extra ditionem Monaſterii Salemitani in ejuſdem, vel aliorum Dominorum, & hominum propriis prædiis, & fundis amodo facta ſunt, & etiam ex illis novalibus, quæ futuris perpetuis temporibus intra ſæpedicti Monaſterii Salemitani ditionem, ſive in ſuis Monaſterlis propriis, ſive ad alios Dominos, vel homines pertinentibus fundis, & terris aptando eas in Agros, Prata, vel Vineas fierent, ſingulis annis, quando fructus colliguntur, inter ambas partes æquis portionibus dividi debeant; ita ut una dimidietas Decimarum novalium Monaſterio Salemitano, altera verò Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Conſtantienſis obveniat: Quæ verò futuris temporibus in ſæpedicta Parochia Seefelden intra fines ditionis Salemitanæ in Monaſterii propriis, vel ad alios pertinentibus fundis Novalia fient, de his Monaſterio Salemitano dimidietas Decimarum tantum ex Bonis Monaſterio propriis competat, ex aliis bonis Monaſterio non propriis integræ Decimæ ad Reverendiſſimum Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Conſtantien. privativè pertineant.

Inquirendum itaque, an prædia, quæ culturæ tradita dicuntur verè, ac propriè novalia poſſint appellari. Innocentius III. *in Cap. Quid novale 21. de verb. ſignif.* dixit, *ut Novale Prædeceſſores noſtri intellexerint Agrum de novo ad Culturam redactum, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuiſſet.* Idemque notat *Gloſſa ibid. verbo de novo. Terra, ex quo de novo redacta eſt ad culturam, de quo non extat memoria, quod culta fuerit, ſemper erit Novale, quantum ad jus Decimarum, ex quo ſemel fuit Novale.* His ergo poſitis perpendendæ ſerio ſunt depoſitiones Teſtium, qui etſi extrajudicialiter, de conſenſu tamen utriuſque Partis fuerunt rogati, ut inde eruatur, an prædia, de quibus agitur, novalia dici poſſint.

Obſervandum denique, an Decimarum ſolutioni obſtet Privilegium aliquod a Summis Pontificibus Ciſtercienſium Ordini conceſſum. Primum immunitatis privilegium eidem Ordini tributum novimus ab Adriano IV. *in cap. Quod multiplici de Decimis*, ubi Pontifex hæc habet = *Abbas illius loci* (nempè de Brueria) *ad præſentiam noſtram accedens a nobis privilegium obtinuit, in quo Monaſterio ſuo indultum eſt, ut de laboribus, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolit, nulli decimas ſolvere teneatur.* Et hoc privilegium confirmavit poſtea Alexander III. *Cap. Ex parte eod. tit.* ibi = *Sané tuam nolumus latere prudentiam, quod ſan. mem. Prædeceſſores noſtri ferè omnibus Religioſis decimas laborum ſuorum conceſſerant; ſed Prædeceſſor Noſter Hadrianus ſolis Fratribus Ciſtercienſis Ordinis, & Templariis, & Hoſpitalariis decimas laborum ſuorum quos propriis manibus, vel ſumptibus colunt, indulſit: Cæteris, verò ut de novalibus ſuis, quæ propriis manibus, & ſumptibus excolunt, & de nutrimentis Animalium ſuorum, & de hortis ſuis, decimas non perſolvant, quem ſumus ſuper his imitati: Quare ij, quibus*

hoc

hoc indultum eſt hac occaſione decimas de aliis rebus Eccleſiæ ſuæ non poſſunt ſubtrahere, vel ſibi aliquid ulterius vindicare.

Cum tamen nonnulli Parochi poſtea contenderent, privilegium hujuſmodi de prædiis tantum novalibus fore intelligendum, idcircò laudatus Pontifex Alexander III., cui querelæ hac ſuper re delatæ fuerant *Cap. Ad audientiam eod. tit.* hunc in modum reſpondit = *Ad audientiam noſtram noveritis perveniſſe, quod quidem veſtrum a Fratribus Ciſtercienſis Ordinis de laboribus, quos propriis manibus, & ſumptibus excolunt, exigere conantur, illud privilegii Capitulum . . . . prava interpretatione prævertentes . . . . Aſſerunt enim, quod pro laboribus novalia intelligi debent . . . . Unde quoniam Fratres præſcripti Ordinis benignitate Apoſtolica fovere volumus ... præcipimus, quatenus a prædictis Fratribus de laboribus ſuis, quas propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, nullatenus Decimas exigatis .... Nam ſi de novalibus tantum intelligeremus, ubi ponimus de laboribus de novalibus poneremus*= Idemque præterea Pontifex declaravit, exemptionem non ſuffragari Ciſtercienſibus, quoad prædia, quæ aliis locata fuiſſent, ut ex *Cap. Licet eod. tit.*, ibi = *Licet de benignitate Sedis Apoſtolicæ ſit Vobis indultum, ut de laboribus veſtris, quos propriis manibus, vel ſumptibus colitis, nemini decimas ſolvere teneamini; propter hoc tamen non eſt vobis licitum cuilibet de terris veſtris ſubtrahere, quas traditis aliis excolendas.*

Verùm progreſſu temporis adauctis ejuſdem Ordinis bonis, & reditibus, privilegia imminui cæperunt. Id factum novimus ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi IV. *Cap. Nuper de Decimis*, cujus hæc ſunt verba = *Nuper Abbates Ciſtercienſis Ordinis in Generali Capitulo congregati ad commonitionem noſtram providè ſtatuerunt, ne de cætero Fratres ipſius Ordinis emant poſſeſſiones, de quibus decimæ debeantur Eccleſiis... Et ſi tales poſſeſſiones eis fuerint pia Fidelium devotione collatæ, aut emptæ pro Monaſteriis de novo fundatis, committantur aliis excolendæ, a quibus Eccleſiis decimæ perſolvantur. Ne occaſione privilegiorum ſuorum Eccleſiæ ulterius prægraventur, decernimus, ut de alienis Terris, & amodo acquirendis, etſi eas propriis manibus, aut ſumptibus excoluerint, Decimas perſolvant Eccleſiis, quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur, niſi cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum.*

Aliæ poſtea prodierunt Romanorum Pontificum Conſtitutiones, quoad Monachos Ciſtercienſes. Honorius III. *in Conſtitutione incipien. Cum Abbates* eos exemit a ſolutione Decimarum de poſſeſſionibus habitis ante Concilium Generale Lateranenſe, ac de Novalibus tam ante, quam poſt Concilium, dummodo propriis Monachorum ſumptibus colerentur; nec non etiam de hortis, virgultis, piſcationibus ſuis, ac eorum Animalium nutrimentis, ut refert *Card. Petra ad Conſtit. 6. Honorii III. tom. 2. pag. 260.*. Acceſſit de-

deinde Conſtitutio Martini V. *Militantis Eccleſiæ* 9. Kal. Octobris 1424., in qua Pontifex Ciſtercienſium Monaſteria ubicumque exiſtentia, aut extitura exemit a præſtatione Decimarum tam de poſſeſſionibus habitis ante, & poſt Concilium, quam impoſterum habendis, & de Novalibus ante, & poſt Concilium acquiſitis, quæ propriis ſumptibus, aut alias quomodocumque excolerentur, atque etiam de poſſeſſionibus, de quibus decimæ alicui rependerentur; ac demum de hortis, virgultis, & piſcationibus, & de ſuorum Animalium nutrimentis, quemadmodum teſtatur d. *Card. Petra ad Conſtit. 8. Martini V. tom. 4. pag. 243.* Qua in re illud obſervandum occurrit, quod Pontifex mentionem fecit Decreti Generalis contenti *in cit. Cap. Nuper de Decimis*, eoque non obſtante exemptionem conceſſit Ciſtercienſibus a ſolutione Decimarum non ſolum pro bonis poſt Concilium acquiſitis, ſed etiam pro aliis impoſterum aquirendis: Ex quo arguit *cit. Card. Petra* derogatum fuiſſe prædicto *Cap. Nuper* quamvis expreſſa derogatio adhibita non fuerit.

Denique privilegia hujuſmodi confirmavit Sixtus V. Conſtitut. 34. *Pontifex Romanus*, in qua expreſſa legitur derogatio in hæc verba = *Dicti Concilii, & quibuſcumque aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis non obſtantibus.* Quæ quidem derogatio, apertam quoque præſeferre derogationem *Cap. Nuper* cenſent *Auctores* relati a *Card. Petra loc. cit. §. 6. pag. 244.*, proindeque Ciſtercienſium privilegia expreſſa derogatione eidem *Cap. Nuper* munita eſſe, pluries dixit *Rota*, & præſertim in *Vratislavien. Decimarum* 2. *Junii*, & 27. *Novembris* 1702. *coram Muto, & in Nullius, ſeu Urgellen. Primitiarum* 27. *Aprilis* 1708. *cor. Card. Aldrovando.*

Hæc tamen quamvis ita ſint, nihilominus habendæ præoculis ſunt Tranſactiones annorum 1227., & 1581., qua de re perpendendum quidquid diſponitur in *Cap. Ex multiplici de Decimis*, ubi poſtquam Monachi de Brueria Ordinis Ciſtercienſis ſolemnem inierant tranſactionem cum Villelmo Presbytero de Cretona de ſolvendis quibuſdam Decimis, deindeque Decimas hujuſmodi ſubtraxerant prætextu exemptionis ab Adriano IV. conceſſæ pro bonis, quæ propriis laboribus, aut ſumptibus Monachi excolebant, idem Pontifex requiſitus, ita reſpondit Epiſcopo Vvigorn., & Herfod. = *Quia non fuit noſtræ intentionis per privilegium noſtrum prædictæ conventioni derogare, Fraternitati Veſtræ mandamus, atque præcipimus, quatenus utraque Parte apud Vos convocata rei veritatem plenius inquiratis, & ſi inter Predeceſſorem memorati Abbatis, & prænominatum Presbyterum conſenſu Monachorum talis conventio facta fuerit, & per annum ſervata, eumdem Abbatem, & Monachos auctoritate noſtra moneatis, & diſtrictius compellatis, ut eamdem conventionem, vel compoſitionem, non obſtante privilegio, niſi* (quod non credimus) *de tranſactione ipſa in eodem privilegio contineatur,*

inviolabiliter teneant, & observent. Ex quo quidem sequitur, privilegia de non solvendis decimis, nequaquam tollere vim transactionis, nec transactione censeri derogatum, nisi expressa de illa mentio habeatur.

De privilegiis super exemptione a Decimarum præstatione Regularibus Ordinibus concessa alias actum est in Sac. Congregatione. Anno 1728. Episcopi Pampilonen., & Barbastren., eorumque Capitula, & universus Clerus Summo Pontifici supplicaverant, ut privilegia Regularibus tributa ad terminos juris reducerentur, spectata præsertim divitiarum copia, quibus Regulares exempti redundabant. Remissis precibus S. huic Congregationi, die 21. Augusti ejusdem anni propositum fuit dubium = *An sit locus reductioni privilegiorum ad terminos juris in casu &c.* = prodiitque responsum = *Affirmativè juxta modum* = *Modus autem est, quod Regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem Cap. Nuper teneantur solvere integras decimas, exceptis bonis, & rebus præscriptis in Cap. Ex parte* 10. *de Decimis*: *Quo verò ad Regulares habentes expressam derogationem d. Cap. Nuper pro omnibus bonis de præsenti possessis, teneri ad solutionem unius pro* 25.; *Pro bonis verò acquirendis in futurum, quocumque titulo, teneri ad integram Decimam, salvis tamen compositionibus, & transactionibus* = *Thesaur. resol. tom.* 4. *fol.* 213.. Et hoc rescriptum fuit a Summo Pontifice die 19. Januarii 1731. approbatum.

Expedito proindè ad tramites hujusce Resolutionis Apostolico Brevi, Judex Exequutor decrevit, ut Monasteria Ordinis Cistercienſis in utraque Diœcesi Pampilonen., & Barbastren. exempta essent a solutione Decimarum pro armentis eorum usui destinatis; Atque etiam pro Novalibus, quæ ipsorum manibus, aut sumptibus colerentur, ac demum pro hortis intra Monasterii ambitum existentibus. Reclamarunt Cistercienses, & die 14. Martii 1733. dubium proponi curarunt = *An stantibus resolutionibus a Sac. Congregatione editis, decretum Judicis Exequutoris, quoad Monasteria Ordinis Cistercienſis sit servandum?* = cui responsum fuit = *Affirmativè quoad utramque partem juxta modum, videlicet, ad instar aliorum Regularium habentium expressam derogationem Cap. Nuper de Decimis* = *Thesaur. resol. tom.6. fol.* 49.. Die autem 5. Junii 1734. aliud exhibitum fuit dubium contra Cistercienses = *An Decimæ, & Primitiæ debeantur ex bonis concessis in Emphyteusim, locationem, & ad Coloniam?* = Rescriptumque extitit = *Affirmativè, & amplius* = *Thesaur. resol. d. tom.6. fol.*285.

Hæc præcipuè animadvertenda fuerunt ad definitionem dubii.

An, & in qua summa Capitulo Cathedralis Constantien. debeantur decimæ ex Novalibus Agrorum in Nusdorff., & Burnaco Parochiæ Seefeldensis in casu &c.

Affirmative ad formam Transactionis anni 1581.

RO-

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. In Teſtamento, quod condidit anno 1768. Franciſca Ventura Romæ nata, ſed originaria Caſtri Rivi Frigidi Tyburtinæ Diœceſis, inſtituit ex aſſe hæredem Ven. Eccleſiam SS. XII. Apoſtolorum Urbis, cum onere diſtribuendi ſingulis annis in die Feſto S. Franciſci *un Suſſidio Dotale di ſcudi ſeſſanta moneta ad un oneſta Zitella Romana, o ſia Foraſtiera per farſi Monaca ſolamente . . . da pagarſi detto Suſſidio Dotale, quando ſi ſarà fatta Monaca, ed aurà fatto Profeſſione, e ſe vi foſſero Zitelle Parenti a me infraſcritta Teſtatrice, voglio, che queſte ſiano preferite a tutte le altre; e dandoſi il caſo, che una di dette Zitelle Parenti non poteſſe Monacarſi per mancanza del compimento della Dote, voglio, che poſſa, e poſſino godere detto Suſſidio Dotale qualchè altra volta*. In Codicillis verò paulo poſt exaratis Dotale Subſidium auxit ad ſummam uſque ſc. 70., & jus nominandi Puellas alternatim reliquit Parochis SS. XII. Apoſtolorum, & S. Mariæ in Aquiro, a quo prima vice nominationem expleri mandavit. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

Maria Bernardini de Caſtro Rivi Frigidi, quæ ab anno 1767. habitum ſumpſerat Religioſum in Monaſterio SS. Coſmæ, & Damiani Oppidi Taleacotii Diœceſis Marſorum, nec Profeſſionem ex Dotis defectu emittere poterat, ubi primum Teſtamentariam Franciſcæ Ventura diſpoſitionem reſcivit, inſtetit apud Parochum S. Mariæ in Aquiro, ut ad dotale Subſidium præeligeretur; Quod ipſum judicialiter etiam eidem denuntiari curavit. Cum tamen nec amicabiles requiſitiones, nec acta judicialia prodeſſe cognoverit, ſupplex adiit Sanctiſſimum, ut cauſæ cognitionem Sac. huic Congregationi remittere dignaretur. Interim verò Parochus S. Mariæ in Aquiro ad nominationem Puellæ devenit, favore Dominicæ Antoniæ Ventura; Ea re commota Maria Bernardini nominationis circumſcriptionem efflagitavit; ac de attentatis conqueſta eſt. Omnia tamen delegata fuerunt ſapienti EE. VV. judicio, quibus dubia inferius expoſita reſolvenda proponuntur.

Inquit ad primum Maria, prælationem ſibi denegari non poſſe, ut ritè, rectoque ordine procedatur, quia, ſcilicet, ubi ad Dotale Subſidium ſimpliciter vocantur Puellæ de Familia, ſeu conſanguineæ, ea omnibus præferri debeat, quæ prompto, urgentique indiget Auxilio; Nec majoris conſanguinitatis ratio habenda ſit, niſi in caſu æqualis indigentiæ, & ubi Subſidium de proximo haberi nequit *Card. de Luc. de Dote diſc. 143. num. 100.*. Hinc infert prælationem ſibi competere, quia licet conſanguinitate remotior, ætate tamen major eſt, Tyrocynium in Monaſterio explevit, & ſtatim poteſt profeſſionem emittere, quam ex ſola dotis deficientia huc uſque diſtulit, & quia demum è

Monaſterio egredi cogitur, ſi Dotale Subſidium non aſſequatur.

Addit remotioris prælationem ne minimum quidem juris diſpoſitioni repugnare, cum data ſimpliciter fuerit facultas nominandi unum de Familia, atque idcircò ſatis eſſe, ut unus de Familia, etiam remotior eligatur *leg. unum ex Familia §. 1. ff. de Legat. 2.*, *Surd. conſ. 29. num. 6.*, *Fuſar. de Subſtit. quæſt. 716. num. 6.*. Et hanc dicit eſſe praxim plurium Confraternitatum, in judicio etiam quandoque comprobatam, ut teſtatur *Card. de Luc. loc. cit.*, *& de Nigris de nominat. lib. 1. quæſt. 25. num. 17.* Eidemque praxi Teſtatricem ſeſe conformaſſe, cum non proximiores, ſed conſanguineas dixerit extraneis præferendas, & idcirco omnibus conſanguineis expreſſe prælationem conceſſerit.

Advertit etiam jus ſibi jam fuiſſe quæſitum ex petitione Subſidii Dotalis tempore habili facta, tum etiam ex lite adverſus Parochum S. Mariæ in Aquiro incæpta. E converſo autem Dominicam Venturam non prius comparuiſſe, quam ipſa met die 4. Octobris, qua nominatio expleri debuit, prout deprehenditur ex relatione Eminentiſſimi Urbis Vicarii die 23. præcedentis Septembris exhibita, in qua, licet pluries audito Parocho S. Mariæ in Aquiro, nulla tamen fit mentio Dominicæ Ventura Teſtatrici proximioris.

Nec ad ſuam excludendam paupertatem, opponi poſſe, ait, Paternorum bonorum exiſtentiam, cum hæc neque in facto ſubſiſtat, neque in jure mereatur attendi. Non quidem ſubſiſtere aſſerit in facto, tum quia plura bona in Cataſtro deſcripta, & ad duas Familias Bernardini olim pro indiviſo poſſidentes pertinentia, vendita nunc ſunt, atque diſtracta, tum etiam quia exiguum, quod ſuperet Patrimonium, a debitis abſorbeatur, tum demum quia non neceſſitas naturæ, ſed congruentiæ, & honeſtatis ſpectari debeat, *Card. de Luc. de Dot. diſc. 174. ſub num. 9.*, *Rot. coram Duran. deciſ. 93. num. 9.*. Neque attendendam eſſe in jure, quia agitur de Subſidio conſanguineis prælativè relicto, nulla habita paupertatis ratione; proindeque Conſanguineis debetur, etiamsi aliunde dotari poſſint *Cravett. conſ. 35. num. 15.*, *Ciarlin. controv. 54. num. 12. lib. 1.*, *Rot. in Melevitana Legati 14. Junii 1726. cor. Aldovrando*.

Multoque minus ad excludendam aſſequendæ dotis neceſſitatem relevare, aut obligationem Stephani Bernardini, qui Dotem Monaſterio SS. Coſmæ, & Damiani ſolvere promiſit, aut Fidejuſſionem Nicolai de Rubeis, qui dictæ obligationi acceſſit, cum utraque ſimulata fuerit, vel ſaltem intricata, & pluribus litibus obnoxia. Utriuſque nullitatem ex eo ſolum deprehendi ſuſtinet, quod Stephanus ſit Filius familias, ſub patria poteſtate conſtitutus, proindeque illius obligatio, cum alia Fidejuſſoris acceſſoria,

ria irritæ habeantur ex ſtatuto Urbis *Conſtantin. ad Stat. Urb. tom. 2. annot. 45.*, cui quidem Statuto Stephanus, tanquam diſtrictualis ſubiicitur.

De ſimulatione autem obligationis ab eodem Stephano emiſſæ, dubitari non poſſe affirmat, cum ea expoſita apparenter dignoſcatur ad ſervandam formam, & ſolemnitatem a Marſorum Synodo præſcriptam in veſtitione Monialium. Et hanc ſimulationem præſumi, etiamsì nulla concurrat ſimulandi cauſa, quoties delictum non ſapiat, nec alterius præjudicium involuat, immò utilis ſit, vel ſaltem contrahentibus non pernicioſa *Gabr. conſ. 51. n. 10. lib. 2.*, *Rot. dec. 775. num. 1. coram Buratt.*, *& in Recen. deciſ. 3. num. 13. part. 19.*

Quamvis autem de ſimulatione non conſtaret, contendit nihilominus tum obligationem, tum fidejuſſionem litibus obnoxias eſſe, nec proindé prætenſiones litigioſas, ſed bona omninò libera eſſe Monaſterio aſſignanda *Rot. dec. 245. num. 1. cor. Cavaler.*, *dec. 145. num. 41.*, *& dec. 241. n. 7. cor. Duran.*, *& in Recen. dec. 233. n. 6. part. 12.*

Ad alterum verò dubium animadvertit; peculiari inhibitione interdictam fuiſſe Parocho S. Mariæ in Aquiro cujuſcumque etiam proximioris Puellæ nominationem. Circumſcribendam idcirco nominationem favore Dominicæ Ventura, & attentata purganda ſaltem per viam nullitatis *Cap. Non ſolum in fin. de appellat. in 6.*, *Lancellot. de Attent. part. 2. cap. 20.*, *Rot. dec. 430. num. 8. part. 18. Rec.*

Contra autem Dominica Ventura exhibet ſuam nominationem obtentam a Parocho S. Mariæ in Aquiro, cui ex Teſtatricis diſpoſitione nominatio competebat, proindeque jus ſibi fuiſſe quæſitum ad excluſionem Mariæ Bernardini, quæ neque electa fuit, neque nominata *Cap. Ex parte de Offic.*, *& poteſt. Jud. Deleg.*. Addit ſe eſſe de agnatione, & Teſtatrici proximiorem, utpotè quarto gradu eidem conjunctam; Mariam verò tantum de cognatione, longeque remotiorem, cum ſexto gradu ab ea diſtet. Conſtantem autem eſſe DD. Sententiam, ut ſi vocati generice fuerint agnati, aut Cognati, vocatus primo loco cenſeatur, qui gradus prerogativa, & proximioritate polleat ad *Text. in l. Peto 69. §. A Fratre ff. de Legat. 2.*, *Cuyac. tom. 4. part. 1. col. 1218.*, & paſſim Rota,

Affirmant etiam, ſe Dotali Subſidio plurimum indigere, cum fortunæ bonis ſit deſtituta; Mariam verò dotem conſequi poſſe ex paternis bonis, quorum quantitas ex publico Cataſtro eruitur. Exploratum autem eſſe in quocumque caſu præferre oportere, qui magis pauperes ſunt, majorique indigent auxilio *leg. ſi quis Cod. de Epiſc. Menoch. lib. 4. præſumpt. 125. n. 9. Rot. dec. 40. num. 12. part. 19. tom. 2. Recen.*

Ad II. dubium quod attinet, perperam de attentatis Contro-

ver-

versiam excitari dicit, cum Parochus S. Mariæ in Aquiro non ex proprio placito, sed ex dispositione Testatricis Puellam nominaverit eidem Agnatam, Proximiorem, & magna paupertate laborantem. Concludit itaque nullo modo de attentatis redargui posse, nam qui jure suo utitur, nemini facit injuriam *Leg. nullus 55. ff. de reg. jur.*, & *L. Factum 198. §. non videtur ff. eod. tit.*

Inutile est hic repetere, quæ de Subsidiorum Dotalium collatione, deque Puellarum prælatione ad eadem subsidia assequenda alias exposita sunt, & EE. PP. satis perspecta. Inspicienda præ cæteris est uniuscujusque Testatoris voluntas. In præsenti casu Testatrix dixit = *Se vi fossero Zitelle Parenti voglio, che queste siano preferite* = Videndum itaque an proximioritatis, & agnationis ratio habenda sit.

Emus Urbis Vicarius requisitus super precibus Mariæ Bernardini, postquam retulit, vera esse omnia, quæ ipsa exposuerat, & dubia dissoluit, quæ a Parocho S. Mariæ in Aquiro proposita fuerant, rem omnem remisit arbitrio EE. VV., quæ idcircò rogantur declarare.

I. *An Novitia Maria Bernardini præferenda sit Dominicæ Ventura, seù potius sustinenda sit nominatio facta a Parocho S. Mariæ in Aquiro in casu &c.*

II. *An, & de quibus attentatis constet in casu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, & amplius. Ad II. Negative, & amplius.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

TRANEN. IRREGULARITATIS. Rumor invaluit in Oppido Corati, quod obitus Petri Bullo evenerit ex ictibus cum baculo, & calcibus ei illatis a Sacerdote Matthæo Jacobetti, qui illum in propria vinea uvas auferentem invenerat. Quapropter Curia Archiepiscopalis Tranensis mandavit, ut hac de re inquireretur, factaque Cadaveris recognitione, examinatis Testibus, atque absolutis actis, totoque Processu completo, eumdem Sacerdotem irregularem declaravit, condemnavitque ad agendam per annum pœnitentiam in Religiosa Domo.

Paruit ægro animo huic Sententiæ Sacerdos Jacobetti, præmissa tamen suorum jurium præservatione. Deindè verò absoluto pœnitentiæ tempore, dispensationem ab irregularitate postulavit, propositoque die 26. Martii elapsi anni 1768. Sac. huic Congregationi dubio = *An sit locus dispensationi ab Irregularitate in casu &c.* = rescriptum fuit *Negativè* = Præstat resumere folium illius diei, in quo fusius recensentur rationes ab Oratore adductæ, ut se ab omni culpa immunem esse ostenderet.

Ite-

Iterum verò relatis precibus inter ſupplices libellos in Congregatione diei 16. Septembris proximi præteriti, nulla capta tunc fuit reſolutio, ſed diviſis in æquas partes EE. PP. Suffragiis, reſcriptum fuit = *Iterum proponatur*. Pro tertia vice ſupplicat nunc Sacerdos, ne diutius ab Altaris Miniſterio arceatur. Perpenſis itaque circumſtantiis, dijudicent EE. PP. an æquitas ſuadeat, ut illius vota exaudiantur, dum proponitur.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 26. Martii 1768. in caſu &c.

Prævio receſſu a deciſis, eſſe locum diſpenſationi ab Irregularitate.

TOLENTINA CANONICATUS. Erigi juſſit pia Mulier Victoria Carboni in Cathedrali Eccleſia Tolentini Præbendam Canonicalem *di ragione, e juſpadronato Laicale della Famiglia Sparaciari di detta Città, con peſo perpetuo di trè Meſſe per ciaſcheduna Settimana per l'Anima di eſſa Signore Teſtatrice*. Ad hanc Præbendam ipſa primùm nominavit Clericum Joannem Cæſarem Sparaciari fratrem ſuum conſobrinum, dummodò tamen intra annum a die ſui obitus computandum ad Sacerdotium aſcenderet, ſin minus alius idoneus ab hærede eligeretur. Patronatum verò activum deinceps reliquit *alli Signori Giuſeppe Sparaciari ſuo Fratello Conſobrino, e diſcendenti in infinito della Linea Maſcolina, e in difetto di quella, della linea feminina in infinito, ed il maggior d'età ſia ſempre preferito*. Deficiente autem utraque Deſcendentium linea, proximiores vocavit ex eadem Familia; ac denique Conſilium Civitatis, ad quod poſtremo loco jus præſentandi devolui præcepit. Patronos tamen omnes rogavit, ut quoties Canonicatus vacare contingeret, ad nominationem quam citiſſimè devenirent, *acciò non ſi ritardino gl'ajuti, e ſuffragj per l'Anima di eſſa Signora Teſtatrice*. *Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.*

Defuncto Joanne Cæſare a Teſtatrice nominato, vacavit Canonicatus anno 1685., quo tempore Petrus Auguſtinus Sparaciari illius hæres beneficiatus præſentavit Clericum Joannem Philippum Taccium. In altera vacatione, quæ accidit anno 1724., tres Filii Joſephi Sparaciari, nempe Canonicus Franciſcus, Petrus Auguſtinus, & Cajetanus nominarunt Nicolaum Sparaciari. Nuper autem vacato iterum Canonicatu, Nicolaus Sparaciari, tanquam de hac Familia natu major, nominationem contulit favore Clerici Cæſaris Sparaciari, vigeſimum annum agentis, qui preces obtulit SSmo pro ætatis venia, ſuamque hac de re ſupplicationem ſignari curavit. Verum Sacerdos Philippus

pus Sonni, obtenta nominatione a Cajetano dicti Nicolai Fratre, provisionem Apostolicam cum derogatione medietatis vocum etflagitavit. Emus Pro-Datarius utrumque remisit ad Sac. hanc Congregationem, ut perpensis juribus ab unoquoque deducendis judicium proferret, quæ supplicatio esset relaxanda.

Contendit itaquè Clericus Cæsar Sparaciari, jus præsentandi ad Canonicatum unicè competere Nicolao, tanquam natu majori, idque apertè deprehendi ex testamenti litera, ubi legitur = *Ed il maggiore d'età sia sempre preferito* = Neminem proindè alium ad nominationem admitti posse *Piton. de controv. Patron. alleg. 7. num. 20., Card. de Luc. de Jurepatr. disc. 31. num. 12.* Nec ullo modo relaxandam esse contrariam supplicationem, falso, inanique innixam suppositio, quod etiam Cajetanus sit Compatronus.

Nihil obesse defectum qualitatis Sacerdotalis; cum in præcedentibus etiam vacationibus simplices Clerici nominati fuerint; Neque id abhorrere a Testatricis voluntate, quæ facultatem dedit Canonico *di celebrare, o far celebrare trè Messe per ciascuna Settimana*: Cæterum affirmat non tam rigide inquirendum de eo, qui est Fundatrici consanguineus, ac de eadem Familia Sparaciari.

Perperam verò opponi dicit ultimum statum anni 1724., quo tempore tres simul Fratres ad nominandum convenerunt, cum ultimus hic status attendi non debeat, quoties clara est lex fundationis, ad quam intervertendam nullius roboris sunt quotquot contrarii actus exhibeantur *Garz. de Benef. part. 1. cap. 2. num. 114., Piton. de controv. Patron. alleg. 11. num. 11.* Addit reliquorum Fratrum subscriptiones ex abundanti solum tunc fuisse admissas, quia scilicet nominatus extitit Nicolaus alter ex Fratribus de Sparaciaris, cujus nominationem reliqui omnes maximè gratam habuerunt. Per hoc tamen nihil fuisse detractum prælationi debitæ majori natu, præsertim quia adjecta fuit expressa jurium reservatio, his verbis = *E ciò senza pregiudizio delle nostre ragioni*,

Minus autem rectè opponi sustinet, prælationem majori natu eo tantum casu fuisse tributam, quo Patronatus devolutus fuisset ad lineam fœminarum descendentium a Josepho Sparaciari Observat enim utramque lineam tum masculorum, tum fœminarum collectivè, & per unicam orationem fuisse a Testatrice vocatam, deindeque addita verba = *Ed il maggiore d'età sia sempre preferito* = Infert proinde in omni casu, & in quacumque nominatione majorem natu fuisse prælectum; Inspecta præsertim dictione illa *sempre*, quæ omne tempus, omnemque futuræ vacationis casum comprehendit *Rot. decis. 711. num. 3. tom. 3. cor. Lancett., & decis. 476. num. 10. part. 19. recen.*

Contrà verò Sacerdos Philippus Sonni contendit, ultimum sta-

ſtatum anni 1724. eſſe tantummodo attendendum, rejectis ad congruum petitorium judicium exceptionibus, quæ altiorem indaginem requirant ad *Text. in Cap. Conſultationibus de Jurepatron.*, & *in Cap. Querelam de elect.*, *Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg.*71. *num.*40., *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæſt.*14. *num.* 1.. Maxime quia Cajetanus Sparaciari, qui hodie reijci vellet, qua Compatronus, in ultima vacatione fuit cum aliis Fratribus ad præſentandum admiſſus; Et Canonicus Nicolaus, qui tanquam natu major prælationem hodie ſibi vindicat, nominationem ſui favore tunc factam ab aliis Fratribus acceptavit. Ex his arguit, Cajetanum, excludi nullo modo poſſe, nec incidenter ſua quaſi poſſeſſione privari *Gonzalez. ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.*45. §. 2. *num.*37., *Vivian. de Jurepatr. lib.* 5. *cap.*4. *num.* 36., quam quidem poſſeſſionem plurimi faciendam eſſe, ait, utpote adeptam ſcientibus, & probantibus aliis Fratribus, quorum intererat illam reiicere, ac reprobare *Lambertin. de Jurepatr. lib.*2.*part.*1. *quæſt.*3. *art.*17., *Gonzalez loc. cit.n.*3., *Rot. in Biſuntina Parochialis* 3. *Julii* 1752. §. 2. *coram Amadeo*.

Non controvertit, ultimum ſtatum non attendi, quoties ille turbidus, & ſuboſcurus dignoſcatur, vel alii anteriores clari ſint, atque perſpicui: Secus tamen, quando, prout in caſu, ultimus æque clarus ſit, ac ſunt antecedentes. Hinc de ſingulis ſtatibus ſermonem aggrediens obſervat, prima vice Teſtatricem nominaſſe Julium Cæſarem Sparaciari, deinde, cum prima vacatio accidit, ſuperſtites adhuc fuiſſe tum Petrum Auguſtinum ejuſdem Teſtatricis hæredem beneficiatum, tum etiam Joſephum Sparaciari, ab ipſa deſignatum tanquam caput, & ſtipitem eorum, quibus jus præſentandi reliquerat; ac demum in poſtrema vacatione, nominationem a tribus Fratribus fuiſſe expletam. His ergo poſitis concludit, ultimum ſtatum eſſe tantummodò attendendum, donec pertinentia patronalis in congruo petitorio judicio alteri adjudicetur, *Barboſ. in d. cap. Conſultationibus num.6. de jurepatr.*, *Fargna de jurepatr. part.*2.*caſ.* 1. *num.*13.

Advertit ulterius, ab ultimo ſtatu tunc etiam recedi, quando cauſa poſſeſſionis a petitorio abſorbeatur, quod quidem non verificatur, niſi de pertinentia patronali conſtiterit vel per rem judicatam, vel per confeſſionem Partis, vel per legem fundationis adeo claram, atque perſpicuam, ut nullam patiatur exceptionem *Abbas in d. Cap. Conſultationibus num.*9. *de Jurepatr.*, *Rot. in Compoſtellana Parochialis ſuper inſtitutione* 20. *Januarii* 1740. §. *fin. cor. Nunez*, & *in Majoricen. Beneficii* 24. *Januarii* 1749. §. 5. *cor. Millino*.

Tantum verò abeſſe, ut lex fundationis faveat majori natu ut immò alios quoque Fratres apertiſſimè comprehendere ex eo dignoſcatur, quod Teſtatrix indefinitè vocaverit

tum Familiam, tum Descendentes in infinitum, quæ quidem indefinita vocatio ad unum tantummodò coerceri nequit, sed tanquam collectiva plurium personarum ejusdem gradus, singulos ex æquo complectitur, qui juxta ordinem successionis in eodem gradu reperiuntur per *Text. in Authen. de hæred. ab intest. venien.* §. *Si quis igitur*, *Leg. cognoscere* 36., *ubi gloss. verb. Descendentes*, *Rot. dec.* 27. *de Jurepatr. n.* 5. *cor. Falconer.*

Addit, nihil obesse verba illa = *Ed il maggior d'età sia sempre preferito* = cum ea apposita solum fuerint in posteriori substitutione, quando scilicet Testatrix progressa est ad Descendentes ex linea fœminina. Exploratum verò esse, quod nova qualitas, nova conditio, vel novum gravamen in una substitutione expressum, non afficiat personas in priori substitutione comprehensas, *Bartol. in l. Scia* §. *Cajo ff. de fund. instr.*, *Dec. cons.* 205. *num.* 7., *Rot. coram Emerix jun. decis.* 841. *num.* 5. Præsertim ubi concurrat tum generis, ac personarum diversitas, tum etiam majoris dilectionis causa, *Rot. coram Lancett. dec.* 1118. *num.* 7., & 8., *cor. Caprar. decis.* 479. *num.* 7., & 10., & *cor. Falconer. de Primog. decis.* 6. *num.* 13. Utrumque verò in præsenti casu concurrere affirmat, quia Testatrix prædilexit descendentes ex linea masculina, quos primo loco vocavit; majoremque de istis fiduciam habere potuit, quam de descendentibus ex linea fœminina.

Observat insuper in beneficiis, quæ sunt jurispatronatus, prælationi locum esse, quando res est cum præsentatis, quos inter ætate major, ceteris paribus aliis præfertur *Cap. Statuimus de major.*, & *obed.*, *Fargna de jurepatr. part.* 12. *Can.* 29. *cas.* 6. *num.* 1., & *seqq.*; non tamen inter Patronos, quia jus præsentandi ætate Seniori tributum, huic competit non ratione Senioritatis, sed veluti a Fundatore unicè vocato, exemplo successionis primogenialis, ad quam vocatus qui fuerit, parem non habet, cui verè, ac proprie dicatur preferri, *Bartol. cons.* 54., *Riminald. jun. cons.* 514. *num.* 88., *Rot. cor. Molines decis.* 837. *num.* 6., & *in Recent. dec.* 284. *n.* 18. *part.* 3.

Concludit itaque, illud saltem ex his omnibus deprehendi, quod lex fundationis non sit adeo clara, atque perspicua, ut nullum dubitationi locum relinquat; proindeque donec per rem judicatam explicata non fuerit, servandum esse ultimum statum, cui per ancipites, & dubias quæstiones non derogatur *Rot. dec.* 141. *num.* 5. *cor. Emerix Jun.*, & *in Majoricen. Beneficii* 24. *Januarii* 1746. §. 7. *cor. Millino*.

Denique reijciendam dicit supplicationem Clerici Cæsaris Sparaciari ex defectu ætatis; quæ tum ex dispositione Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.*, tum ex lege fundationis requiritur, ut infra annum ad Ordinem eidem adnexum promoveri possit. Nec immorandum in asserta

illius

illius consanguinitate cum Testatrice, quæ nec probatur, nec ex sola Cognominis similitudine infertur, nec tanti ponderis est, ut etiam inhabilis preferri mereatur.

Ex *Cap. Querelam* 24. *de electione* habetur, quod electo ad aliquem gradum satis sit probare, eligentem in quasi possessione reperiri, quamvis non probet jus eligendi eidem revera competiisse: Idque ipsum ad validitatem electionis sufficere etiam in beneficiis, quæ sint Juripatronatus, ut desumitur ex *Cap. Consultationibus de Jurepatr.*, & observat *Fagnan. in d. Cap. Querelam num.* 3.

Quamvis autem Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 9. *de reformat.* contrarium statuerit, ut scilicet non sufficiat ad validitatem præsentationis, quem tanquam Patronum haberi, & in quasi possessione præsentandi reperiri, nisi de titulo, ac jure docuerit; Nihilominus hujusmodi Concilii dispositio procedit, quando controversia sit super libertate beneficii, non verò quando inter plures præsentatos quæstio oriatur super pertinentia Patronatus, cum in hoc casu Concilium nihil innovaverit, & controversiæ definitio a juris dispositione pendeat, ùt sæpius declaravit *Rot. apud Garziam part.* 5. *cap.* 5. *num.* 140., *& seqq.*, *& apud Fagnan. in citat. Cap. Consultationibus*.

His positis perpendendum est, an Cajetanus Sparaciari sit in quasi possessione præsentandi, & an in præsenti casu, ad validitatem nominationis, hæc sola sufficiat.

Inquirendum præterea, an ex lege fundationis Canonicatus, de quo agitur, Presbyteralis esse debeat. Testatrix nominavit primum Clericum Joannem Cæsarem Sparaciari, *purchè però il detto Signor Gio: Cesare in termine di un anno dal dì della morte della medesima Signora Testatrice sia fatto Sacerdote, ed in caso contrario vuole, che la detta nominazione, e presentazione si faccia in altra persona ad arbitrio dell'infrascritto suo Erede*. Rogavit deinde Patronos *a fare l'elezzione, nominazione, e presentazione a detto Canonicato . . . subito, che seguirà il caso, acciò non si ritardino gl'ajuti, e Suffragj per l'Anima di essa Signora Testatrice, la quale incarica la loro coscienza*. Ac demum addidit: *Quali Canonici pro tempore, ed in perpetuo siano tenuti, e debbano assistere al Coro &c. ed anche celebrare, o far celebrare per l'Anima di essa Testatrice &c. trè Messe per ciascheduna Settimana*.

His itaque, aliisque ad examen revocatis EE. VV. decernent.

An, & quæ supplicatio sit relaxanda in casu &c.

Non proposita, cum sequenti.

Seff. 22. Decret. de Observ., & evit. in Celebr. Miff.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. LEGATI. *Maria Sanucci* Fabriani Cives anno 1655. titulo legati teſtamento reliquit ſcuta quinquaginta Conventui Sanctiſſimæ Annuntiatæ, alia ſcuta centum Monaſterio Capuccinarum cum onere Miſſarum, paremque ſummam ſcuta 100. Conventui Patruum S. Auguſtini ejuſdem Civitatis, ut ex eorumdem fructibus perpetuo teneret lampadem accenſam ad Altare B. Andreæ Sanucci, & ex ea, quæ reliqua eſſet fructuum quantitate ceram compararet in cultum ejuſdem Beati. Legata vero prædicta præſtari mandavit ex pretio Domus ſitæ in regione S. Joannis ad Teſtatricem ſpectantis, cum lege, ut quouſque hæc invendita maneret, ejus reditus pro rata inter dictos legatarios divideretur.

Verum facta anno 1695. ejuſdem domus licitatione vix pretium haberi potuit ſcutorum 110. Eo igitur pro modo ejus quantitatis, & legatorum inter legatarios diviſo, factum eſt ut Conventui Sanctiſſimæ Annuntiatæ ſola pervenerint ſcuta 22., Monaſterio Capuccinarum ſcuta 44., reliqua vero ſimilis rata ſcutorum 44. depoſita fuerit penes quemdam Hieronymum de Corradinis Fabrianenſem, quin ulla extet memoria, num ad Patres pervenerit Conventus S. Auguſtini. Id tamen certum in facto eſt, numquam ab iiſdem Patribus onus injunctum fuiſſe impletum.

Quare Silveſter, & alii de Moſtarda mediati hæredes Teſtatricis ſummopere cupidi, ut ejus voluntas in parte, ſaltem pro modo quantitatis d. pecuniæ depoſitæ exequutioni mandetur, ſupplicant, ut inveſtimento collocatis prædictis ſcutis 44., horum fructus erogentur vel in manutentionem lampadis ardentis ante Altare B. Andreæ aliquibus tantum diebus feſtis, vel in celebrationem ſacrorum in expiationem animæ Teſtatricis.

Inquiunt, domum non demonſtrative, ſed taxative deſignatam fuiſſe in piorum legatorum ſatisfactionem: ſola idcirco ſcuta 44. debita eſſe Conventui PP. S. Auguſtini in legati implementum: Cum autem hujus tenuis ſortis fructus impares ſint omnibus implendis oneribus præſcriptis, neceſſariam proinde eſſe vel reductionem pro lampadis accenſione in ſolis diebus feſtis juxta fructuum vires, vel annuendum eſſe commutationi pro erogatione eorumdem fructuum in celebrationem Miſſarum in ſuffragium Animæ Teſtatricis.

Probant autem, dictam domum taxative fuiſſe deſignatam ex ipſa ſpeciali Domus deſtinatione in traditionem legatorum abſque ulla mentione aliorum bonorum hæreditatis, & quidem cum expreſſa lege, ut legatorum præſtatio protraheretur, donec illius fieret venditio. Hinc arguunt, ſpernendum eſſe ordinem ſcripturæ, cum clara, apertaque Teſtatricis voluntas unice præ oculis ſemper habenda ſit, omni-

omnibuſque aliis conjecturis præferenda *Card. de Luca de Legat. diſc. 66. num.8.*, *Lanfred. in reſp. legal.42. n.6.*

Religioſi Conventus S. Auguſtini Civitatis Fabriani Epiſcopo declararunt, ſe nunquam acceptaſſe, nec velle acceptare dictum legatum, cujus fructus impares ſunt oneribus implendis. Epiſcopus poſt confirmatam facti ſpeciem quomodo ſupra narrata fuit, & poſt relatam PP. Conventus repudiationem, judicio EE. VV. ſubmittit, an reductioni, aut commutationi locus ſit, vel potius coactioni hæredum ad integram ſcutorum 100. præſtationem, ſpreta qualibet pretii Domus diminutione.

Cum oneri implendo quantitas deſignata impar ſit, ac de eo minuendo, vel augenda pecunia legata agatur, communis diſtinctio eſt inter onus per contractum, & onus per ultimam voluntatem injunctum. Primo caſu onus integrè impleri debet, etsi quantitas impar ſit, vel evaſerit *Rot. in Ravenaten. Salviani 16. Febr. 1753. §. 10. coram Emo Molino*, *Sac. Congr. in Maceraten. oneris Miſſarum 15. Novembris 1687.*, *in Montis Politiani 3. Sept. 1716.*, *in Bergomen reductionis Miſſarum 10. Julii 1728.*, niſi tamen contractus manifeſtam iniquitatem contineat, quæ compellat, ut res ad æquitatem redigatur ad terminos *leg. cum quidem ff. de uſur.*

Sin vero onus non per contractum, ſed ultima voluntate injunctum eſt, altera communis invaluit diſtinctio. Nam vel quantitas *taxative* relicta eſt, & tunc onus minuitur, nec hæres cogitur ad ſupplementum *leg. ſi quis ff. de leg. 2.*: Vel demonſtrative, & tunc onus non minuitur, ſed hæres de ſuo ſupplere tenetur *leg. quidam ff. de leg. 1.*, *l. Paulo §. Julianus*, *& l. non aliter §. 1. ff. de leg. 3.*

Diſputant autem interſe Doctores circa conjecturas, & argumenta, quæ demonſtrativam, vel taxativam deſignationem evincant: paſſimque receptum eſt, legatum *taxative* cenſeri relictum, quando incipit ab aſſignatione fundi, vel quantitatis, & deinde onus ſequitur *Rot. in Romana ſupplementi*, *& Applicationis 11. Junii 1731. §. Tunc cor. Aldrovando*, *& in Romana Salviani 16. Febr. 1753. §. 8. cor. Emo Molino*: Demonſtrative vero, quando incipit ab onere, atque aſſignatio fundi, vel quantitatis adjungitur *Rot. cor. Anſald. dec. 795. num. 7.*, *& in Urbevetana Legati 3. Decemb. 1753. §. 6. cor. cl. mem. Buſſio*.

Verum hoc argumentum ex ordine ſcripturæ deſumptum penitus ceſſat, ſi contraria voluntas Teſtatoris ex tota ſcriptura appareat *Rot. in Romana Salviani 16. Febr. 1753 §. 8. cor. Emo Molino*. Tota itaque interpretatio ex Teſtatoris voluntate petenda eſt, etsi voluntas clara deſit, ex verbis ſaltem teſtamenti, vel ex variis circumſtantiis eam deſumere oportet.

Ma-

Maria Teſtatrix poſt relicta dicta pia legata, expreſſe dixit = *Dichiarando però, che gli detti legati pii, come ſopra fatti a favore delle dette Chieſe, ſi debbano pagare del prezzo della Caſa di eſſa Teſtatrice eſiſtente nel Quartiere di S. Giovanni appreſſo gli beni &c., e intanto che non ſe vende, ſi debba detta caſa darla a pigione ſubito doppo la ſua morte, ed il nolo di eſſa si debba diſtribuire ai detti Legatarj per rata, e così ordina, e vuole, che ſi eſeguiſca, con queſto però, che la detta caſa non ſi poſſa vendere ſe non con partecipazione del infraſcritto ſuo Erede, acciò vendendoſi più di detti ſcudi 250., come ſopra laſciati vadi a benefizio di eſſo ſuo Erede.*

His præ oculis habitis, inquirendum eſt, an *taxative*, vel potius *demonſtrative* dicta Domus deſignata fuerit, ita ut hæredes a ſupplenda quantitate ſint exempti. Sacra Congregatio juxta varias rerum circumſtantias, & verosimiles Teſtatorum voluntates reſponſum dedit, ut *Mediolanen. reductionis* 2. *Julii* 1718., & 1. *April.* 1719., *in Veneta Reductionis Miſſarum* 4. *Febr.* 1719., *in Ferentina Capellaniæ* 19. *Dec.* 1744., & *in Romana Legati* 15. *Decemb.* 1759., & 21. *Julii* 1764.

At ſi ſupplemento quantitatis non ſit locus, ponderandum erit, an petitæ reductioni, vel potius commutationi indulgendum ſit. Religioſi Conventus S. Auguſtini conſtanter legatum repudiant. Cumque res ſit de Teſtatrice cognominis *Sanucci*, quæ forſan peculiari devotione, ac cultu venerabatur *Beatum Andream* ejuſdem cognominis *Sanucci*, quid in præſens juri, vel æquitati magis conſonum ſit, EE. PP. decernent, quum quæritur.

An, & quomodo ſit locus diminutioni oneris, vel potius commutationi legati in caſu &c.

Die

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1769.

A

ABortus delictum graviſſimis pœnis puniendum. *pag.* 139. §. *Verum*.

Diſtinctio pœnarum abortus fœtus animati, & non animati. *Ibid.*

Abſolutio in Sacramento pœnitentiæ quid ſit. *pag.* 113. §. *Abſolutio*.

Actio pœnarum contra raptores ſpatio annorum viginti præſcribitur. *pag.* 64. §. *Demum*.

Actus ſemper præſumitur validus *pag.* 87. §. *Perperamque*.

De duobus impedimentis ad actum, etiamſi unum ſublatum fuerit, nihilominus actus exerceri non vàlet, quoties alterum ſubſiſtat. *pag.* 114. §. *Hujus*.

Unicus non ſufficit ad elidendam contrariam conſuetudinem *pag.* 122. §. *Suſtinet*.

Actus geſti in fraudem Tranſactionis, & quiliti cauſam dederunt poſthabendi ſunt *pag.* 157. §. *Negat*.

Geſti pro bono pacis non indigent approbatione *pag.* 158. §. *Nec dubitari*.

Actus Viſitationis Eccleſiarum expleri non poteſt, niſi de Epiſcopi licentia. *pag.* 122. §. *Alii*.

Adminiſtratio bonorum Confraternitatum competit tantum Confratribus, non autem Epiſcopo *pag.* 6. §. *Aſſerunt*, & *pag. ead.* §. *Hinc dubia*, *& ſeq.*

Quid hac ſuper re Sacra Congregatio definierit. *Ibid.*

Pro admiſſione alicujus in aliquam Confraternitatem non requiritur formale Scrutinium, ſed ſatis eſt, quod illi de gremio non contradicant, & admiſſioni acquieſcant *p.* 88. §. *Nihil*.

Ex adoptione cognatio inducitur *pag.* 34. §. *Affirmat*.

In Adultis requiritur voluntas, ſive intentio ſuſpiciendi Baptiſmum *pag.* 47. §. *Tandem*.

Et hujuſmodi voluntas debet eſſe perfecta, & preciſa, itaut non ſufficiat dubietas, aut indifferentia. *Ibid.*

Quamvis neceſſaria non ſit voluntas actualis, ſed ſatis ſit, quod præceſſerit, & moraliter perſeveret. *Ibid.*

Agnati, non autem Cognati veniunt nomine Familiæ. *pag.* 127. §. *Addit.*

Quando generice vocàti fuerint Agnati, & cognati, vocati primo loco cenſentur, qui gradus prærogativa, & proximioritate pollent. *pag.* 165. §. *Contra*.

Agnationem, jura, & Familiam retinent Filii adoptivi. *pag.* 34. §. *Affirmat*.

Allectio. Nec ex allectione, nec ex domicilio, nec ex privilegio acquiritur qualitas originis. *pag.* 18. §. *Nam ſi*.

Alimenta debentur Patrono pauperi. *pag.* 155. §. *Patrono*.

Hujuſmodi actio protrahitur etiam ad hæredes, quantumvis extraneos, in quos Patronatus devenerit. *Ibid.*

Ab Altaris Miniſterio non eſt arcendus Sacerdos, qui infamiam non contraxit. *pag.* 138. §. *Hinc*.

Animarum cura a nullo Sacerdote ſive ſæculari, ſive Regulati exerceri poteſt, niſi prævia Ordinarii approbatione, velconfirmatione. *pag.* 123. §. *Ulterius*.

Anteceſſoris negligentia non lædit jus Succeſſoris, eique præjudicare non poteſt. *pag.* 29. §. *Inane*, & *pag.* 122. §. *Suſtinet*.

Apoſtolicum privilegium interceſſiſſe præſumitur in actu geſto a ſæculo, & ultra. *pag.* 158. §. *Nec dubitari*.

Appellatio a judicio Epiſcopi ſuper electione facta poſt concurſum ad Dignitates, & Parochiales, nonniſi quam in devolutivo admittitur. *pag.* 106. §. *Hinc ad II.*

Applicatio. Canonici Cathedralium, & Collegiatarum tenentur quotidiè applicare Miſſam pro Benefactoribus. *pag.* 148. §. *Verum*.

Quando tamen hujuſmodi onus coerceri debeat ad dies tantum feſtos. *pag. ead.* §. *Sæpius*.

De applicatione Miſſæ pro Populo, quid S. M. Benedictus XIV. edixerit. *pag.* 30. §. *A Promothore*.

Applicationis onus an, & quando injunctum præſumatur. *pag.* 53. §. *Quamvis*, *pag.* 92. §. *Idemque*, *& ſeq.*, *pag.* 94. §. *Contra*, *& pag.* 95. §. *Scitiſſime*.

Excluditur teſtimonio Capellanorum deponentium de conſuetudine non applicandi. *pag.* 93. §. *Demum*.

Approbatione, aut licentia non indigent actus geſti pro bono pacis. *pag.* 158. §. *Nec dubitari*.

Approbationem Ordinarii ſollicite requiſivit Concilium Tridentinum in eo, qui Sacramentales Confeſſiones exciperet *pag.* 111. §. *Et primo*.

Archidiaconus immediate ſubeſt Epiſcopo *pag.* 120. §. *Hinc*, & *pag. ead.* §. *Contendit*.

Maxime ſi adnexam habeat curam Animarum. *Ibid.*

Cujus exercitium tunc ſuſcipit, quando ab Epiſcopo inſtituitur, vel confirmatur, *Ibid.*

Ejus juriſdictio directè provenit ab Epiſcopo illum inſtituente, vel confirmante *pag. ead.* §. *His*.

Eamque exercet, tanquam Epiſcopi Vicarius. *pag. ead.* §. *Dubitari*.

Et illius munus eo ſpectat, ut Epiſcopus ſublevetur. *Ibid.*

Oculus Epiſcopi nuncupatur *Ibid.*

Plures actus exercere non poteſt abſque Epiſcopi licentia. *Ibid.*

Et ſine hujuſmodi licentia nullum jus habet exercendi adminiſtrationem, ne ſub ſpecie quidem OEconomatus. *pag. ead.* §. *Contendit*.

Multo minus peragere valet Diœceſis viſitationem. *pag. ead.* §. *His*.

De Archidiaconis, aliiſque quibus jus eſt viſitandi Eccleſias Diœceſis, quid Concilium Tridentinum ſtatuerit. *pag.* 122. §. *Concilium*.

Attentata ex bono jure profus evaneſcunt *pag.* 106. §. *Hinc ad II.*, & *pag.* 131. §. *Expenſa*.

Auctoritas Ordinarii interceſſiſſe præſumitur in erectione Oratorii publici. *pag.* 24. §. *Nec etiam*.

Quod ipſum præſumitur etiam ex ſilentio Epiſcopi, & iteratis Viſitationibus. *Ibid.*

Augumentum redituum non inducit onus applicationis. *pag.* 92. §. *Momenti*.

B

BAptiſmi collatio probatur etiam per unicum Teſtem, præcipue ſi de facto proprio deponat, nec quidquam ſit, quod ejus dicti fidem imminuat. *pag.* 45. §. *Quamvis*, & *ſeq.*

Ad illius ſubſtantiam ſufficit qualiſcumque ablutio perſonæ baptizandæ, ſive ea immerſione fiat, ſive infuſione, ſive aſperſione. *pag.* 46. §. *Hæc ſunt*.

Baptiſmi forma conditionata, quando cœpit uſurpari. *pag.* 44. §. *Baptiſmi*.

Ut hæc forma adhibeatur non ſufficit quævis dubitatio, ſed concurrat oportet dubitatio prudens, atque probabilis. *pag. ead.* §. *Verum*.

Id expreſſe præcipitur in Catechiſmo Romano. *Ibid.*

Et ſtatuit etiam Divus Carolus in ſuis Inſtitutionibus Act. Eccleſ. Mediolan. *Ibid.*

Nec non ſtatutum quoque reperitur in pluribus Synodis. *Ibid.*

Hinc vituperabilis eſt conſuetudo iterum ob levem aliquam dubietatem baptizandi Infantes ab Obſtetricibus ſemel baptizatos *pag.* 45. §. *Hinc*.

Eamdemq; conſuetudinem damnat etiam S. M. Benedictus XIV. in opere de Synod Diœceſ. *Ibid.*

Beneficium loco Patrimonii ſubrogari non poteſt, niſi de expreſſa Epiſcopi licentia. *pag.* 129. §. *Nec*.

Beneficia Eccleſiaſtica dignoribus ſunt conferenda. *pag.* 106. §. *Beneficia*.

In Beneficiis de jurepatronatus ultimus Status attenditur, rejectis in congruum judicium exceptionibus altiorem indaginem requirentibus. *pag.* 168. *Contra*, & *pag.* 170. §. *Concludit*.

Beneplacitum Apoſtolicum præſumitur in actu geſto a ſæculo, & ultra. *pag.* 158. §. *Nec dubitari*.

Bona Sodalitatis a Confratribus tantum, non vero ab Epiſcopo debent adminiſtrari. *pag.* 6. §. *Aſſerunt*, & §. *Circa dubia*, & *ſeq.*

C

CAnonici Cathedralium, & Collegiatarum tenentur quotidiè applicare Miſſam pro Benefactoribus. *pag.* 148. §. *Verum*.

Quando tamen hujuſmodi onus coerceri debeat ad dies tantum feſtos. *pag. ead.* §. *Sæpius*.

Canoniſtis potius, quam Moraliſtis, & Scholaſticis deferendum eſt, dum agitur de SS. Canonum interpretatione. *pag.* 112. §. *Addit*.

Capitula convocanda ſunt prævia monitione per diem ante facienda. *pag.* 90. §. *Si quæ*.

Non tamen neceſſe eſt in ipſa monitione res pertractandas exponere. *Ibid.*

Cæterum ſervari in hoc debent Capitulorum Statuta, & conſuetudines. *pag. ead.* §. *Monet*.

Capellanorum teſtimonio deponentium de conſuetudine non applicandi Miſſas, plurimum deferri debet. *pag.* 93. §. *Demum*.

Capellano Majori Exercituum, an, & quando ſubſint Milites. *pag.* 70. §. *Verum*, & *ſeq.*

Expenditur Breve S. M. Benedicti XIV. *Ibid.*

Cappuccini incapaces ſunt exercendi officium Executorum ultimarum voluntatum. *pag.* 37. §. *Contra*.

Ideoque incapaces ſunt nominandi ad Capellanias, aliaque ſimilia jura acquirendi. *Ibid.*

Cappuccinorum peculiari ſtatuto revocato, S. M.

S. M. Benedictus XIV. facultatem tribuit iisdem Religiosis, vel iter habentibus, vel manentibus in loco, ubi nullus sit eorum Conventus, eligendi pro libito Confessarium, qui tamen sit ab Ordinario approbatus. *pag.* 118. §. *In literis*.

Casus in transactione expressus trahi non potest ad alium casum non expressum. *pag.* 135. §. *Addit*.

Celebratio Missæ a Testatore demandata, an & quando importet applicationem. *pag.* 92. §. *Idem*, *& seqq.*, *pag.* 94. §. *Contra*, & *pag.* 95. §. *Scitissime*.

Eam non importat, si celebratio injuncta fuerit pro commodo Populi. *pag.* 92. §. *Idem*, *& seq.*

Nec si fuerint alia onera Capellano præscripta. *pag. ead.* §. *Suadere*.

Chirurgiis, & Medicis deponentibus de perpetua, & absoluta impotentia desumpta ex mala corporis habitudine, & vi morbi, fides est adhibenda. *pag.* 84. §. *Ambigi*.

Chirurgi relationi magis credendum est, quam opinioni Obstetricum. *pag.* 133. §. *Nullam*.

Clericus quoad irregularitatem. Vid. *Irregularitas*.

Cistercienſium privilegia quoad solutionem decimarum quæ sint, & quomodo debeant intelligi. *pag.* 157. §. *Perperamque*, & *pag.* 227. §. *Observandum*, *& seq.*

Circumstantiæ plurimum conferunt ad interpretandam verosimilem mentem Testatoris. *pag.* 19. §. *Fundator*.

Suadent, ut aliquid de rigore juris quamdoque remittatur. *pag.* 25. §. *Ad hæc*.

Civibus relictum legatum eis quoque debetur, qui civilitatem acquisiverunt. *pag.* 18. §. *Nam si*.

Civilitas acquisita sufficit ad consecutionem legati civibus relicti. *pag.* 18. §. *Nam si*.

Cognati. Quando generice vocati fuerint Agnati, & Cognati, vocati primo loco censentur, qui gradus prerogativa, & proximioritate pollent. *pag.* 165. §. *Contra*.

Non veniunt nomine Familiæ. *pag.* 127. §. *Addit*.

Cognatio ex adoptione inducitur. *pag.* 34. §. *Affirmat*.

Cohabitationis triennalis experimento locus est, quando impotentia sit dubia, non verò quando sit verosimiliter evidens. *pag.* 85. §. *Nec obesse*.

De hoc experimento quid Sacri Canones præscripserint. *pag.* 86. §. *De experimento*.

Collatio Baptismi probatur etiam per unicum Testem, præcipue si de facto proprio deponat, nec quidquam sit, quod ejus dicti fidem imminuat. *pag.* 45. §. *Quamvis*, *& seq.*

Comitia convocari debent previa denunciatione per diem ante facienda. *pag.* 104. §. *Ad I. respiciens*.

Fieri potius decet in Domo Ecclesiæ adnexa, aut in Domo alicujus Superioris, quam in ipsa Ecclesia, vel in Oratorio. *pag.* 89. §. *Post hæc*.

Concilii lex servanda est in Matrimoniis contrahendis. *pag.* 74. §. *Negant*.

Exemptio ab hujusmodi lege non est personalis, quæ comitetur personam, sed realis, quæ locum non excedit. *Ibid.*

Concubinatui, & fornicationi pœna irregularitatis a jure non est inflicta. *pag.* 138. §. *Et ad* 1.

Concursus præcisam formam indixit Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. de Reform. *pag.* 106. §. *Beneficia*.

Quid hac de re Summi Pontifices, & S. Congregatio decreverint. *pag. ead.* §. *Accessit*.

Conditio in una substitutione expressa, non afficit personas in alia substitutione non comprehensas. *pag.* 170. §. *Addit*.

Præsertim ubi concurrat tum generis, ac personarum diversitas, tum etiam major dilectionis causa. *Ibid.*

Conditionata Baptismi forma quando cœpit usurpari. *pag.* 44. §. *Baptismi*.

Ut hæc forma adhibeatur non sufficit quævis dubietas, sed concurrat oportet dubitatio prudens, atque probabilis. *pag. ead.* §. *Verum*.

Idque expresè statuitur in Catechismo Romano. *Ibid.*

Et statuit Divus Carolus in suis Institutionibus Act. Eccles. Mediolan. *Ibid.*

Nec non statutum quoque reperitur in pluribus Synodis. *Ibid.*

Hinc vituperabilis est consuetudo iterum ob aliquam lævem dubietatem baptizandi Infantes ab obstetricibus semel baptizatos. *pag.* 45. §. *Hinc*.

Eamdemque consuetudinem improbavit etiam S. M. Benedictus XIV. in opere de Synod. Diæces. *Ibid.*

Confessiones Fidelium nullus Sacerdos sive Sæcularis sit, sive Regularis excipere potest, nisi fuerit a suo Superiore, vel ab Episcopo ad id munus approbatus. *pa.* 112. §. *Addit*.

Ordinarii approbationem sollicitè requisivit Concilium Tridentinum. *pag.* 111. §. *Et primo*.

Confirmatio Archidiaconi jurisdictionem habentis de jure requiritur. *pag.* 120. §. *Contendit*.

Fieri debet ab Episcopo, cui Archidiaconus immediatè subest. *Ibid.*

Alias electo nullum jus est exercendi administrationem, ne sub specie quidem Œconomatus. *Ibid.*

Confratres in legitima possessione existentes administrationis bonorum Societatis, eiici ab Episcopo non possunt. *pag.* 5. §. *Hinc ad II.*

Et manutenendi sunt in possessione, quous-

que controverſia pendet ſuper illorum remotione. *pag.* 7. §. *Quo ad remotionem*.

Ipſis enim unice competit adminiſtratio bonorum Sodalitatis. *pag.* 6. §. *Aſſerunt*, & §. *Circa dubia*.

Iidemque jus habent novos Sodales admittendi. *pag.* 5. §. *Hinc ad* 11.

Nec non eligendi officiales, quorum tamen confirmatio pertinet ad Epiſcopum. *pag.* 5. §. *Quare*.

Contractres in Comitiis. Vid. *Comitia*, *Suffragium*.

Conjecturæ non attenduntur, quando clara eſt Teſtatoris voluntas. *pag.* 172. §. *Probant*, & *pag.* 173. §. *Verum*.

Conſanguinitas. Ratio majoris conſanguinitatis an, & quando haberi debeat *p.* 163. §. *Inquit*.

Conſanguineas extraneis præferre conſuevit S. Congregatio. *pag.* 35. §. *Sacra*.

Eiſque denegari non debet aſſignatio dotis ex reditibus, quos ad nominationem ſuæ Familiæ in eam preciſe cauſam Teſtator diſtribui mandavit. *pag.* 40. §. *Ait*.

Ipſarum favore pluries S. Congregatio demandavit dotium cumulum, ut de congra dote, vel alimentis providerentur. *pag.* 34. §. *Inquit*, & *pag.* 35. §. *Sacra*.

Verum ſi divites ſint ratione tantum Conſanguinitatis aſſequi non debent dotalia Subſidia pauperibus deſtinata. *pag.* 41. §. *Oppoſito*.

Cum ſolum ad eadem ſubſidia admittantur, quando fortunæ bonis ſint deſtitutæ, & dotem aliunde ſperare nequeunt. *Ibid.*

Si tamen ſubſidia relicta ſint Conſanguineis, debentur eiſdem etiamſi non ſint pauperes. *pag.* 164. §. *Nec*.

Conſanguineæ ultra quartum gadum jure civili compurendum, rejectæ fuerunt ab aſſecutione Dotis, & alimentorum, quoties deficeret expreſſa Teſtatoris vocatio. *pag.* 35. §. *Duo*.

Conſenſus Ordinarii præſumitur in actu geſto a Sæculo, & ultra. *pag.* 158. §. *Nec dubitari*.

Majoris partis confratrum requiritur, ut extranei ad ferendum Suffragium in Sodalitate admittantur. *pag.* 5. §. *Addunt*.

In re gravi requiritur conſenſus omnium, & aliquorum diſſenſus irritat quidquid ab aliis fuerit reſolutum. *pag.* 5. §. *Animadvertunt*.

Semel tamen præſtitus, revocari non poteſt. *pag.* 135. §. *Demum*.

Conſuetudo non eliditur per unicum actum contrarium. *pag.* 122. §. *Suſtinet*.

Non applicandi quandoque rejecta fuit a S. Congregatione, & in quibus caſibus. *pag.* 95. §. *Perpendendum*.

Conſummationem Matrimonii non fuiſſe ſequutam probat jurata Mulieris depoſitio. *pag.* 50. §. *Inquiunt*.

Conſtitutio continens clauſulam. *Salva Sedis Apoſtolicæ, & Diœceſani Epiſcopi canonica inſtitutione, & reverentia* præſervat jura Epiſcopi etiam quoad Archidiaconorum confirmationem. *pag.* 121. §. *Immeritò*.

Continentiæ votum nonniſi ex recentioribus Eccleſiæ legibus fuit Ordini Subdioconatus adnexum. *pag.* 143. §. *Inquit*.

Contractus, præciſæque obligationis vim habet reſolutio capta in Comitiis, a qua recedere non licet. *pag.* 87. §. *Contendit*.

Maximè ſi receſſus tendat in aliorum præjudicium, quibus fuerit jus quæſitum. *Ibid.*

Conventionibus privatorum derogare nequeunt privilegia quæcumque ea ſint *pagin.* 158. §. *Prædia*.

Eiſdem contraire nefas eſt *pagin.* 94 §. *Quod verò*.

Cumulativa plurium nominatio a Sacris Canonibus non improbatur *pag.* 97. §. *Probat*.

Cura Animarum a nullo Sacerdote ſive Sæculari, ſive Regulari exerceri poteſt, niſi prævia Ordinarii approbatione, vel confirmatione *pag.* 123. §. *Ulterius*.

D

Decimas Prædiales exigere poteſt Parochus ex omnibus frugibus, quæ colliguntur intra Parochiæ limites *pagin.* 156. §. *Ex parte*.

Jus percipiendi Decimas non præſcribitur, niſi ex immemorabili, & quadragenaria cum titulo, immo cum certa ſcientia, & patientia unius partis, & bona fide alterius *pag.* 157. §. *Advertit*.

Decimæ quoque erogari debent pro reedificane Eccleſiarum *pag.* 110. §. *Certum*.

Conſuetudo tamen plurimum hac in re ſpectari debet *pag.* 111. §. *Advertendum*.

Decimator univerſalis jus habet reale ſuper fundis, tanquam cauſa fructuum productiva *pag.* 156. §. *Ex parte*.

Declaratio Mulieris raptæ emiſſa dum eſſet in Raptoris poteſtate non attenditur *pagin.* 62. §. *Ex duplici*.

Maxime ſi adſint contrariæ declarationes editæ in ſtatu libertatis. *Ibid.*

In proprium declarantis commodum emiſſa rejici debet *pag.* 64. §. *Deſpicendam*.

Præcipue quando agitur de Matrimonii diſſolutione, *Ibid.*

Continens ſimplicem aſſertionem per modum narrationis nullo documento, nec juramento firmata non attenditur *pag.* 74. §. *E converſo*.

Decretum ſan. mem. Benedicti XIV. de publicis Sacellis Diœceſis Bononienſis refertur *pag.* 26. §. *Ex his*.

Delictum non importat irregularitatem, niſi in caſibus a jure expreſſis *pagin.* 138. §. *Et ad I.*

Nec

Nec ſi actus externus non fuerit conſummatus *pag.* 139. §. *Irregularitas*.

Abortus graviſſimis pœnis puniendum *pag. ead.* §. *Verum*.

Diſtinctio pœnarum inter abortum fœtus animati, & non animati. *Ibid. & ſeq.*

Denunciatio facienda per diem ante præcedere debet comitiorum convocationem *pagin.*4. §. *Ad I. reſpiciens*.

Depoſitio jurata Mulieris probat ſequutam non fuiſſe Matrimonii conſummationem *pag.*50. §. *Inquiunt*.

Deſcendentium, & Familiæ nomine comprehenduntur collective omnes ejuſdem gradus *pag.*169. §. *Tantum*.

Non tamen comprehenduntur Deſcendentes ex fœminis *pag.* 127. §. *Addit*.

Deſcendentes pauperes præferri debent in aſſecutione ſubſidiorum dotalium *pag. ead.* §. *Ex alia*.

Determinatio plura determinabilia reſpiciens, omnia pariformiter determinat *pagin.* 92. §. *Suadere*.

Dictio *del luogo* nativitatem, & originem è loco importat *pag.* 18. §. *Marchio*.

Semper omne tempus, & omnem caſum comprehendit *pag.*168. §. *Minus*.

Diſpenſatio ex Sacrorum Canonum, & Eccleſiæ benignitate indulgeri ſolet, quando conſtat de paupertate, & peracta pœnitentia *pag.*138. §. *In ſecundo*.

A voto continentiæ adnexo Ordini Subdiaconatus conceditur coactionem paſſis *pagin.*143. §. *Inquit*, *pag.*144. §. *Certum*, & *pag.*146. §. *Verum*.

Ab impedimento publicæ honeſtatis elargiri ſolet, quando legitimæ, & rationabiles cauſæ concurrunt *pag.*50. §. *Hinc*, & *pag.*51. §. *De publicis*, *& ſeq.*

Has inter recenſetur ſobolis procreatio, ſi ſequuta non fuerit animo diſpenſationem obtinendi. *Ibid.*

Nec non ſcandalum in Populo ob prolem ex illicitis amplexibus ſuſceptam. *Ibid.*

Diſſenſus aliquorum in re gravi ſufficit ad infirmandum quidquid ab aliis fuerit reſolutum *pag.* 5. §. *Animadvertunt*.

Ad diſſolutionem Matrimonii duo copulative concurrere debent, & quod Matrimonium non fuerit conſummatum, & quod id evenerit ex perpetua, & inſanabili impotentia *pag.* 85. §. *Ad Matrimonii*, & §. *Contra*.

Non aliæ hac in re admittuntur probationes, niſi quæ graves, ac perſpicuæ fuerint, omnique exceptione majores *pag.* 64. §. *Deſpiciendam*.

Divites Puellæ ratione tantum Conſanguinitatis aſſequi non debent ſubſidia dotalia pauperibus deſtinata *pag.* 41. §. *Ex oppoſito*.

Cum conſanguineæ tunc ſolum admittantur, quando fortunæ bonis ſunt deſtitutæ, & aliunde dotem ſperare nequeunt. *Ibidem*.

Domicilii acquiſitio non a poteſtate pendet, ſed a materiali facto, & habitatione *pag.*78. §. *Concludit*.

Contrahitur etiam prima die habitationis, ſi vere conſtet de animo permanendi *pag.* 63. §. *Animadvertit*, & *p.g.*81. §. *Proprius*.

Non cenſetur dimiſſum per ſolum diſceſſum, niſi concurrat animus illud dimittendi *pag.* 73. §. *Addunt*.

Proindeque non præſumitur, quod Mercator diſcedens lucri cauſa, domicilium dimiſerit. *Ibid.*

Domicilium in loco, ubi Matrimonium contrahitur, neceſſarium eſt ad illius validitatem *pag.* 76. §. *Indubie*, *& ſeq.*

Domicilium facit Incolas, Origo cives *pagin.* 18. §. *Plane*.

Et longum domicilium ad munera civilia referat aditum. *Ibid.*

Qualitas originis non aquiritur ex domicilio, nec ex allectione, neque ex privilegio *pag.* 18. §. *Nam ſi*.

Plura tamen domicilia poteſt quis habere in diverſis Civitatibus, vel Oppidis, & ſingulorum juribus, ac perogativis frui *pagin.* 19. §. *Non controvertitur*.

Donatio per longum tempus non exequuta, nulla, & inefficax præſumitur *pagin.* 130. §. *Immeritò*.

Patrimonii ſacri irrita eſt abſque Ordinarii licentia *pag.* 129. §. *Ad I. Inquit*.

Proprietatis tamen Patrimonii cum reſervatione uſusfructus ſuſtinetur etiam ſine licentia Epiſcopi *pag.*130. §. *Contra*.

Vel ſaltem ſufficit, ut ex poſt efflagitetur *pag. ead.* §. *Exequendam*.

Dos ſpiritualis conſtituenda eſt in bonis omninò liberis, quæ ab omni lite ſint exempta *pag.*165. §. *Quamvis*.

Dotale ſubſidium relictum conſanguineis eiſdem debetur etiamſi non ſint pauperes *pagin.*164. §. *Nec*.

Deſcendentibus paupertate laborantibus prælative conferri debet *pagin.*127. §. *Ex alia*.

Dotes, quæ revertuntur an, & a quo ſint diſtribuendæ *pag.*136. §. *Dotalia*.

Epiſcopus non poteſt imminuere dotes a Summis Pontificibus aſſignatas, *pag.* 29. §. *Ad II.*

Dotium cumulum pluries demandavit S. Congregatio ad parandam Conſanguineis Dotem, & alimenta *pag.*34. §. *Inquit*, & *pagin.*35. §. *Sacra*.

E

Ecclesias Diœcesis visitare nemo potest, nisi de Episcopi licentia *pagin.* 122. §. *Alii*.

Parochialis refici debet ab iis, qui proventus percipiunt, quorum nomine veniunt etiam Decimæ *pag.*109. §. *Nunc*.

Nec nisi in subsidium adigi potest Populus, & Patronus. *Ibid.*

De Parochialibus instaurandis, reficiendisque, quid Concilium Tridentinum statuerit *pag.*101. §. *De Ecclesiis*, & *pag.*110. §. *De Parochialibus*.

Ecclesiastica beneficia dignioribus sunt conferenda *pag.*106. §. *Beneficia*.

Electio Archidiaconi etiamsi Regularis, qui jurisdictionem habeat, confirmationem de jure requirit *pag.*120. §. *Contendit*.

Et confirmatio reportari debet ab Episcopo, cui Archidiaconus immediate subest *Ibid.*

Alias electo nullum jus est exercendi administrationem, ne sub specie quidem Œconomatus. *Ibid.*

Officialium Confraternitatis libere spectat ad Confratres, confirmatio vero ad Episcopum *pag.*6. §. *Quare*.

Electio facta ab Episcopo unius ex concurrentibus ad Parochiales, & Dignitates, quando de irrationabilitate redargui possit *pag.*130. §. *De hoc*, & *seq.*

Electo ad aliquem gradum sufficit probare eligentis quasi possessionem *pag.*172. §. *Ex Cap.*

Idque procedit etiam quoad beneficia, quæ sint Juris patronatus. *Ibid.*

Nec quoad hæc Concilium Tridentinum quidquam innovavit, quando quæstio oriatur de pertinentia patronali *pag.*172. §. *Quamvis*.

Eleemosina Missarum ad rationem taxæ perpetuæ in qua summa fuerit præfinita *pag.*15. §. *Etsi*.

Emolumentum debet esse proportionatum oneri *pag.*147. §. *Quod verò*.

Episcopus non potest Fundationum leges immutare *pag.*96. §. *Ad II.*

Nec sub prætextu removendi abusus quidquam contra jus commune decernere *pag.*28. §. *Hinc præterea*.

Potest in paritate vocum unum alteri præferre jure gratificationis *pag.*37. §. *Verum*.

Debet tamen servare formam a jure præfinitam, alias gratificatio nulla est *pagin.*36. §. *Ad I. inquit*.

Potest concedere Parochis licentiam interessendi Matrimoniis vel jure ordinario, vel jure delegato, & quæ sit inter utrumque casum differentia *pag.*81. §. *Quod vero*.

Non potest propria auctoritate sodales in Confraternitatem admittere *pag.*5. §. *Hinc ad II.*

Nec sodales semel admissos delere. *Ibidem*.

Neque se ingerere in administratione bonorum Confraternitatum *pag.*6. §. *Asserunt*, & §. *Circa dubia*, & *seq.*

Jus tamen habet eas visitandi, & ab Administratoribus rationes exposcendi *pag.*89. §. *Ad III.*

Et confirmandi officiales a sodalibus electos *pag.*6. §. *Quare*.

Non tenetur per diem ante denuntiare, quæ in Comitiis agenda sunt *pag.*7. §. *Perperamque*.

Si Comitiis præsens fuerit nec ipse, nec ejus Vicarius suffragium ferre potest *pag.*5. §. *Addunt*, & *pag.*90. §. *Certum*.

Episcopo subest Archidiaconus *pag.*120. §. *Dubitari*.

Ejusque Vicarius, & oculus nuncupatur. *Ibid.*

Et illius munus eo spectat, ut Episcopus sublevetur. *Ibid.*

Et ideo confirmationem ab Episcopo reportare debet *pag. ead.* §. *Contendit*.

Alias nullum jus habet exercendi administrationem, ne sub specie quidem Œconomatus. *Ibid.*

Multoque minus exercere valet Curam Animarum *pag. ead.* §. *Hinc*.

Nec Diœcesim visitare *pag. ead.* §. *His*.

Ab Episcopi judicio super electione ad Dignitates, & Parochiales, nonnisi in devolutivo admittitur appellatio *pag.* 106. §. *Hinc ad II.*

Hujusmodi judicium quando de irrationabilitate redargui possit *pag.* 107. §. *De hoc*.

Episcoporum, aliorumque Prælatorum privilegia eligendi Confessarium a proprio Ordinario non approbatum, an fuerint a Concilio Tridentino sublata *pag.*112. §. *Observat*, *pag.*114. §. *Super*, & *seq.*, & *pag.*115. §. *Hæc autem*.

Erectio Oratorii publici facta præsumitur Auctoritate Ordinarii *pag.*24. §. *Nec etiam*.

Quod etiam desumitur ex silentio Episcoporum, & iteratis illius Visitationibus. *Ibid.*

Exceptiones altiorem indaginem requirentes rejiciendæ sunt ad congruum judicium petitorium, quando quæstio oritur super beneficiis de Jurepatronatus, in quibus ultimus status attenditur *pag.* 168. §. *Contra*, & *pag.*170. §. *Concludit*.

Exemptio a Concilii lege non est personalis, quæ comitetur personam, sed realis, quæ locum non excedit *pag.*74. §. *Negant*.

Ex-

Expenſæ litis fieri debent ab iis, qui injuſtè litem ſuſtinuerunt *pag.*90. §. *Hinc*.

Et ab iis, de quorum intereſſe agebatur *pag.*6. §. *Denique*.

Quid de hoc Sacra Congregatio cenſuerit *pag.*7. §. *De expenſis*.

Experimento cohabitationis triennalis locus eſt quando impotentia ſit dubia *pagin.* 85. §. *Nec obeſſe*.

Quid SS. Canones hac in re ſtatuerint *pag.*86. §. *De experimento*.

Extranei in ſodalitatem admitti non poſſunt, niſi majoris partis conſenſus accedat *pag.*5. §. *Addunt*.

Extraneis præferendi ſunt conſanguinei *pagin.*35. §. *Sacra*.

F

FAbricæ reditus erogari primum debent in reſtaurationem Eccleſiarum *pagin.* 110, §. *Certum*.

Facultas pro Regularibus adjecta in litteris Jubilæi eligendi Confeſſarium, adnexam habet expreſſam conditionem, quod ſit approbatus *pag.*118. §. *In litteris*.

Familiam, jura, & agnationem retinent filii adoptivi *pag.*34. §. *Affirmat*.

Familiæ, & Deſcendentium nomine comprehenduntur collective omnes ejuſdem gradus *pag.*169. §. *Tantum*.

Non veniunt Cognati, ſed illi tantum de agnatione, & ejuſdem cognominis *pagin.*127. §. *Addit*.

Data facultate nominandi unum de Familia, intelligitur quilibet de Familia etiam remotior *pag.*164. §. *Addit*.

Et ita ſervatur etiam a Confraternitatibus in diſtributione ſubſidiorum Dotalium. *Ibid.*

Fideles monendi quidem ſunt, non autem cogendi, ut Parochialem adeant *pag.*25. §. *Nec audiendum*, & *pag.*26. §. *Eccleſiæ*.

Filii adoptivi agnationem, jura, & Familiam retinent *pag.*34. §. *Affirmat*.

Fœtus quando dicatur animatus, vel non *pag.* 146. §. *Fœtus*.

Formam præciſam concurſus ad Parochiales, & Dignitates indixit Concilium Tridentinum *pag.* 106. §. *Beneficia*.

Quid hac de re Summi Pontifices, & Sac. Congregatio decreverint *pagin. ead.* §. *Acceſſit*.

Forma Baptiſmi conditionata quando cæpit uſurpari *pag.*44. §. *Baptiſmi*.

Cætera. Vide *In verbo Baptiſmus*.

Fornicationi, & concubinatui pœna irregularitatis a jure non eſt inflicta *pag.* 138. §. *Ex ad I.*

Fraus. Quidquid in fraudem legis geſtum eſt, nullius roboris eſt *pag.*71. §. *Conſtare*.

Fundationis littera quoties clara eſt interverti non poteſt a contrariis actibus *pagin.*168. §. *Perperam*.

Nec ab Epiſcopo poteſt immutari *pag.*29. §. *Ad II.*

Fundatores poſſunt coærcere tempus ad præſentandum Patronis a jure conceſſum *pagin.*98. §. *Contra*.

Fundus pro celebratione Miſſarum, quando taxative, vel demonſtrative relictus cenſeatur *pag.* 49. §. *Notiſſime*.

G

GRatificationis jure poteſt Epiſcopus in paritate vocum unum alteri præferre *pag.*37. §. *Verum*.

Gratificatio Epiſcopi facta pendente proteſtatione attentatum non inducit *pagin.* 37. §. *Hinc*.

Sed ſi ſervata non fuerit juris forma nulla eſt, & revocanda *pag.* 36. §. *Ad I. inquit*.

Gravamen in una ſubſtitutione expreſſum, non afficit perſonas in alia ſubſtitutione comprehenſas *pag.* 107. §. *Addit*.

Præſertim ubi concurrat tum perſonarum diverſitas, tum etiam major dilectionis cauſa. *Ibid.*

H

HAbitatio conſtituit domicilium *pag.* 78. §. *Concludit*.

Qualis requiratur, ut quis alicui Parocho ſubditus dici poſſit *p.*69. §. *Quod igitur*.

Ex homicidio dubio, an quis dicatur irregularis *pag.* 141. §. *Perpendendum*.

Honeſtas. Diſpenſatio ab impedimento publicæ honeſtatis conceditur, quando legitimæ, & rationabiles cauſæ concurrunt *pagin.*50. §. *Hinc*, & *pag.*52. §. *De publicæ*, & *ſeq.*

Has inter recenſetur ſobolis procreatio, quando ſequuta non fuerit animo diſpenſationem obtinendi. *Ibid.*

Nec non ſcandalum in Populo ob prolem ex illicitis amplexibus ſuſceptam, *Ibid.*

Hujuſmodi diſpenſatio facilius conceditur Viro, quam Mulieri *pag.*51. §. *Nec*.

I

IDoneus non cenſetur Sacerdos ad exercitium juriſdictionis pro excipiendis Confeſſionibus, niſi Ordinarii approbatio acceſſerit *pag.*113. §. *Animadvertit*.

Ignorantia non præſumitur in eo, qui ſtudiis operam dedit *pag.* 145. §. *Demum*.

Impedimentum. De duobus impedimentis ad actum,

actum, etiamſi unum ſublatum fuerit, nihilominus actus exerceri non valet, quoties alterum ſubſiſtat *pag.*14. §. *Hujus*.

Ab impedimento publicæ honeſtatis diſpenſatio conceditur, quando legitimæ, & rationabiles cauſæ concurrunt *pag.* 50. §. *Hinc*, & *pag.* 51. §. *De publicæ*, & *ſeq.*

Has inter recenſetur Sobolis procreatio, ſi ſequuta non fuerit animo diſpenſationem obtinendi. *Ibid.*

Nec non ſcandalum in Populo ob prolem ex illicitis amplexibus ſuſceptam. *Ibid.*

Impotentia niſi certa ſit, & perpetua, non præbet juſtam cauſam diſſolutioni Matrimonii *pag.* 85. §. *Impotentia*, & §. *Contra*.

Si vero dubia ſit, locus erit experimento cohabitationis triennalis *pagin.* 85. §. *Verum*.

Deſumitur ex relatione Peritorum, qui deponunt evenire ex mala corporis habitudine, & vi morbi *pag.* 84. §. *Ambigi*.

Deprompta ex cauſis, & ſignis internis veroſimilis tantum dicitur *pag.*85. §. *Fallax*.

Ex indiciis commiſſi delicti, an quis cenſeatur irregularis, & quando *pag.* 142. §. *Sacra*, & *ſeq.*

Infamia oritur tantum ex communi opinione penes probos Viros, & majorem Populi partem *pag.*138. §. *Hinc*.

Inhobedientes, & refractarii via æconomica cohibendi ſunt *pag.* 89. §. *Expeditus*.

Intentio ſuſcipiendi Baptiſmum requiritur in Adultis baptizandis *pag.* 47. §. *Tandem*.

Et hujuſmodi intentio debet eſſe preciſa, itaut non admittatur dubietas, aut indifferentia. *Ibid.*

Non tamen neceſſaria eſt intentio actualis, ſed ſufficit, quod præceſſerit, & moraliter perſeveret. *Ibid.*

Irregularis in dubio an quis cenſeatur *pag.*141. §. *Perpendendum*.

Ex homicidio etiam dubio an quis dici poſſit. *Ibid.*

Ex indiciis delicti an, & quando quis habeatur *pag.* 142. §. *Sacra*, & *ſeq.*

Irregularitas ex delicto non incurritur, niſi actus externus fuerit conſummatus *pag.*139. §. *Irregularitas*.

Nec niſi in caſibus a jure expreſſis. *Ibid.*

Irregularitatis pœna non eſt inflicta Clericis impudicitiæ ſordibus inquinatis, niſi ſervatis pœnarum gradibus a Concilio Tridentino præſcriptis. *Ibid.*

Nec concubinariis, & fornicariis *pag.*138. §. *Et ad I.*

Irritum eſt quidquid minus libere geſtum fuerit *pag.*4. §. *Accedere*.

Judex, vel quilibet Magiſtratus ad tuendam propriam Dignitatem procedere poteſt contra refractarios, & inhobedientes via Æconomica, eorumque audaciam illico cohibere *pag.*89. §. *Expeditus*.

Judicium Epiſcopi præeligentis potius unum, quam alterum ex concurrentibus ad Dignitates, & Parochiales, an de irrationabilitate redargui poſſit *pagin.* 107. §. *De hoc*.

Jure ſuo, & naturali libertate unuſquiſque uti poteſt *pag.*74. §. *Falſum*.

Juriſdictio ad excipiendas Confeſſiones quando a Sacerdote acquiratur *pag.*113. §. *Animadvertit*, & *pag.*114. §. *Quamvis*.

Juriſdictio Archidiaconi. Vid. *Archidiaconus*, *Epiſcopus*.

Jus. Aliquid de rigore juris remittendum eſt, quando id circumſtantiæ ſuadeant *pag.* 25. §. *Ad hæc*.

Qui utitur jure ſuo nemini facit injuriam *pag.* 165. §. *Ad II. dubium*.

Succeſſoris ſublatum non remanet ex negligentia Anteceſſoris *pagin.* 122. §. *Suſtinet*.

Præſentandi ad Capellanias, vel beneficia in mera pietate conſiſtit, abſque ulla rei mundanæ commixtione *pag.* 37. §. *Perperam*.

Percipiendi decimas non præſcribitur niſi ex immemorabili, vel quadragenaria cum titulo, immo cum certa ſcientia, & patientia unius, & bona fide alterius *pag.*137. §. *Advertit*.

L

Legatum Civibus relictum eis quoque debetur, qui civilitatem acquiſiverunt *pagin.*18. §. *Nam ſi*.

Quando taxative, vel demonſtrative relictum cenſeatur, & quando ſit locus reductioni *pag.* 137. §. *Sin vero*, & *ſeq.*. & *pag.* 152. §. *Papinianus*, & *ſeq.*

Alia potius onera, quam Miſſarum numerus reduci debet *pag. ead.* §. *Verum*.

Lex Concilii ſervanda eſt in Matrimoniis contrahendis *pag.* 74. §. *Negat*.

Exemptio ab hujuſmodi lege non eſt perſonalis, quæ comitetur perſonam, ſed realis, quæ locum non excedit. *Ibid.*

Corrigens in uno ex correlativis etiam in alio corrigit *pag.* 112. §. *Nec diverſimode*.

Quidquid in fraudem legis geſtum eſt, nullius roboris, habetur *pagin.*73. §. *Conſtare*.

Libertas ſuffragantium ſi deficiat, irritum erit quidquid in Comitiis geſtum fuerit *pag.*4. §. *Accedere*.

Ex naturali libertate unuſquiſque utitur jure ſuo *pag.*74. §. *Falſum*.

Licentia intereſſendi Matrimoniis conceditur Parochis ab Epiſcopis vel jure ordinario, vel jure delegato, & quæ ſit inter utrumque caſum differentia, *pag.* 81. §. *Quod vero*.

Di-

Directa Paroche, qui non ſit contrahentium proprius ſufficiens habetur ad Matrimonii validitatem, ſi id eveniat vel errore Ordinarii, vel bona fide contrahentium *pag.*82. §. *Ponderandum*.

Secus ſi dolo, & fraude extorta fuerit. *Ibid.*

Littera Fundationis quoties clara eſt interverti non poteſt a contrariis actibus *pag.*168. §. *Perperam*.

Litis expenſæ fieri debent ab iis, de quorum intereſſe agitur *pag.*6. §.*Denique*.

Et ab iis, qui injuſte litem ſuſtinuerunt *pag.*90. §. *Hinc*.

Quæ fuerit mens Sac. Congregationis *pag.*7. §. *De expenſis*.

M

MAnutentio quoad omnes actus competit Confratribus, dum controverſia pendet ſuper illorum remotione *pag.* 7. §.*Quoad remotionem*.

Marca Meranenſis equivalet ſummæ ſcuti unius, & obul.35. monetæ Romanæ *pag.*93. §. *Et quoad*.

Matrimonium initum coram Parocho altèrius loci in fraudem proprii Parochi, irritum eſt *pag.* 76. §. *Ex aliis*.

Atque etiam ſi contractum fuerit coram Parocho rurali, quando rus itur recreationis cauſa *pag.* 81. §. *Nullum*.

Immò nec per poſteriorem conſenſum, nec per Coniugalem actum coaleſcit *pag.*80. §. *Ambigi*.

Neque in Sponſalia de futuro reſolvitur, neque contrahentes compelli poſſunt ad denuò contrahendum *pag. ead.* §. *Immo*.

Parochus autem ille eſſe debet, qui Parochus eſt habitationis *pag.*73. §. *Matrimonii*, & *pag.*76. §. *Indubia*, & *ſeq.*

Non tamen ſufficit qualiſcumque habitatio, ſed quæ coniunctum habeat animum per aliquod temporis ſpatium permanendi. *Ibid.*

Proindeque ſatis eſt, ut unius ſaltem menſis ſpatio fuerit protracta. *Ibid.*, & *pag.*65. §. *Conſtare*, *pag.* 69. §. *Quod igitur*, & *pag.* 70. §. *Ex his*.

Validum tamen erit, ſi de licentia Epiſcopi etiam coram alio fuerit contractum *pag.*80. §. *Demum*.

Quamvis id evenerit, vel errore Ordinarii, vel bona contrahentium fide *pag.*82. §. *Ponderandum*.

Dummodo abſit fraus, & dolus. *Ibid.*

Licentiam autem aſſiſtendi matrimoniis Parochis concedunt Epiſcopi vel jure Ordinario, vel jure delegato, & quæ inter utrumque caſum differentia. *Ibid.*

Matrimonium diſſolvitur ex impotentia ab evidenti vitio proveniens, quæ certa ſit, & evidens. *pag.* 85. §. *Impotentia*.

Sequus ſi dubia ſit, nec certum ferri valeat judicium. *pag. ead.* §. *Contra*, & *p.*86. §. *Verum*.

Hinc non diſſolvitur, niſi duo copulative concurrant, & quod non fuerit conſummatum, & quod id evenerit ex perpetua, & inſanabili impotentia. *pag.* 85. §. *Impotentia*.

Dum vero agitur de Matrimonii diſſolutione non alii admittuntur Teſtes, nec aliæ probationes, niſi quæ graves ſint, omnique exceptione majores. *pag.* 64. §. *Deſpiciendam*, & *pag.* 74. §. *Falſum*.

Cæterum admittitur jurata depoſitio Mulieris aſſerentis, ſequutam non fuiſſe Matrimonii conſummationem. *pag.* 50. §. *Inquiunt*.

Matrimonia quæcumque in fraudem legis contracta nulla ſunt. *pag.* 74. §. *Conſtare*.

Medici, & Chirurgi deponentes de perpetua, & abſoluta impotentia deſumpta ex mala corporis habitudine, & vi morbi, plenam conſtituunt probationem. *pag.* 84. §. *Ambigi*.

Milites an, & quando ſubſint Capellano Majori exercituum. *pag.* 70. §. *Verum*, & *ſeq.*

Expenditur Breve S. M. Benedicti XIV. *Ibid.*

Miſſa pro Populo celebrari debet a Parochis curam Animarum habentibus. *pag.* 29. §. *Ad I.*

Pro Benefactoribus applicari quotidie debet a Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum. *pag.* 148. §. *Verum*.

Quando tamen hujuſmodi onus coerceri poſſit ad dies tantum feſtos. *pag.*148. §. *Sæpius*.

Miſſarum reductio conceditur, quoties reditus a Teſtatore relicti ſubeudis oneribus impares comperiantur. *pag.* 13. §. *Ait enim*.

Cæterum alia potius legata, quam Miſſarum quantitas reduci debet. *pag.* 152. §. *Verum*.

Reliqua. Vid. *verb. Reductio*.

Metus an & quando juſtam præbeat cauſam diſpenſationi. *pag.* 143. §. *Inquit*, & *pag.* 146. §. *Verum*.

Gravis inducitur ex comminatione ejectionis e Domo, & privatione alimentorum. *pag.* 144. §. *Certum*.

Idque probatur ex confeſſione Parentum, qui de rebus ab ipſis geſtis deponant. *Ibid.*

Mulieris raptæ declaratio emiſſa, dum erat in Raptoris poteſtate non attenditur. *pag.* 62. §. *Ex duplici*.

Maximè ſi adſint contrariæ declarationes in ſtatu libertatis editæ. *Ibid.*

Admittitur jurata illius depoſitio ad probandum, ſequutam non fuiſſe Matrimonii conſummationem. *pag.* 50. §. *Inquiunt*.

N

NAtivitas, & origo requiritur ad fruendum Legato a Teſtatore relicto perſonis de aliquo loco. *pag.* 18. §. *Marchio*.

Neceſſitas non naturæ, ſed congruentiæ, & honeſtatis ſpectari debet. *pag.* 164. §. *Nec.*

Negligentia Anteceſſorum non lædit jus Succeſſoris. *pag.* 29. §. *Inanè*, & *pag.* 122. §. *Suſtinet*.

Nobilitas quoad aliquos requiſita, num de omnibus intelligenda ſit. *pag.* 19. §. *Quoad.*

Nominatio plurium cumulativa a jure non improbatur, *pag.* 97. §. *Probat*.

Facta pendente inhibitione, tanquam attentata eſt circumſcribenda. *pag.* 165. §. *Ad Alterum*.

Nomine Familiæ non veniunt Cognati, ſed ſed illi tantum de agnatione, & ejuſdem cognominis. *pag.* 127. §. *Addit*.

Deſcendentium non comprehenduntur Deſcendentes ex Fœminis. *pag.* 120. §. *Addit*.

Novalia quæ ſint? *pag.* 156. §. *Contendit*, & *pag.* 159. §. *Inquirendum*.

Nullitas Matrimonii manifeſta eſt, quando illud in fraudem legis fuerit contractum. *pag.* 73. §. *Conſtare*.

Nullitatis querela præſcripta remanet ſpatio annorum triginta. *pag.* 130. §. *Potiſſimum*.

O

OBligatio Filii familias abſque ſolemnitatibus nulla eſt. *pag.* 164. §. *Nec*.

Emiſſa *per un decennio, ed anche più*, potrahitur ad breve tempus ultra decennium. *pag.* 101. §. *Perperam*.

Obligationis, & contractus vim habet reſolutio capta in Comitiis, a qua recedere non licet. *pag.* 87. §. *Contendit*.

Maximè ſi receſſus tendat in aliorum præjudicium, quibus eſt jus quæſitum *Ibid.*

Obſervantia applicationis negativa, ritè probatur teſtimonio Capellanorum. *pag.* 93. §. *Demum*.

Eam quandoque rejecit S. Congregatio, & in quibus caſibus. *pag.* 95. §. *Perpendendum*.

Obſtetricis opinio attendi minus debet, quam Chirurgi relatio. *pag.* 138. §. *Nullam*.

Officiales Confraternitatis eligi debent a Sodalibus, & ſolum Epiſcopo jus competit illos confirmandi. *pag.* 6. §. *Quare*.

Onus debet eſſe proportionatum emolumento. *pag.* 147. §. *Quod vero*.

Quando taxative, vel demonſtrative relictum cenſeatur. *pag.* 73. §. *Sin vero*, & *ſeq.*

Diſtinctio inter onus per contractum, & per ultimam voluntatem. *pag.* 173. §. *Cum*.

Reedificationis Eccleſiæ diſmembratæ inſitum remanet Eccleſiæ Matrici. *pag.* 109. §. *Addit*.

Celebrationis importat etiam onus applicationis, quoties contrarium non fuerit diſpoſitum. *pag.* 53. §. *Quamvis*, *pag.* 94. §. *Contra*, & *pag.* 95. §. *Sciſſime*.

Sequus tamen ſi celebratio demandata fuerit pro commodo Populi, *pag.* 92. §. *Idem*, & *ſeq.*

Aut ſi Cappellano alia onera fuerint impoſita. *pag. cad.* §. *Suadere*.

Applicationis Miſſæ pro Populo injunctum eſt tantum Parochis curam Animarum habentibus nec in alios refundi poteſt. *pag.* 29. §. *Ad I.*

Quid de hoc definierit S. M. Benedictus XIV. *pag.* 30. §. *A Promothore*.

Onerum reductio, quando, cui, & quomodo concedi debeat. *pag.* 152. §. *Papinianus*, & *ſeq.*

Oratorium publicum præſumitur erectum Ordinarii auctoritate. *pag.* 24. §. *Nec etiam*.

Quod etiam deſumitur ex ſilentio Epiſcoporum, & iteratis illius Viſitationibus. *Ibid.*

In eo Miſſam celebrare licet qualibet anni feſtivitate. *pag. ead.* §. *Ex hac*, & *pa.* 27. §. *In Vercellen*.

De publicis Oratoriis Diœceſis Bononienſis quid S. M. Benedictus XIV. decreverit. *pag.* 26. §. *Ex his factum eſt*.

Quod ſit diſcrimen inter Oratorium publicum, & privatum. *pag.* 24. §. *Ex hac*.

Ordinarii conſenſus præſumitur in actu geſto a Sæculo, & ultra. *pag.* 158. §. *Nec dubitant*.

Reliqua. Vid. *Verb. Epiſcopus*.

Ordo. De Sacramento Ordinis quid Concilium Tridentinum edixerit. *pag.* 145. §. *De Sacramento*.

Illius ratificatio etiam ex unico actu inducitur. *pag. ead.* §. *Demum*.

Subdiaconatus an veram Sacramenti rationem, & virtutem habeat. *pag.* 145. §. *Prætermiſſa*.

Quando inter Sacros Ordines cæpit numerari. *Ibid.*

Eidem nonniſi ex recentioribus Eccleſiæ legibus adnexum fuit votum continentiæ. *pag.* 143. §. *Inquit*.

Origo facit Cives, domicilium Incolas. *pag.* 18. §. *Planè*.

Originis qualitas nunquam requiritur nec ex domicilio, nec ex allectione, nec ex privilegio. *pag. ead.* §. *Nam ſi*.

Neceſſaria eſt ad effectum fruendi legato a Teſtatore relicto perſonis de aliquo loco. *pag. ead.* §. *Marchio*.

Ortus accidentalis Filii in aliquo loco non obeſt qualitati civicæ, vel domiciliariæ loci, ubi pater domicilium conſtituit. *pa.* 19. §. *Non controvertitur*.

P.

PArochialis Eccleſia refici debet ab iis, qui proventus percipiunt, quorum nomine veniunt etiam Decimæ. *pag.* 109. §. *Nunc.*

Nec niſi in ſubſidium adigi poteſt Populus, & Patronus. *Ibid.*

De hoc quid Concilium Tridentinum ſtatuerit. *pag.* 101. §. *De Eccleſiis*, & *pag.* 110. §. *De Parochialibus.*

Fideles monendi quidem ſunt, non autem cogendi, ut Parochialem adeant. *pagin.* 25. §. *Nec audiendum*, & *pag.* 26. §. *Eccleſiæ.*

Parochus jus habet exigendi decimas prædiales ex omnibus frugibus, quæ colliguntur intra Parochiæ limites. *pag.* 156. §. *Ex parte.*

Parochus proprius ille dicitur, ſub cujus Parochia quis domicilium habet. *pag.* 81. §. *Proprius.*

Qualis autem habitatio requiratur, ut quis alicui Parocho ſubditus dici poſſit. *pag.* 69. §. *Quod igitur.*

Matrimonii Parochus ille eſſe debet, qui Parochus eſt habitationis. *pag.* 73. §. *Matrimonii.*

Non tamen ſufficit qualiſcumque habitatio, ſed quæ conjunctum habeat animum per aliquod temporis ſpatium permanendi *Ibid.*

Proindeque per integrum ſaltem, & continuum menſem protracta. *Ibid.*

Vagorum ille dicitur in cujus ditione hujus generis homines verſantur. *pag.* 74. §. *Una.*

Idque procedit, etiamſi unus tantum ex iis, qui matrimonio copulari petunt, Vagorum numero adſcribatur. *Ibid.*

Parochis Epiſcopi licentiam concedunt intereſſendi Matrimoniis vel jure Ordinario, vel jure Delegato, & quæ ſit inter utrumque caſum differentia. *pag.* 81. §. *Quod verò.*

Pars major a præſentibus conſtituitur, nec curandum de iis, qui intereſſe recuſant. *pag.* 89. §. *Negat.*

Patrimonii titulus quando probari cæpit. *pag.* 131. §. *Patrimonii*, & *ſeq.*

Aſſignari poteſt in cenſu perpetuo, Vitalitio, vel officio vocabili. *Ibid.*

Hic titulus adeo perpetuus eſt, ut nec ipſo jure extinguatur per aſſequutionem Beneficii. *pag.* 132. §. *Semel*, & *ſeq.*

Nec detrahi poteſt etiam cum reſervatione uſusfructus, vel annuæ præſtationis *pag.* 129. §. *Nec.*, & *pag.* 132. §. *Ponderandum.*

Et ideo quælibet donatio abſque licentia Ordinarii irrita eſt. *pag.* 129. §. *Ad I. Inquit.*

Patronus privari ſua quaſi poſſeſſione non poteſt. *pag.* 163. §. *Contra.*

Præſertim ſi adepta fuerit, ſcientibus, & patientibus iis, quorum intererat illam reiicere, vel reprobare. *Ibid.*

Extra decendium, vel extra tempus a Teſtatore præfinitum præſentare non poteſt *pag.* 89. §. *Contra.*

Patrono pauperi debentur alimenta. *pag.* 155. §. *Patrono.*

Idque protrahitur etiam ad hæredes, quantumvis extraneos, in quos Patronatus devenerit. *Ibid.*

Pauper, & nullis reditibus Eccleſiaſticis proviſus, præferri debet diviti, & proviſo de alio Beneficio. *pag.* 37. §. *Verum.*

Idque procedit etiam in quolibet dubio. *pag.* 165. §. *Affirmat.*

Periti deponentes de re ad proprium officium ſpectante plenam fidem merentur. *pag.* 93. §. *Et quoad.*

Et ideo deponentes de perpetua, & abſoluta impotentia deſumpta ex mala corporis habitudine, & vi morbi, plurimum attenduntur. *pag.* 84. §. *Ambigi.*

Ipſorum tamen judicium depromptum ex cauſis, & ſignis internis, veroſimilem tantum impotentiam concludit, quæ inepta eſt ad Matrimonii diſſolutionem. *pag.* 85. §. *Fallax.*

Pœna irregularitatis a jure non eſt inflicta concubinatui, & fornicationi. *pag.* 138. §. *Et ad I.*

Nec Clericis impudicitiæ ſordibus inquinatis, niſi ſervatis pœnarum gradibus a Concilio Tridentino præſcriptis. *pag.* 139. §. *Irregularitas.*

Contra raptores indicta ſpatio annorum viginti præſcribitur. *pag.* 64. §. *Demum.*

Diſtinctio pœnarum inter abortum fœtus animati, & inanimati. *pag.* 139. §. *Verum*, & *ſeq.*

Prædia novalia quæ ſint. *pag.* 156. §. *Contendit*, & *pag.* 159. §. *Inquirendum.*

Prædilectio unde deſumatur. *pag.* 13. §. *Hujuſmodi.*

Prælatio in paritate vocum conceditur illi, qui majoribus pollet meritis, & prærogativis. *pag.* 36. §. *Ad I. inquit.*

Vel illi, qui melioris eſt conditionis, magiſque dilectus. *pag.* 13. §. *Addit.*

In dubio ſemper debetur iis, qui pauperes ſunt, & majori indigent auxilio. *pag.* 165. §. *Affirmat.*

Præſcripta remanet nullitatis quærela lapſu annorum triginta. *pag.* 130. §. *Potiſſimum.*

Præſentatio facta a Patronis poſt lapſum decendii, vel poſt tempus a Teſtatore præfinitum, nullius eſt roboris. *pag.* 98. §. *Contra.*

Inter plures præſentatos præfertur ille, qui cæteris paribus ſit major ætate. *pag.* 170. §. *Obſervat.*

Præſentes in Comitiis conſtituunt majorem partem, nec curandum de iis, qui intereſſe recuſant. *pag.* 89. §. *Negat*.

Præſumptio ſemper militat pro validitate actus *pag.* 87. §. *Perperamque*.

Non præſumitur, quod Princeps gratiam alicui concedere voluerit cum alterius præjudicio. *pag.* 135. §. *Demum*.

Primogenitus parem non habet, cui verè ac propriè dicatur præferri. *pag.* 170. §. *Obſervat*.

Privilegium continens clauſulam - *Salvâ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & Diœceſani Epiſcopi canonica inſtitutione, & reverentia* - præſervat jura Epiſcopi etiam quoad Archidiaconorum confirmationem. *pag.* 121. §. *Immerito*.

Adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ abſque Epiſcopi licentia, ſummi Pontifices abrogarunt, *pag.* 114. §. *Hinc*.

Privilegia Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum eligendi confeſſarium a proprio Ordinario non approbatum, an fuerint a Concilio ſublata. *pag. ead.* §. *Super*, & *ſeq.*

Regularium quoad electionem Confeſſarii quæ ſint, & quomodo intelligenda. *pag.* 112. §. *Nec Diverſimode*. & *pag.* 116. §. *In hoc* & *ſeq.*

Quibus verbis fuerint expreſſa, & quibus limitibus coercita. *pag.* 118. §. *Illud*.

Regularium quoad ſolutionem decimarum quæ ſint, & quomodo itelligenda. *pag.* 167. §. *Perperamque*, *pag.* 159. §. *Obſervandum*, & *ſeq.* & *pag.* 162. §. *De Privilegiis*, & *ſeq.*

Quecumque ea ſint privatorum conventionibus nequeunt derogare. *pag.* 158. §. *Prædia*.

Proportio intercedere debet inter emolumentum, & onus *pag.* 147. §. *Quod verò*.

Proteſtatio nec vim habet citationis, nec conteſtationem litis inducit. *pag.* 37. §. *Hinc ad II.*

Poſſeſſio. Nemo privari debet ſua quaſi poſſeſſione. *pag.* 168. §. *Contra*.

Præſertim ſi adepta fuerit ſcientibus, & probantibus iis, quorum intererat illam reiicere, vel reprobare. *Ibid.*

Puellæ divites ratione tantum Conſanguinitatis aſſequi non debent dotalia ſubſidia pauperibus deſtinata. *pag.* 41. §. *Ex oppoſito*.

Cum ſolum conſanguineæ admittantur, quando fortunæ bonis ſunt deſtitutæ, & dotem alitunde ſperare nequeunt. *Ibid.*

Q

QUalitas originis nunquam admittitur, nec ex domicilio, nec ex allectione, nec ex privilegio. *pag.* 13. §. *Nam ſi*.

Nobilitatis quoad aliquos tantum requiſita, an de omnibus ſit intelligenda. *pag.* 19. §. *Quoad*.

Civica, vel domiciliaria non amittitur per ortum accidentalem in aliquo loco *pag. ead.* §. *Non controvertitur*.

R

RAptus quid ſit? *pag.* 64. §. *Defenſor*, & *pag.* 66. §. *Raptus*.

An dicatur quando Puella volens fuit abducta, invitis tamen Parentibus. *pag.* 67. §. *Variæ*, & *ſeq.*

Quæ ſit Canoniſtarum, & Theologorum communis ſententia. *pag.* 68. §. *Verum*.

De impedimento raptus, quæ fuerit olim Eccleſiæ diſciplina. *pag.* 66. §. *Variæ*, & *ſeq.*

Quid poſtea decreverit Synodus Tridentina. *pag.* 67. §. *At Tridentina*.

Actio pœnarum contra Raptores ſpatio annorum viginti præſcribitur. *pag.* 64. §. *Demum*.

Mulieris raptæ declaratio emiſſa dum erat in Raptoris poteſtate non attenditur. *pag.* 62. §. *Ex duplici*.

Maximè ſi adſint contrariæ declarationes æditæ in Statu libertatis. *Ibid.*

Ratificatio non inducitur quando conſtat de contraria voluntate. *pag.* 142. §. *Nec obeſſe*.

Rationes expoſcere poteſt Epiſcopus ab Adminiſtratoribus Confraternitatum. *pag.* 89. §. *Ad III.*

Reditus Fabricæ erogari primum debent in reſtaurationem Eccleſiarum. *pag.* 110. §. *Certum*.

Redituum augumentum non inducit onus applicationis Miſſarum. *pag.* 92. §. *Momenti*.

Reductio Legatorum quando, cui, & quomodo concedi debeat. *pag.* 152. §. *Papinianus*.

Miſſarum conceditur, quoties reditus a Teſtatore relicti omnibus ſubeudis oneribus impares comperiantur. *pagin.* 13. §. *Ait*.

Verum ſpectari debet num onus injunctum fuerit per contractum, ſeu per ultimam voluntatem. *pag.* 173. §. *Cum*.

Cæterum alia potius onera, quam Miſſarum numerus reducti ſolet. *pag.* 14. §. *Ea profecto*, & *pag.* 152. §. *Verum*.

Niſi contraria dignoſcatur Teſtatoris voluntas. *pag.* 14. §. *Verum*.

Et ideo S. Congregatio quandoque reductionem demandavit tum Miſſarum, tum aliorum onerum. *pag. ead.* §. *Maxime*.

Præſertim ne ex conſuetudine multiplicandi Sacrificia pro defunctis, alia pia opera obſoleſcerent. *Ibid.*

In decernenda Miſſarum reductione id plerumque a S. Congregatione ſervari ſolet, ut illarum eleemoſina ad rationem, quam vocant, manualem conſtituatur. *pag. ead.* §. *Non tamen*.

Verum huic praxi non ita firmiter adhæſit, ut reductionem Miſſarum cum eleemoſina ad rationem taxæ perpetuæ quandoque non demandaverit. *pag.* 15. §. *Huic tamen*.

Illudque etiam ſpectari ſolet, ut inveniri poſſint Sacerdotes, qui Miſſarum onera adimpleant. *pag. ead.* §. *Tandem*.

Ne ob tenuitatem ſtipendii a Sacrificii celebratione omnes abſtrahantur. *Ibid.*

Reedificatio. Onus reedificationis Eccleſiæ diſmembratæ ex neceſſaria cauſa inſitum remanet Eccleſiæ matrici. *pag.* 109. §. *Addit*.

Fieri tamen primum debet ex reditibus Fabricæ. *pag.* 110. §. *Certum*.

Atque etiam ex decimis. *Ibid.*

Conſuetudo tamen plurimum hac in re attendendi debet. *pag.* 111. §. *Advertendum*.

Refractarii, & inhobedientes via æconomia cohibendi ſunt. *pag.* 89. §. *Expeditus*.

Regulares iter facientes, vel domi permanentes, an poſſint ſibi in confeſſarium eligere Presbyterum quemlibet ſive ſæcularem, ſive Regularem a nemine approbatum *pag.* 111. §. *Et primo*, & *pag.* 115. §. *Gravior*.

An id liceat, quando in loco ubi degunt adſint Confeſſarii approbati. *pag.* 113. §. *Multoque*.

An id licuerit ante Concilium? *pag.* 112. §. *Addit*.

Regularium privilegia quoad electionem Confeſſarii quæ ſint, & quomodo intelligenda. *pag.* 112. §. *Nec diverſimodè*, *pagin.* 116. §. *In hoc*, & *ſeq.* & *pag.* 118. §. *Illud*.

Quoad exemptionem a ſolutione decimarum expenduntur. *pag.* 162. §. *De privilegiis*; & *ſeq.*

Privilegia hujuſmodi ceſſant, quoties Eccleſias Parochiales enormiter lædunt. *pag.* 157. §. *Perperamque*.

Renunciatio emiſſa abſque ſolemnitatibus juris communis, vel municipalis irrita eſt. *pag.* 34. §. *Addit*.

Reſcindi non debet Tranſactio bona fide, & cum idonea compenſatione ſtipulata, etiamſi nova jura, vel ducumta reperta deinde fuerint *pag.* 21. §. *Abſonum*.

Reſolutio capta in comitiis nullius eſt roboris quando interpellati non fuerint omnes, qui vocandi erant. *pag.* 5. §. *Nihil*.

Capta unanimi omnium ſuffragantium ſententia, eſt exequenda. *pag. ead.* §. *Animadvertunt*.

Vim enim habet contractus, præciſæque obligationis, a qua recedere non licet. *pag.* 87. §. *Contendit*.

Maxime ſi receſſus tendat in aliorum præjudicium, quibus fuerit jus quæſitum. *Ibid.*

Reſtauratio Eccleſiæ Parochialis fieri debet ſumptibus illorum, qui proventus percipiunt, quorum nomine veniunt etiam Decimæ. *pag.* 109. §. *Nunc*.

Nec niſi in ſubſidium adigi poteſt Populus, & Patronus. *Ibid.*

Revocari non poteſt quidquid ſuit ſemel admiſſum, atque probatum. *pagin.* 135. §. *Demum*.

S

Sacellum. De publicis Sacellis Diœceſis Bononienſis quid decreverit S. M. Benedictus XIV. *pag.* 26. §. *Ex his*.

Sacerdos nullus dici poteſt idoneus ad excipiendas confeſſiones, niſi fuerit a ſuo Ordinario approbatus. *pagin.* 112. §. *Addit*, *pagin.* 113. §. *Animadvertit*, & *pag.* 114. §. *Quamvis*.

Nec ſine Epiſcopi approbatione, vel confirmatione admitti poteſt ad curam Animarum. *pagin.* 123. §. *Ulterius*.

Qui nullam contraxit infamiam, ab Altaris myniſterio non eſt arcendus. *pag.* 138. §. *Hinc*.

Quoad irregularitatem. Vid. *Irregularitas*.

De Sacramento Ordinis quid Concilium Tridentinum edixerit. *pag.* 145. §. *De Sacramento*.

In Sacramento pœnitentiæ quid ſit abſolutio. *pag.* 113. §. *Abſolutio*.

Sacrificia qualibet feſtivitate offeruntur in Oratorio publico. *pag.* 24. §. *Ex hac*.

Scrutinium formale non requiritur pro admiſſione alicujus in aliqua Societate, ſed ſatis eſt, quod illi de gremio non contradicant, & admiſſioni acquieſcant. *pag.* 88. §. *Nihil*.

Simulatio quæ non ſapit delictum, ſed utilis eſt, vel ſaltem Contrahentibus non perniciosa, præſumitur, etiamſi nulla concurrat ſimulandi cauſa. *pag.* 165. §. *De ſimulatione*.

Status ultimus attendi debet in Patronatibus, niſi diverſimode de pertinentia patronali conſtiterit vel per rem judicatam, vel per confeſſionem Partis, vel per legem fundationis adeo claram, ut nullam patiatur exceptionem. *pag.* 169. §. *Advertit*.

Vel pertinentia patronalis in congruo judicio alteri adjudicetur. *pag.* 170. §. *Concludit*.

Omnes enim exceptiones altiorem indaginem requirentes, ad congruum judicium ſunt reiiciendæ. *Ibid.*, & *pag.* 168. §. *Contra*.

Succeſſoribus præjudicare non poteſt Anteceſſorum negligentia. *pag.* 29. §. *Inani*, & *pag.* 122. §. *Suſtinet*.

Subdiaconatus an veram Sacramenti rationem, & virtutem habeat. *pag.* 145. §. *Prætermiſſa*.

Et quando inter Sacros Ordines cæpit numerari. *Ibid.*

Reliqua. Vid. *Ordo*.

Subdiaconus recipiens Ordinem per coactionem non præciſam, ſed cauſativam, an efflagitare poſſit diſpenſationem. *pag.* 146. §. *Verum*.

Subſidia dotalia, quæ reincidunt, an, & a quo ſint diſtribuenda. *pag.* 136. §. *Dotalia*.

Relicta Conſanguineis, eiſdem conferri debent, etiamſi non ſint pauperes. *pagin.* 164. §. *Nec*.

Debentur prelativè Deſcendentibus paupertate laborantibus. *pag.* 127. §. *Ex alia*.

Ad ſubſtantiam Baptiſmi ſufficit qualiſcumque ablutio perſonæ baptizandæ, ſive ea immerſione fiat, ſive perfuſione, ſive aſperſione. *pag.* 46. §. *Hæc ſunt*.

Subſtitutus in caſu voluntatis, cenſetur etiam ſubſtitutus in caſu incapacitatis. *pag.* 97. §. *Nec deſiderari*.

Suffragantium libertas requiritur, ut reſolutio ſit valida. *pag.* 4. §. *Accedere*.

Suffragium non competit Epiſcopo, qui interſit alicujus Sodalitatis comitiis. *pag.* 5. §. *Adduni*.

T

TAxa, quæ dicitur perpetua pro eleemoſina Miſſarum in qua quantitate fuerit præfinita. *pag.* 15. §. *Etſi*.

Tempus a jure conceſſum Patronis ad præſentandum, coerceri poteſt ad libitum Teſtatorum. *pag.* 98. §. *Contra*.

Teſtator, qui plura dotalia ſubſidia reliquit, pluribus Puellis proſpicere voluit. *pag.* 41. §. *Advertunt*.

Si ad Legatum invitaverit Juvenes alicujus Loci, quid intellexerit? *pagin.* 19. §. *Fundator*.

Ejus voluntas metienda eſt ex circumſtantiis, & veroſimili illius intentione. *Ibid.*

Verum ſi perſpicua ſit, omnibus conjecturis præferri debet. *pag.* 172. §. *Probant*, & *pag.* 173. §. *Verum*.

Teſtes allegantes propriam turpitudinem nullam fidem merentur. *pag.* 144. §. *Advertit*.

Neque conſanguinei, & affines. *pag.* 74. §. *Falſum*.

Neque ſi de auditu deponant. *pag.* 62. §. *Aſſerit*.

In materia Matrimonii non admittuntur niſi qui ſint omni exceptione majores. *pag.* 74. §. *Falſum*.

Nec ſi examini ſubjecti fuerit non citato Defenſore Matrimonii. *Ibid.*

Semel admiſſi reprobari amplius non poſſunt. *pag.* 64. §. *Defenſor*.

Teſtimonio Capellanorum deponentium de conſuetudine non applicandi Miſſas plurimùm deferri debet. *pag.* 99. §. *Demum*.

Teſtis unicus non attenditur. *pag.* 64. §. *Deſpiciendum*.

Sufficit tamen ad probandam B^a^ptiſmi collationem, præcipue ſi de facto proprio deponat, nec quidquam ſit, quod ejus dicti fidem imminuat. *pag.* 45. §. *Quamvis*, & *ſeq.*

Tranſactio bona fide, & cum idonea compenſatione ſtipulata, reſcindi non debet etiamſi nova jura, vel documenta reperta deinde fuerint. *pag.* 21. §. *Abſonum*.

Ejus natura titulum correſpectivum, & oneroſum præſefert, *pag.* 134. §. *Id autem*.

Utilius eſt tranſactionem in qualibet dubietate ſervare, quam incertæ litis, & gravium expenſarum ſubire periculum. *pag.* 21. §. *Alias*.

Triennali experimento locus eſt, quando impotentia ſit dubia, non autem quando ſit, veroſimiliter evidens. *pag.* 85. §. *Nec obeſſe*.

Quid de hoc Sacri Canones decreverint. *pag.* 86. § *De experimento*.

Titulus Patrimonii quando probari cœpit. *pagin.* 131. §. *Patrimonii*, & *ſeq.*

V

VAgus ille dicitur, qui incertis ortus Parentibus huc illuc ſemper vagatus fuerit, velpaſſus ſit infortunium omnimodæ exerſionis loci in quo natus eſt. *pagin.* 75. §. *Nec ad Vagi*, & *pag.* 77. §. *Una*.

Et qui proprio relicto domicilio, ex loco in locum ſe transfert, nullumque certum habet domicilium, vel quaſi. *pag. ead.*, & *pag.* 73. 75. §. *Addunt*.

Dum verò dicitur, quod domicilium reliquerit, intelligitur de domicilio habitationis, non originis. *pag.* 77. §. *Dum autem*.

Vagorum Parochus ille dicitur, in cujus dictione hujus generis homines verſantur *pag. ead.* §. *Una*.

De his quid Concilium Tridentinum ediſerit. *pag.* 76. *Hæc tamen*.

Ad Validitatem Baptiſmi ſufficit qualiſcumque ablutio perſonæ baptizandæ, ſive ea infuſione fiat, ſive immerſione, ſive aſperſione. *pag.* 46. §. *Hæc ſunt*.

Ad Validitatem Matrimonii qualis habitatio requiratur, ut quis alicui Parocho ſubditus dici poſſit. *pag.* 69. §. *Quod igitur*.

Neceſſe eſt, ut contrahentes domicilium habeant in loco, ubi matrimonium contrahunt. *pag.* 76. §. *Indubia*, & *ſeq.*

Et ſufficit, quod unius ſaltem menſis ſpatio in eo permanſerint. *pag.* 65. §. *Conſtare*, *pag.* 70. §. *Ex his*.

Verecundia præſumitur maxime in Viro nobili *pag.* 85. §. *Fallax*.

Vis illata in invitam, & renuentem conſtituit eſſentiam raptus. *pag.* 64. §. *Defenſor*.

Vis-

Viſitare Confraternitates poteſt Epiſcopus, & ab eorum Adminiſtratoribus rationes expocere *pag.* 89. §. *Ad III.*

Viſitatio Eccleſiarum Diœceſis expleri non poteſt, niſi de licentia Epiſcopi *pag.* 122. §. *Alii.*

Vir febri laborans inhabilis præſumitur ad conſummationem Matrimonii. *pag.* 50. §. *Inquiunt.*

Voluntas Teſtatoris intelligenda eſt juxta circumſtantias, & veroſimilem illius intentionem. *pag.* 19. §. *Fundator.*

Si tamen perſpicua ſit omnibus conjecturis præferri debet. *pag.* 172. § *Probant*, & *pag.* 173. §. *Verum.*

Voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi Baptiſmum requiritur in Adultis baptizandis. *pag.* 47. §. *Tandem.*

Et debet eſſe perfecta, & præciſa, ita ut non admittatur dubietas, aut indifferentia. *Ibid.*

Non tamen neceſſaria eſt voluntas actualis, ſed ſufficit quod præceſſerit, & moraliter perſeveret. *Ibid.*

Votum continentiæ nonniſi ex recentioribus Eccleſiæ legibus fuit Ordini Subdiaconatus adnexum. *pag.* 143. §. *Inquit.*

Vox. In paritate Vocum præferri debet, qui majoribus pollet meritis, & prærogativis. *pag.* 36. §. *Ad I. inquit.*

Unicus actus non ſufficit ad elidendam contrariam conſuetudinem. *pag.* 122. §. *Suſtinet.*

Sufficit tamen ad inducendam Ordinis ratificationem. *pag.* 145. §. *Demum.*

Teſtis unicus non attenditur. *pag.* 64. §. *Deſpiciendam.*

Admittitur tamen ad probandam Baptiſmi collationem, præcipuè ſi de facto proprio deponat, nec quidquam ſit, quod ejus dicti fidem imminuat. *pag.* 45. §. *Quamvis*, & *ſeq.*

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis propoſitis in Sac. Congregatione Concilii anno 1769.

A

ADminiſtratio bonorum ſodalitatis reſtituenda eſt officialibus, qui injuſte fuerunt remoti. *Balneoregien. Electionis Alumni* 16. *Septembr. pagin.* 103.

Admiſſio ad Collegium prælative competit habenti qualitates a Fundatore requiſitas. *Romana, ſeu Tudertina* 17. *Junii pag.*23.

Agnatæ Teſtatrici proximiores præferri debent Cognatis remotioribus in aſſequutione ſubſidiorum dotalium. *Romana, ſeu Albintimilien. ſubſidiorum Dotalium* 18. *Novembr. pag.*125.

Alimenta, & dotes de jure non debentur Puellis, quæ non ſint Teſtatrici conſanguineæ. *Lucana ſubſidiorum Dotalium* 8. *Julii pag.*39.

Applicare Miſſam pro Populo quotidie tenetur Parochus. *Calagurritana Applicationis Miſſæ pro Populo* 14. *Januar. pag.*1.

Et in caſu tenuitatis redituum tenetur ſaltem diebus feſtis. *Ibid.*

Quando plures ſunt Pagi ſub una Parochia, quæ diſtincte regitur a diverſis Parochis, omnes debent ſuffragia in unum conferre. *Ibid.*

Miſſam Conventualem applicare debent Canonici Eccleſiarum Collegiatarum. *Aretina Miſſæ Conventualis* 16. *Decembris pagin.* 149.

Et in caſu tenuitatis redituum locus eſt reductioni ad formam Conſtitutionis ſan. mem. Benedicti XIV. *Cum ſemper. Ibid.*

Miſſa applicari ſemper debet, niſi conſtet de contraria voluntate Teſtatoris. *Tridentina Applicationis Miſſarum* 16. *Septembris pag.*104.

Multo magis, quando pro ſuffragio Animæ ſit relicta. *Ibid.*

Archidiaconus reportare debet confirmationem ab Epiſcopo pro exercitio ſuæ juriſdictionis. *Monaſterien. confirmationis* 18. *Novembris pag.*125.

Attentata rejicienda ſunt e conſpectu boni juris. *Verulana Archidiaconatus* 16. *Septembris pag.*104.

C

CAnonicatus erectio a Teſtatrice demandata, quomodo fieri debeat. *Nullius ſeu Sublacen. Canonicatus* 17. *Iunii pagin.* 23.

Canonici Eccleſiarum Collegiatarum tenentur applicare Miſſam Conventualem pro Benefactoribus. *Aretina Miſſæ Conventualis* 16. *Decembr. pag.*149.

Et in caſu tenuitatis redituum locus eſt reductioni ad formam Conſtitutionis ſan. mem. Benedicti XIV. *Cum ſemper. Ibid.*

Clerus tum Regularis, tum Sæcularis tenetur contribuere taxæ pro Seminario. *Tranen. Taxæ Seminarii* 14. *Janu. pag.*1.

Capellania adjudicari debet præſentato a legitimis Patronis. *Fanen. Capellaniæ* 16. *Septembr. pag.*104.

Capitulum Cathedralis tenetur contribuere taxæ pro Seminario. *Tranen. Taxæ Seminarii* 14. *Januarii pag.*1.

Capitulo Cathedralis Conſtantien. debentur decimæ ex Novalibus Agrorum in Nuſdorff, & Burnauu Parochiæ Seelſendenſis ad formam Tranſactionis anni 1581. *Conſtantien. Decimarum* 16. *Decembr. pag.*155.

Eccleſiæ Archidiaconali Xantenſi conceſſum fuit Indultum applicandi medietatem fructuum quatuor annorum Præbendarum vacaturarum pro diſſolvendo debito ipſius Capitulis. *Colonien.* 14. *Januarii pagin.* 2.

Cappuccini ſunt capaces recipiendi eleemoſynas perpetuas. *S. Severini Eleemoſynæ* 14. *Januar. pag.* 2.

Eiſdemque debentur a die omiſſæ præſtationis. *Ibid.*

Cohabitationis triennalis experimento locus eſt, quando certo non conſtat de perpetua, & abſoluta impotentia. *Januen., ſeu Albintimilien. nullitatis Matrimonii* 16. *Septembr. pag.*103.

Ad Collegium admitti prælative debet, qui habet qualitates a Fundatore requiſitas. *Romana, ſeu Tudertina* 17. *Junii pag.*23.

Confeſſiones ſub prætextu privilegii a Regularibus factæ Sacerdoti non approbato, licitæ non ſunt. *Hildeſimen.* 18. *Novembris* ſi *pag.*125.

Etiam-

Etiamſi ignorante Epiſcopo factæ fuerint. *Ibid.*

Nec inpoſterum peragendæ, validæ futuræ erunt. *Ibid.*

Confirmatione Epiſcopi indiget Archidiaconus, ut ſuam juriſdictionem valeat exercere. *Monaſterien. Confirmationis* 18. *Novembris pag.*125.

Confraternitatis erectio in aliqua Eccleſia legitime facta præſumitur, quando vel ex conſtanti opinione, vel ex actis Viſitationum, vel ex aliis documentis id deſumatur, etiamſi deficiat Bulla erectionis. *Firmana* 28. *Januar. pag.*9.

Confratres nulliter in Societate admiſſi, ab albo ſodalium delendi ſunt. *Balneoregien. electionis Alumni* 16. *Septembris pag.*103.

Et injuſte deleti debent reintegrari. *Ibid.*

Conſenſus ad validitatem Matrimonii rite renovatur coram Parocho Loci, in quo contrahentes per aliquod tempus permanſerunt animo non diſcedendi. *Olomucen. nullitatis Matrimonii* 16. *Auguſti pag.*83.

D

DEcimæ ex Novalibus Agrorum in Nuſdorff, & Burnauu Parochiæ Seelfendenſisdebentur Capitulo Cathedralis Conſtantien. ad formam Tranſactionis anni 1581. *Conſtantien. Decimarum* 16. *Decembris pagin.* 155.

Injuſte ſequeſtro ſubjectæ ſunt reſtituendæ. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 16. *Novembris pag.*125.

Diſpenſatio ab impedimento publicæ honeſtatis denegata fuit, & quibus de cauſis. *Amicien. diſpenſationis* 29. *Julii pag.*59.

Ab Irregularitate ex homicidio dubio, & mere caſuali conceditur poſt lapſum diuturni temporis. *Tranen. Irregularitatis* 16. *Decembris pag.*166.

A voto continentiæ adnexo Ordini Subdiaconatus non conceditur, quando certo non conſtat de vi, & gravi metu, & de coacta voluntate. *Cameracen. Diſpenſationis* 16. *Decembr. pag.*149.

Domicilium ad effectum rite contrahendi Matrimonium. Vid. *Matrimonium.*

Dotes, & alimenta de jure non debentur Puellæ, quæ non ſit Teſtatrici conſanguinea. *Lucana ſubſidiorum Dotalium* 8. *Julii pag.*39.

Dotalia ſubſidia debentur proximiori Agnatæ Teſtatricis, relictis cognatis remotioribus. *Romana, ſeu Albintimilien. ſubſidiorum Dotalium* 18. *Novembr. pag.* 125.

E

ECcleſiæ Archidiaconali Xantenſi conceſſum fuit Indultum applicandi medietatem fructuum quatuor annorum Prabendarum vacaturarum pro extinguendo debito Capituli ejuſdem Eccleſiæ. *Colonien.* 14. *Januarii pag.*2.

Parochialis reædificatio ſpectat primo loco ad reditus Fabricæ, ſecundo ad Populum, tertio ad Patronum. *Spiren. reedificationis Eccleſiæ* 18. *Novembr. pag.*125.

Et Populus tenetur ſubire expenſas, quando reditus Fabricæ, & Parochiæ deficiunt. *Camerinen. reſtaurationis* 28. *Januar. pag.*10.

Hinc decretum Epiſcopi hac ſuper re editum in actu Viſitationis, Sac. Congregatio exequi mandavit. *Ibid.*

Electio coactive facta, irrita eſt. *Balneoregien. electionis Alumni* 16. *Septembris pagin.*103.

Eleemoſyna perpetua percipi poteſt a Religioſis Cappuccinis. *S. Severini Eleemoſynæ* 14. *Januarii pag.*2.

Eiſque debetur a die omiſſæ præſtationis. *Ibid.*

Epiſcopus tenetur contribuere taxæ pro Seminario. *Tranen. Taxæ Seminarii* 14. *Januarii pag.*1.

Confirmare debet Archidiaconum, ut is legitime exercere valeat ſuam juriſdictionem. *Monaſterien. Confirmationis* 18. *Novembris pag.* 125.

Ejus judicium de irrationabilitate redargui non poteſt, quando digniorem ab Examinatoribus approbatum prælegit. *Verulana Archidiaconatus* 16. *Septembris pag.*104.

Erectio Canonicatus, quomodo fieri debeat. *Nullius, ſeu Sublacen. Canonicatus* 17. *Junii pag.*23.

Societatis in aliqua Eccleſia legitime facta præſumitur, quando vel ex conſtanti opinione, vel ex actis Viſitationum, vel ex aliis documentis id eruatur, etiamſi deficiat Bulla erectionis. *Firmana* 28. *Januarii pag.*9.

Expenſæ litis fieri debent ab iis, de quorum intereſſe agitur. *Balneoregien. electionis Alumni* 16. *Septembr. pag.*103.

Et ab iis, qui liti conſenſerunt. *Viterbien. expenſarum litis* 28. *Januar. pag.*9.

Experimento cohabitationis triennalis locus eſt, quando certo non conſtat de perpetua, & abſoluta impotentia. *Januen., ſeu Albintimilien. nullitatis Matrimonii* 16. *Septembris pag.* 103.

F

FEstum. Diebus festis solemnioribus licet celebrare Missam in publico Oratorio. *Comaclen.* 17. *Junii pag.* 24.

Functiones pertinentes ad Societatem erectam in Ecclesia Parochiali fieri debent a Parocho ejusdem Ecclesiæ. *Firmana* 28. *Januarii pag.* 9.

H

EX homicidio dubio, & mere casuali, conceditur dispensatio post lapsum diuturni temporis. *Tranen. Irregularitatis* 16. *Decembris pag.* 166.

I

AB impedimento publicæ honestatis denegata fuit dispensatio, & quibus de causis. *Anicien. Dispensationis* 29. *Julii pagin.* 59.

Indultum retinendi Sanctissimum Sacramentum in Oratorio alicujus Societatis, non conceditur quando Societas erecta sit in aliqua Ecclesia. *Firmana* 28. *Januarii pagin.* 9.

Applicandi medietatem fructuum quatuor annorum Præbendarum vacaturarum, concessum fuit Capitulo Ecclesiæ Archidiaconalis Xantensis, pro extinguendo debito ipsius Capituli. *Colonien.* 14. *Januarii pagin.* 2.

Irregularitas incurritur ex delicto, quod irrogat infamiam. *Beneventana Irregularitatis* 18. *Novembr. pag.* 136.

Et ex suspicione procurati abortus. *Ib.*

Nec in isto casu conceditur dispensatio. *Ibid.*

Ab Irregularitate ex homicidio dubio, & mere casuali dispensatio conceditur post lapsum diuturni temporis. *Tranen. Irregularitatis* 16. *Decembr. pag.* 166.

Judicium Episcopi de irrationabilitate redargui non potest, quando digniorem ab Examinatoribus approbatum prælegit. *Verulana Archidiaconatus* 16. *Septembris pagin.* 104.

L

LItis expensæ fieri debent ab iis, de quorum interesse agitur. *Balneoregien. electionis Alumni* 16. *Septembr. pag.* 103.

Et ab iis, qui liti consenserunt. *Viterbien. Expensarum Litis* 28. *Januarii pagin.* 9.

M

MAtrimonium, quod contractum non fuerit coram Parocho Loci, ubi aliquis ex contrahentibus domicilium habuerit, irritum est. *Pisana nullitatis Matrimonii* 26. *Augusti pag.* 83.

Sufficit enim ad illius validitatem, quod contractum fuerit coram Parocho alterutrius ex contrahentibus. *Taurinen. nullitatis Matrimonii* 26. *Augusti pag.* 84.

Et consensus rite renovatur coram Parocho Loci, ubi contrahentes per aliquotempus permanserint animo non discedendi. *Olomucen. Nullitatis Matrimonii* 26. *Augusti pag.* 83.

Non dissolvitur, quando non probetur impotentia perpetua, & absoluta, sed locus est experimento cohabitationis triennalis. *Januen.*, *seu Albintimilien. nullitatis Matrimonii* 16. *Septembris pag.* 103.

Non irritatur ex raptu, nisi concludenter probetur, illum sequutum fuisse invita, ac renuente Puella. *Olomucen.* 26. *Augusti pag.* 83.

Mensa Episcopalis tenetur ad contributionem Taxæ pro Seminario. *Tranen. Taxæ Seminarii* 14. *Januarii pag.* 1.

Missa celebrari potest in Oratorio publico etiam diebus festis solemnioribus. *Comaclen.* 17. *Junii pag.* 24.

Applicari debet, quando non constet de contraria voluntate Testatoris. *Tridentina applicationis Missarum* 16. *Septembris pagin.* 104.

Multo magis, quando relicta est pro suffragio animæ. *Ibid.*

Ad ejus applicationem quotidie tenentur Parochi. *Calaguritana applicationis Missæ pro Populo* 14. *Januarii pag.* 1.

Sed in casu tenuitatis redituum, solum diebus festis. *Ibid.*

Quando plures sunt Pagi sub una Parochia, quæ distincte regitur a diversis Parochis, omnes tenentur suffragia in unum conferre pro toto Populo. *Ibid.*

Canonici Ecclesiarum Collegiatarum tenentur Missam applicare pro Benefactoribus. *Aretina Missæ Conventualis* 16. *Decembris pag.* 149.

Et in casu tenuitatis redituum locus est reductioni ad formam Constitutionis fan. mem. Benedicti XIV. *Cum semper. Ibid.*

Missarum reductio conceditur ob diminutionem redituum. *Lunen. Sarzanen. reductionis Missarum* 17. *Junii pag.* 23.

Qua ratione fuerit denegata in *Romana reductionis Missarum* 29. *Julii pag.* 59.

Mulieri post contractum Matrimonium non licet Professionem emittere in Religione, quando dubium oriri potest de sequuta illius consummatione. *Comen. Matrimonii* 28. *Janu. pag.* 9.

N

NOminatio Puellæ ad ſubſidium dotale legitime facta ſuſtineri debèt. *Romana ſubſidii dotalis 16. Decembr. pag.163.*

Nullitas Matrimonii perperam deducitur, quoties illud fuit contractum coram Parocho, ſub cujus ditione Mulier domicilium habebat. *Taurinen. Nullitatis Matrimonii 26. Auguſti pag. 84.*

Neque deſumitur ex raptu, niſi concludenter probetur, fuiſſe ſequutum invita, ac renuente Puella. *Olomucen. nullitatis Matrimonii 26. Auguſti pag. 83.*

O

OFficiales injuſte ab adminiſtratione remoti debent reintegrari. *Balneoregien. electionis Alumni 16. Septembr. pag.103.*

In Oratorio publico licet Miſſam celebrare etiam in diebus feſtis ſolemnioribus. *Comaclen. 17. Junii pag.24.*

P

PArochi tenentur quotidie applicare Miſſam pro Populo. *Calaguritana applicationis Miſſæ pro Populo 14. Januarii pag.1.*

Et in caſu tenuitatis redituum tenentur ad applicationem ſaltem diebus feſtis. *Ibid.*

Quando plures ſunt Pagi ſub una Parochia, quæ diſtincte regitur a diverſis Parochis omnes tenentur ſuffragia in unum conferre pro toto Populo. *Ibid.*

Jus habent peragendi Sacras functiones, quæ fieri ſolent a Societate erecta in eorum Eccleſia Parochiali. *Firmana 28. Januarii pag.9.*

Parochialis Eccleſiæ reædificatio ſpectat primo ad reditus Fabricæ, deinde ad Populum, poſtea ad Patronum, *Spiren. reædificationis Eccleſiæ 18. Novembris pag.125.*

Ejuſque reſtauratio incumbit Populo, quando Fabricæ, & Parochiæ reditus deficiunt, *Camerinen. Reſtaurationis 28. Januarii pag.10.*

Et decretum Epiſcopi hac ſuper re editum in actu Viſitationis, Sac. Congregatio exequi mandavit. *Ibid.*

Præſentatus a legitimis Patronis aſſequi debet Capellaniam. *Fanen. Cappellaniæ 16. Septembr. pag.104.*

Profeſſionem in Religione emittere non poteſt Mulier poſt contractum Matrimonium, quoties dubium oriatur de ſequuta illius conſummatione. *Comen. Matrimonii 28. Januarii pag.9.*

Puellæ Teſtatrici Agnatæ præferri debent Cognatis in aſſequutione ſubſidiorum dotalium. *Romana, ſeu Albintimilien. ſubſidiorum dotalium 18. Novembr. pag.125.*

R

RAptus non irritat Matrimonium, niſi probetur concludenter fuiſſe ſequutum invita, & renuente Puella, *Olomucen. nullitatis Matrimonii 26. Auguſti pag.83.*

Reductio Miſſarum conceditur, quando reditus ſunt diminuti. *Lunen. Sarzanen. reductionis Miſſarum 17. Junii pag.23.*

Qua ratione fuerit denegata in *Romana reductionis Miſſarum 17. Junii pag.59.*

Reædificatio Eccleſiæ Parochialis ſpectat primo loco ad reditus fabricæ, deinde ad Populum, poſtea ad Patronum. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ 18. Novembris pagin. 125.*

Regularium Confeſſiones irritæ ſunt, etiamſi ſub prætextu privilegii factæ fuerint Sacerdoti non approbato. *Hildeſimen. 18. Novembris pag.125.*

Quamvis ignorante Epiſcopo factæ fuerint *Ibid.*

Nec impoſterum peragendæ validæ futuræ ſunt. *Ibid.*

Religionem ingredi non poteſt Mulier poſt contractum matrimonium, quando dubium oriatur de ſequuta illius conſummatione. *Comen. Matrimonii 28. Januarii pag.9.*

Religioſi Cappuccini capaces ſunt recipiendi eleemoſynas perpetuas. *S. Severini Eleemoſynæ 14. Januarii pag.2.*

Eiſque debentur a die omiſſæ præſtationis. *Ibid.*

Reintegratio ad officium debetur officialibus injuſte remotis. *Balneoregien. electionis Alumni 16. Septembris pagin.103.*

Reſidentia quomodo, & quibus de cauſis coercita fuerit. *Fulden. 28. Januarii pag.11.*

Reſolutio capta in comitiis nulla eſt, quando fuerit coacta. *Balneoregien. electionis Alumni 16. Septembris pag.103.*

Reſtauratio Eccleſiæ Parochialis incumbit Parochianis, quando Fabricæ, & Parochiæ reditus deficiunt. *Camerinen. Reſtaurationis 28. Januarii, pag.10.*

Et decretum Epiſcopi hac ſuper re editum in actu Viſitationis S. Congregatio exequi mandavit. *Ibid.*

Reſtituendæ ſunt pecuniæ injuſtè ſequeſtro ſubjectæ. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ 18. Novembris pagin. 125.*

S

SAcramentum in proprio Oratorio retinere non debet Societas, quæ erecta ſit in publica Eccleſia. *Firmana 28. Januarii pag.9.*

Sacrificium debet applicari, quando non conſtat de contraria voluntate Teſtatoris. *Tri-*

dens.

dentina applicationis Miſſarum 16. *Septembris pagin.* 104.

Multo magis, quando relictum ſit pro ſuffragio Animæ. *Ibid.*

Seminarii taxam contribuere tenetur Menſa Epiſcopalis. *Tranen. Taxæ Seminarii* 14. *Januarii pag.* 1.

Atque etiam Capitulum Cathedralis. *Ibid.*

Nec non Clerus tum Sæcularis, tum Regularis. *Ibid.*

Societas erecta in aliqua Eccleſia, non poteſt retinere Sanctiſſimum Sacramentum in privato Oratorio. *Firmana* 28. *Januarii pag.* 9.

Societatis erectio in aliqua Eccleſia legitimè facta præſumitur, quando vel ex conſtanti opinione, vel ex fama, vel ex actis viſitationum, vel ex aliis documentis, id deſumatur, etiamſi deficiat Bulla erectionis. *Ibid.*

Subſidia dotalia de jure non debentur Puellæ, quæ non ſit Teſtatori conſanguinea. *Lucana Subſidiorum dotalium* 8. *Junii pag.* 39.

Debentur proximiori Agnatæ, rejectis Cognatis remotioribus. *Romana, ſeu Albintimilien. Subſidiorum dotalium* 18. *Novembris pag.* 125.

T

TAxa Seminarii confecta ab Epiſcopo fuit approbata ad rationem trium pro centenario. *Tranen. Taxæ Seminarii* 14. *Januarii pag.* 1.

Ad eam quis teneatur contribuere. *Ibid.*

Triennalis cohabitationis experimento locus eſt, quando certo non conſtat de perpetua, & abſoluta impotentia. *Januen., ſeu Albintimilien. Nullitatis Matrimonii* 16. *Septembris pag.* 103.

V

UXori non licet profeſſionem emittere in Religione, quoties dubium oriri poteſt de ſequuta matrimonii conſummatione. *Oſtien. Matrimonii* 28. *Januarii pag.* 9.

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXX.

Rmo P. D.

FRANCISCO XAVERIO
DE ZELADA

ARCHIEPISCOPO PETRENSI

SECRETARIO.

TOMUS XXXIX.

ROMÆ MDCCLXX.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM
Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno 1770. *per Diœceſes diſpoſitus.*

A

ABellinen. Irregularitatis 7. Julii *pag.* 187., 28. Julii *pag.* 197.
Acheruntina 16. Junii *pag.* 146.
Agrien. Irregularitatis 10. Martii *pag.* 62., 31. Martii *pag.* 71.
Albintimilien. Interdicti 12. Maii *pag.* 138. 16. Junii *pag.* 145.
Alexandrina Miſſæ Conventualis 7. Julii *pag.* 181., 28. Julii *pag.* 197.
Anagnina erectionis Capellaniæ 10. Februarii *pag.* 42., 10. Martii *pag.* 49.
Anconitana Capellaniæ 12. Maii *pag.* 126.
Andrien. 18. Auguſti *pag.* 215., 15. Septembris *pag.* 130.

B

BAlneoregien. Impedimenti 12. Maii *pag.* 141., 16. Junii *pag.* 145.
Bituntina Servitii Chori 15. Septembris *pag* 240., 24. Novembris *pag.* 262.
Bononien. Anniverſariorum 15. Decembris *pag.* 281.
Bononien. Reductionis 7. Julii *pag.* 191., 28. Julii *pag.* 198.

C

CÆſarauguſtana Matrimonii 10. Martii *pag.* 51.
Cæſenaten. 24. Novembris *pag.* 262., 15. Decembris *pag.* 275.
Calceaten. Reductionis 16. Junii *pag.* 153.
Camerinen., ſeu Fabrianen. Legati 20. Januarii *pag.* 1.
Camerinen. 28. Julii *pag.* 203., 18. Auguſti *pag.* 209.
Cephaluden. Diſtributionum 31. Martii *pag* 85., 28. Aprilis *pag.* 100., 18. Auguſti *pag.* 210.
Comen. 10. Martii *pag.* 65., 31. Martii *pag.* 71., 28. Julii *pag.* 204.
Conſtantien. 20. Januarii *pag.* 2.
Conſtantien. Decimarum 31. Martii *p.* 88., 28. Aprilis *pag.* 100., 18. Auguſti *p.* 212., 15. Septembris *pag.* 227.
Conſtantien. Jurisdictionis 31. Martii *pag.* 89., 28. Aprilis *pag.* 100., 18. Auguſti *pag.* 213., 15. Decembris *pag.* 227.
Cracovien. Parochialis 10. Februarii *pag.* 29., 10. Martii *pag.* 49.

E

EUgubina Canonicatus 7. Julii *pag.* 172.

F

FEſulana Miſſæ Parochialis 16. Junii *pag.* 156., 7. Julii *pag.* 171., 15. Decembris *pag.* 280.
Firmana Capellaniæ 15. Septembris *pag.* 236., 24. Novembris *pag.* 261.
Firmana Erectionis Manſionariæ 10. Februarii *pag.* 40., 10. Martii *pag.* 44., 15. Decembris *pag.* 276.
Firmana Reductionis Miſſarum 15. Decembris *pag.* 279.

G

GRatianopolitana Reſtitutionis in integrum 24. Novembris *pag.* 262., 15. Decembris *pag.* 275.

I

IMolen. 20. Januarii *pag.* 18., 10. Februarii *pag.* 28.

L

LEodien. 12. Maii *pag.* 130., 18. Auguſti *pag.* 210.
Leodien. 24. Novembris *pag.* 267., 15. Decembris *pag.* 275.

Majo-

M

MAjoricen. Reductionis 28. Julii *pag.* 201., 18. Auguſti *pag.* 209.
Mon[a]ſterien. Confirmationis 20. Januarii *pag.* 27., 10. Februarii *pag.* 29., 10. Martii *pag.* 50.
Monopolitana Donationis 20. Januarii *p.* 2.
Montis Faliſci 15. Septembris *pag.* 243., 24. Novembris *pag.* 262.

N

NEapolitana Matrimonii 31. Martii *pag.* 70., 28. Aprilis *pag.* 99.
Neocaſtren. Miſſæ pro Populo 16. Junii *pag.* 160., 7. Julii *pag.* 171., 15. Decembris *pag.* 283.
Nullius, ſeu Farfen. Canonicatus 12. Maii *pag.* 137., 16. Junii *pag.* 145.

P

PEruſina Capellaniæ Choralis 20. Januarii *pag.* 22., 10. Februarii *p.* 28.
Peruſina Viſitationis 16. Junii *pag.* 165., 7. Iulii *pag.* 171.
Piſauren. Jubilationis 7. Julii *pag.* 183., 28. Julii *pag.* 197.

R

RAguſina 31. Martii *pag.* 76., 28. Aprilis *pag.* 99.
Reatina Juris tumulandi 10. Martii *p.* 56., 31. Martii *pag.* 71.
Reatina Jubilationis 28. Aprilis *pag.* 107., 12. Maii *pag.* 119.
Reatina Mediæ Annatæ 12. Maii *pag.* 120.
Romana Laudemii 15. Septemb. *pag.* 230., 24. Novembris *pag.* 261.
Romana Capellaniarum 10. Februarii *p.* 34.
Romana Subſidiorum Dotalium 20. Januarii *pag.* 1.

S

SAbinen. Participationis 28. Aprilis *pag.* 102., 12. Maii *pag.* 119.
Senogallien. 10. Februarii *pag.* 39., 10. Martii *pag.* 49.
Spiren. Reædificationis Eccleſiæ 31. Martii *pag* 72., 28. Aprilis *pag.* 99.
Spoletana, ſeu Nullius Ferentilli Juriſdictionis 16. Junii *pag.* 150.
Spoletana Jubilationis 18. Auguſti *pag.* 223., 15. Septembris *pag.* 230., 24. Novembris *pag.* 261.
Sutrina Stalli 7. Julii *pag.* 193.

T

TAurinen. Irregularitatis 15. Septembris *pag.* 257., 24. Novembris *pag.* 262., 15. Decembris *pag.* 275.
Terracinen. 28. Aprilis *pag.* 114., 12. Maii *pag.* 119.
Tolentina Canonicatus 20. Januarii *pag.* 10.

V

VErcellen. Reductionis 28. Iulii *pag.* 198., 18. Auguſti *pag.* 209.
Verulana Archidiaconatus 20. Januarii *pag.* 13. & 28. Februarii *pag.* 28.

Die Sabbathi 20. Januarii 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUOD Eminentiſſimis Patribus hodierna die diſtribuitur Folium, Cauſas enumerat ex præterita Congregatione indeciſas, aliaſque in præſenti decidendas. Quid igitur de iis jus, æquitas, & juſtitia ſuggerat, matura, qua ſolent, deliberatione definient.

TOLENTINA CANONICATUS.

An, & quæ ſupplicatio ſit relaxanda, in caſu &c. *Seſs. 25. cap. 9 de Reform.*

Relaxandam eſſe Supplicationem Clerici Cæſaris Sparaciari.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. LEGATI.

An, & quomodo ſit locus diminutioni oneris, vel potius commutationi legati, in caſu &c. *Seſs. 22. Decret. de obſerv., & evit. in celebrat Miſs.*

Affirmativè ad primam partem juxta modum, nempe, ut in diebus Dominicis, & Feſtis retineri debeat Lampas accenſa ad Altare B. Andreæ Sanucci die tantum; & ſi aliquid ſupererit erogetur pro cera, & ad mentem; Negativè ad ſecundam.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Contendebat Archiconfraternitas Sanctiſſimæ Annunciationis Urbis, nullum Principi Alexandro Ruſpoli jus eſſe denuò conferendi ſubſidium dotale, quod per obitum Puellæ ab ipſo nominatæ, prius quam dotem conſequeretur, reincidiſſet. Cenſuit igitur memoratus Princeps Alexander *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

jura ſua experiri in Sacra Congregatione, eaque diſcutienda propoſuit die 18. Novembris anni mox elapſi. Cum tamen Eminentiſſimi PP. non denegandam exiſtimaverint dilationem ab Archiconfraternitate petitam, prodiit ea die reſcriptum = *Dilata ad ſecundam* =. Parendo igitur huic mandato ea res hodie reproponitur; Cumque Archiconfraternitas nihil huc uſque deduxerit, nihil etiam eſt, quod addatur rationum momentis, in præterito iſtius Cauſæ folio allatis, unde prævia illius reaſſumptione definiendum eſt,

An in caſibus deceſſus Puellarum nominatarum ante exactionem Subſidii dotalis, de quo agitur, ſit locus nominationi aliarum Puellarum favore Principis Ruſpoli, in caſu &c.

Affirmativè.

Seſs. 21. cap. 2. de Reform.

MONOPOLITANA DONATIONIS. Validitatem donationis prædii nuncupat. *Franceſio* a ſe ipſo expoſitam favore Natalis de Aleſſio Fratris, acriter impugnavit Paulus de Aleſſio, aſſerens, dictum prædium in titulum Patrimonii ſacri fuiſſe ſibi a Matre conſtitutum. Rationes ab utraque parte adductæ diſcutiendæ erant in Congregatione habita die 18. Novembris anni nuper elapſi, & in folio ea die diſtributo fuſius continentur. Cum tamen datum tunc non fuerit tempore habili typis edere libellum, & EE. VV. diſtribuere, dilata idcircò reſolutione, juſtum fuit, ut Cauſa proponeretur in hodierna Congregatione, edito reſcripto = *Dilata ad ſecundam* =. Nil igitur modò ſupereſt, quam, ut reaſſumpto præterito folio, perpenſiſque Collitigantium juribus, EE. VV. dubiis reſpondeant, quæ iterum proponuntur.

I *An ſuſtineatur donatio, in caſu &c.*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè, reſervato integro uſufructu. Ad II. Negativè.

Seſs. 21 cap. 2, de Reform.

CONSTANTIEN. De validitate Baptiſmi a Muliere quadam collati Marco Davidi Judæo, ejuſque Uxori, ac liberis, cum in Hoſpitali Rottemburgenſi verſarentur, actum eſt in Congregatione *diei 8. Julii anni nuper elapſi*.

Fa-

Facti species expositа in folio illius diei, pro cujus reassumptione Emi PP. rogantur, satis edocet quomodo, & qua ratione Mulier se gesserit in conferendo Baptismo. De eo autem non immeritò dubitans Reverendissimus Abbas Salemitanus, judicium Sac. Congregationis exquisierat. Verùm cum non satis ea omnia nota essent, quæ necessario scitu digna visa sunt; dilata idcirco dubii resolutione, demandatum fuit, ut scriberetur *juxta instructionem*. Datis itaque litteris Nuncio Apostolico apud Helvetios, injunctum ei fuit, ut, prævio accurato examine tum Mulieris, quæ Baptismum contulit, tum etiam Marci Davidis, ejusque Uxoris, ac Filiorum, circumstantias omnes percunctaretur. Expleto examine, acta transmisit laudatus Nuntius cum nova sua relatione, & quemadmodum expedit, ut EE. VV. omnia penitus circumspiciant, atque expendant, operæ pretium visum est interrogationes hic perscribere, acceptasque responsiones. Mulier, quæ Baptismum contulit, de his fuit interrogata.

1. *An dum versabatur cum David, ejusque Conjuge, & Familia in Hospitali Rottemburgensi ipsum inter, & Mulierem præcedenter de Baptismo sermo inciderit?*
2. *An verba, quæ protulit ipsa Mulier juxta ejus depositionem* = Ecce quilibet baptizare potest = *præcedentis sermonis consectaria fuerint, vel ex causa læthalis morbi Infantium, utque eorum æternæ saluti prospiceret, ex ore ejusdem Mulieris eruperint?*
3. *An Marcus David constans desiderium suscipiendi Baptismum cum sua familia patefecerit, imò indicaverit?*
4. *An ex verbis, quæ Mulier proferebat, atque ex aquæ effusione prædictus David, Uxor, & Filii ætate majores agnoverint, aut saltem suspicati fuerint, sibi Baptismum conferri?*
5. *An dicta Mulier Baptismum conferendo non una, vel altera aquæ gutta singulorum vestes, aut capillos adsperserit, sed tantum aquæ in singulos effuderit, ut Sacri Lavacri ritus expletus remanserit?*

Ipsa verò singulis ita respondit.

Ad 1. *Respondit, Marcum David Patrem a se devonente interrogatum, an baptizatus esset? affirmativè respondisse.*

Ad 2. *Verum esse, quod ipsa deponens dixerit, in casu necessitatis quemcumque posse conferre Baptismum, addendo, absque Baptismo nullum salvari posse. Ad alia cæteroquin, se nullam fecisse reflexionem.*

Ad 3. *Marcum David se declarasse, quod si occasio se offerret, & sibi in hujate Xenodochio per aliquod tempus commorari liceret, promptus foret Christianam amplecti Fidem, prævia tamen instructione.*

Ad 4. *Imaginari sibi non posse, quod vel ipse David, vel ejus Uxor, vel liberi animadverterint collatum sibi fuisse Baptisma.*

Ad 5. *Se deponentem, digito in aquam benedictam intincto, singulos asperssisse, signum Crucis formasse, dicendo* = Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen = *Non recordari autem, utrum ante cujuslibet personæ asperssionem totties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.*

Oblati deinde sunt tredecim articuli Marco Davidi, Saræ Uxori, & Filiis, in hæc, quæ sequuntur verba.

1. *An Marcus, & ejus Uxor voluntatem suscipiendi S. Baptismum nunquam abjecerint, aut retractaverint, eo præsertim tempore, quo ipsi a Muliere collatum fuit?*
2. *An præcedenter ex Catechesi Christiana, ipse, ejusque Conjux, & Filii ætate majores, aut legendo, aut audiendo de Christianorum ritibus, & præsertim de Baptismo, ejusque collationis forma edocti fuerint, aut notitiam habuerint?*
3. *An saltem tam ipse Marcus, quam Uxor, & Filii ætate majores, quo tempore Mulier verba proferebat, & aqua singulos abluebat in suspicionem venerint, Baptismum conferri?*
4. *Quæ verba Mulier baptizans protulit, dum duos liberos baptizavit, scilicet Rebeccam, & Abrahamum?*
5. *An aquam asperssit Infantibus, an verò vola manus captam effudit, an denique statim, & immediatè ex Urceo super caput effudit?*
6. *Quid dein ulterius fecit Mulier circa reliquos præsentes, scilicet circa Patrem, Matrem, Filium, & Filiam?*
7. *An etiam ipsis circumstantibus aquam asperssit, an verò super caput effudit singulorum?*
8. *Quid dixit Mulier, dum aquam asperssit reliquis vobis circumstantibus?*
9. *An voluistis ibidem ab eadem Muliere non solum liberos infirmos, sed etiam reliquos vos omnes baptizari?*
10. *An non putastis, oportere vos Adultos, & extra periculum constitutos prius deberi instrui, & non posse nisi in Ecclesia baptizari?*
11. *Cur toties hac æstate petiistis Baptismi gratiam pro iis pueris, qui periclitabantur ex infirmitatibus?*
12. *Scitis ne, quod æternæ damnationis reatum vobis adsciscereminì, si jam baptizati velletis rebaptizari, tantum ideo, ut aliquas pecunias, vel eleemosynas acquireretis?*
13. *Quid adhuc tantopere instatis pro Baptismi gratia, cum eamdem modo ab anno, & dimidio jam habeatis, quam post Baptismum habituri estis?*

Ad hæc tredecim interrogatoria *separatim, & ad singulos respectivè, & secundum cujusque capacitatem directa*, respondit primum Lia filia natu major annorum duodecim.

Ad 1. *Nihil.*

Ad 2. *Se nihil sciviisse de Baptismo, nec quidquam audiviisse, cum Judæi non docti in Polonia de hoc ritu (ut quidem dicebat) nihil sciant, aut loquantur, neque Parentes sui desuper ipsi aliquid locuti sint, sed tantum inter semet: Se etiam nesciviisse, quid cir-*

circa Sororem, & Fratrem ſuum juniorem Mulier illa in Hoſpitali Rottemburgico egerit; donec a Muliere, dum ipſis poſt quadrantem valediceret, audiverit, natu minimum, ſcilicet Abrahamum eſſe baptizatum, neſciens quid eſſet Baptiſmus.

Ad 3. *Minimè: Sed nec Mulierem abluiſſe reliquos circumſtantes, nec aliqua verba protuliſſe, ſed tantum aſperſiſſe aqua ex præcedente manus in Urceolam intinctione adhærentem verſus ipſos per aerem, & ſe, quantum putet, tactam aliqua gutta fuiſſe: Interim nec voluiſſe ſe tunc baptizari, nec ſuſpicatam fuiſſe, quod modo baptizetur, cum nec, ſi Baptiſmus eſſet, audierit. Sciviſſe ſe, quod Parentes Catholicam Fidem amplecti conentur, & ſe etiam voluiſſe illam Fidem amplecti, quam Parentes amplexuri eſſent, ſed modum neſciviſſe.*

Ad 4. *Protuliſſe Mulierem aliqua verba, dum Fratrem minorem, ſcilicet Abrahamum aſpergeret, & quidem clara voce; Sed autem verba illa tanquam valde ignota non retinuiſſe in memoria; Maximè cum eo tempore vix aliqua pauca, & ſummè neceſſaria verba Germanica intellexerit, eloqui potuerit; Ad alteram verò Sororem ſuam juniorem Rebeccam, cum veniſſet Mulier illa, rurſum manum in Urceum miſiſſe, quem ipſa Lia mox antea ad Fontem impleverit, & attulerit, & Rebeccam ſeorſim madefacta manu contigiſſe, ſed nihil, ut quid Abrahamum, primo loco aſperſum, audiviſſe pronunciatum de verbis. Dixiſſe tamen Mulierem poſtea: Nunc baptizati ſunt hi duo liberi: ſalvari poſſunt, ſi moriantur.*

Ad 5. *Tantum aſperſit manu in Urceum juxta ſtantem immerſa.*

Ad 6. *Aſperſit omnibus nobis circumſtantibus = vel potius verſus nos omnes =, aquam manui adhuc adhærentem, nihil dicens, & ego, ut dixi, aquam ſenſi in facie, ſed non exiſtimavi me per hoc baptizari, neque deſideravi baptizari, cum nihil ſcirem de Baptiſmo, ſed neque Pater, quantum mihi conſtat, tunc voluit ibi baptizari; ſed cum gemeret una cum Matre, quod a Jeſuitis non fuiſſent ſuſcepti in illius Civitatis Collegio ad converſionem, & mox Urbe pellendi forent, Mulier ipſa volens Parentes meos conſolari, duos juniores Infantes, ex parte etiam infirmos, ita ut ſupra* (ad quartum interrogatorium) *dixi, aſperſit.*

Ad 7. *Aſperſit tantum verſum nos, nihil dicens; Uti tamen aliquid dixit, dum aſperſit Abrahamum natu minimum.*

Ad 8. *Nihil dixit.*

Ad 9. *Neque liberos infirmos, neque liberos ſanos Parentes mei tunc deſiderabant baptizari ab illa Muliere, ſed cum Pater, & Mater triſtes eſſent, & Mater fleret, quod de Civitate Catholica iterum pellendi eſſent, infirmis cum Infantibus, illa ex proprio ſuo intellectu* (ita Puella dicebat) *non petentibus Parentibus baptizavit Abrahamum: Rebeccæ autem aquam tantum aſperſit.*

Ad 10. *Utique Jeſuitæ nobis ibidem dixerunt, ſive Lutheranus*

ve-

veniat, sive Calvinista, sive Judæus, prius debere hujusmodi instrui. Ego autem nescivi, an in domibus Baptismus conferatur, cum nec de Baptismo quid quam audiveram.

Ad 11. *Quia timuimus, ne moriatur puer elapso vere natus, & tunc periculosissimè infirmatus, qui nunc vocatur Anselmus Ivo, & alterum scilicet Abrahamum nescivimus, an a Muliere sit baptizatus, & ipse morti proximus erat.*

Ad 12. *Utique, & si Pater propter pecunias baptizari voluisset, utique apud Lutheranos potuisset oblatum in pluribus Locis, maximè in Ætingen, Baptismum, & una sustentationem accipere.*

Ad 13. *Propter felicitatem; nam qui non sunt Christiani Catholici non possunt fieri beati.*

Super iisdem articulis examinata deinde fuit Sara Uxor, quæ respondit singillatim, prout sequitur.

Ad 1. *Se habuisse voluntatem ininterruptam Baptismi suscipiendi, etiam tum, cum puer minimus baptizaretur: Sed cum hoc fieret, tale nihil vel pro puero, vel pro semet expectasse.*

Ad 2. *Se nec per Catechesm instructos fuisse, nec Patrem nostrum scivisse, nec ritum, seu modum Baptismi conferendi novisse, nec voluisse, ut Mulier Baptismum exhiberet, sed putasse, quod soli Sacerdotes possint facere Catholicos per Baptismum.*

Ad 3. *Se pro nihilo habuisse aspersionem illam, nec scire se de facto, cur Mulier ipsos circumstantes asperserit, sed mox de aquali illo bibisse, proin nil minus, quam de Baptismo suspicatam fuisse: Tanto minus, quanto minus Mulier dixerit, quid velit facere. Se non ablutam fuisse, nec aspersione tactam esse, sed tantum versus ipsos indeterminatè in aerem aliquot forte adhærentes guttas dispersisse sine verbis, sine Cruce.*

Ad 4. *Se linguæ Germanicæ ignaram non advertisse, quid dicat, vel quod aliquid dicat super Abrahamum, super Rebeccam nihil audivisse pronuntiatum, nec Crucem formatam fuisse a Muliere super Rebeccam, uti fecerat apud Abraham, ad quem primum accesserat.*

Ad 5. *Non fuisse, sed aspersisse intincta in aquali manu.*

Ad 6. *Aspersit aquam versus nos, nihil dicens, sed formans Crucem, uti apud aspersionem Abrahami.*

Ad 7. *A longè tantum aspersit, non singulis seorsim, sed fortuitò per aerem, nescio, meam carnem attactam fuisse, fortè in vestimentis aspersa sum.*

Ad 8. *Se nihil audivisse.*

Ad 9. *Se nec voluisse, ut baptizarentur liberi, nec ut baptizaretur ipsa; Quomodo ergo potuissem desiderare, ajebat, ut baptizarer, cum nec sciverim, quod Mulier possit baptizare; Ego autem incolumis eram.*

Ad 10. *Se nihil sciviſſe, nec quod non oporteret eos prius instrui; Se etiam nescivisse, an in, an verò extra Ecclesiam conferatur Baptismus.*

Ad

Ad 11. *Ut in Judaiſmo non morereretur.*

Ad 12. *Scio.*

Ad 13. *Ideo quia Fides Catholica eſt optima Fides.*

Hæc Sara Mater, de qua tamen animadvertitur, quod *non vitio naturæ, ſed accidentia puerperii ſtupidior eſt reliquis; undè lingua Germanica a Jeſuitis curſim dicta, non intellexerat, quid ii de neceſſitate præcedentis Inſtructionis locuti fuerint.*

Sequitur examen Davidis Marci Patris familias, qui ad eadem interrogatoria dixit.

Ad 1. *Per omnia, ut Uxor.*

Ad 2. *Se nullatenus inſtructos, aut in Catecheſi informatos fuiſſe, nec ritum Baptiſmi noviſſe, ſed putaſſe, quod ſolæ Sacerdotes poſſent baptizare.*

Ad 3. *Per omnia, ut Uxor, neque ſe aqua attactum fuiſſe: item ſe primum poſtea, dum Mulier eis, poſt horæ quadrantem valedixit, audiviſſe, quod Filius junior eſſet baptizatus, & in caſu mortis ſalvandus. Ex verbis autem prolatis in aſperſione pueri Abraham adhuc nihil de Baptiſmo ſuſpicatum fuiſſe: quin imò prohibiturum: nec ullo modo conceſſurum fuiſſe, ut quis ſuorum baptizaretur ſeorſim, & ſine Parentibus.*

Ad 5.)
Ad 6.) *Per omnia, ut Uxor ejus*
Ad 7.) *Sara reſpondit.*
Ad 8.)

Ad 9. *Nec voluiſſe ſe, ut baptizaretur ipſe, vel Uxor, nec ut liberi infirmi, eo quod neque apud natu minimum periculum mortis proximum fuerit. Et ſi voluiſſem, ajebat, baptizari moribundum, acceſſiſſem ad Sacerdotem, non ad Mulierem, utpote quam baptizare poſſe ignorabam. Mulier verò non expectato conſenſu, aut reſponſo, ſtatim, ut dixit =* Quid triſtamini? Quilibet homo poteſt baptizare = *ſimul intincta manu baptizavit non juſſa.*

Ad 10. *Omninò ſe putaſſe, quod eos prius oporteret inſtrui: An verò in Domo, vel in Eccleſia Baptiſmus conferatur, ſe omninò ignaraſſe.*

Ad 11. *Ut ſalvarentur, & in Cæmeterium more Chriſtiano ſepelirentur.*

Ad 12. *Scio: nec deſideraſſem Baptiſmum, ſi eſſem baptizatus, nam permaneo mendicus poſt Baptiſmum, ſicut ante. Si pecunias habere voluiſſem acceptaſſem oblatos a Judæis ducentos florenos* in Haigerloth *propè Hechingam: Item oblatas Salemij primis diebus a Servo illo Judæo, qui ſaccum plenum pecuniis, ſi redirem, mihi obtulit, ut Teſtes ſunt ij, qui in Domo Latercularia habitant propè Salem. Habuiſſem etiam apud Judeos, unde ſuſtentarer. At quid mihi cibus, & potus, quem & pecora habent? Volo ergo baptizari, ut via mihi aperiatur ad vivendum inter Catholicos catholicè, & Eccleſias Catholicas intrare mihi li-*

liceat. Nam extra valvas tantum pro concione dicentem audire interim licet. Non habeo fiduciam, quod mea ante Baptismum oratio exaudiatur. Denique volo baptizari cum meis, ut possim consequi felicitatem æternam.

Denique *Isaach* filius annum sextum egressus, & *Rebecca* filia ingressa annum quintum, super omnibus responderunt, ignorare prorsus quid actum sit, *cum ex eo tempore, unus, & dimidius jam elapsus sit annus, & ipsi ætate inferiores.*

De duobus aliis filiis *Abrahæ* scilicet, & *Anselmo* nil opus est inquirere, cum utrique infantes gravi, periculosoque morbo ægrotantes, a Sacerdote sub conditione ritè baptizati fuerint.

His igitur opportunè præmissis, ex quibus propositi dubii resolutio pendet, inquirendum est, an ex relatis responsionibus certum aliquod de validitate Baptismi eruatur argumentum, seu potius prudens emergat, & rationabilis dubitatio, ut saltem sub conditione debeat iterari, juxta ea, quæ in præterito folio perpensa sunt.

Norunt omnes, ad ritè judicandum de Baptismi valliditate inspici diligenter oportere, an adhibita fuerit præscripta a Christo Domino materia, & forma; an materia, & forma debito modo fuerit applicata; an Baptizantis adfuerit intentio; an demum, cum de Adultis agitùr, Suscipientium quoque intentio, & voluntas interceserit.

De Baptizantis intentione, nulla in præsenti casu oriri posse videtur disceptatio. Nam Mulier baptizans extrajùdicialiter requisita, qua mente Baptismum contulerit, respondit: *Se id in Ecclesia, cum Infantes a Sacro Fonte levarentur vidisse; in Catechesi se quoque audivisse, quamque personam, necessitate quadam urgente, baptizare posse, seque adductam ad id faciendum, quia nemo sine hoc Sacramento salvatur;* quemadmodum retulit in suis litteris Religiosus P. Schyvendeman, qui illam interrogaverat: Et quamvis in formali examine denuo de hoc ipso requisita non fuerit, nihilominus ex responsionum serie ad alios articulos, luculenter deprehenditur, eam fuisse Mulieris intentionem, ut Baptismum ritè conferret, sicuti in Ecclesia Catholica conferri consuevit. Dubitari autem non potest, adhibitam ad id fuisse aquam naturalem, cum omnes Testes in hoc conveniant.

Primum itaque quæstionis caput versari debet circa debitam materiæ, & formæ applicationem. Porrò aquæ applicatio, quæ generatim lotio dicitur, seu ablutio, tribus modis fieri potest, perfusione scilicet, aspersione, & immersione. Quovis autem ex his modis aqua ad baptizandum applicetur, certum est, tantum aquæ, & eo modo adhibendam esse, quantum, & quo modo sufficit, ut quis mora-

li-

liter cenſeatur aqua ablutus, perfuſus, aut tinctus. Hinc ſi una tantum, aut altera aquæ gutta corpus aſpergatur, etſi probabile ſit, Baptiſmum fuiſſe collatum, nonnulli tamen non immeritò dubitant, ut *Sylv. in 3. part. D. Thom. quæſt. 76. art. 7.*, aliique apud *Paſqualig. dec. 75.* Atque idcircò Maſtrius *Theolog. moral. diſput. 17. num 24.* docet, *aliquot ſaltem aquæ quotas neceſſarias eſſe, quæ corpus tangant cum aliqua ſui diviſione, & partium ſucceſſione.* Card. dè Lauræa *diſput. 12. de Baptiſmo num. 20.* requirit *durationem ſucceſſivam aſperſionis, etiam minimam.* Et Gobat. *de Bapt. tract. 2. num. 46.*, ſuſtinet oportere eſſe *aſperſasq uinque, vel ſex guttas.*

Neceſſe tandem præterea eſt, ut aqua immediatè corpus tangat, quia alioquin non cenſetur homo ablutus: Proindeque ſi veſtes tantum aſpergantur, nequaquam collatus erit Baptiſmus: Si verò capilli tantum, quamvis juxta varias DD. opiniones aliqui pro validitate, alii verò pro nullitate ſenſerint, nihilominus dubia ſaltem, nec ſatis tuta dijudicanda erit Baptiſmi collatio, ut aliis relatis monet *Clericat. in deciſ. Cler. Patav. ann. 1688. menſ. Mart. quæſt. 1.* Ac tandem ablutio hujuſmodi, niſi aliquid obſtet, fieri debet in capite, in quo omnes vigent hominis ſenſus, *Cap. Poſtquam diſt. 4. de Conſecrat.*, *Catechiſ. Roman. de Baptiſmo*, *& Ritual. Roman. in rubr. de Baptiſm.*. Viden. etiam Bened. XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 7. cap. 5. n. 8.*

Jam verò ex formali examine conſtat, Mulierem, quæ Baptiſmum miniſtravit, uſam eſſe aſperſione, *digito* nimirum *in aquam intincto*, ut ipſa teſtata eſt in reſponſione ad 5. interrogatorium, ſive *manu in Vrceum juxta ſtantem immerſa*, uti ad 5. pariter reſpondit Lia filia natu major. Non tamen conſtat, ſingulos ſeorſim aqua fuiſſe aſperſos, aut aquæ guttas ſingulos attigiſſe, vel ſi fortaſſe ſinguli aliqua gutta tacti fuerint, ignoratur, an ſatis fuerit, ut ablutionis vices impleverit. Quin immò liquet, Mulierem baptizantem eo modo aquam adhibuiſſe, & applicaſſe, quo adhiberi ſolet aqua luſtralis, dum Populo benedicitur. Etenim Lia ad 5. teſtatur, *Mulierem tantum aſperſiſſe aqua ex præcedente manus in Vrceolum intinctione adhærentem verſus ipſos per aerem.* Sara item Uxor ad 3. reſpondit, dictam Mulierem *tantum verſus ipſos indeterminatè in aerem aliquas fortè adhærentes guttas diſperſiſſe.* Et ſimiliter ad 7. ait, *a longe tantum aſperſit, non ſingulis ſeorſim, ſed fortuito per aerem.*

Et quamvis Lia ad 3. aſſeruerit, *ſe tactam aliqua gutta fuiſſe*; & ad 6 *aquam ſenſiſſe in faciem*; Nihilominus Sara Uxor ad 3. dixit, *ſe non ablutam fuiſſe, nec aſperſione tactam eſſe*; & iterum ad 7. *neſcio, meam carnem attactam fuiſſe, fortè in veſtimentis aſperſa ſum.* David quoque Paterfamilias ad 3. depoſuit, *neque ſe aqua attactum fuiſſe.* Et denique ipſa Mulier

baptizans ad 5. respondit, *non recordari, utrum ante cujuslibet personæ aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit*. Ex his gravis oritur dubitatio de Baptismo a Lia suscepto, ob probabilem defectum ablutionis, quæ ex una, vel altera aquæ gutta haberi non potest: Magisque grave exurgit argumentum contra Baptismum Davidis Patris familias, & Saræ Uxoris, qui nullo modo aqua fuerunt abluti.

Ex alio quoque capite collatio Baptismi, de qua agitur, in maximam venit nullitatis suspicionem, nimirum ex defectu debitæ applicationis verborum, quæ Sacramenti formam constituunt. Si enim depositiones Liæ, Saræ, & Davidis vel leviter perpendantur, apertè innotescit, nulla prolata fuisse verba a Muliere baptizante, nihilque ab ea fuisse pronunciatum, dum aqua circumstantes aspergebat, quemadmodum unanimi consensu deposuerunt omnes in responsionibus ad 3., 6., 7., & 8. articulum.

Non est tamen dissimulandum, hisce depositionibus apertè pugnare, quæ in priori extrajudiciali examine ipsa Mulier baptizans fassa fuerat, nimirum, *se aqua lustrali aspersisse utrumque Parentem, filiosque omnes, quosque seorsim, pronuntiata simul toties S. Baptismi forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Hinc inquirendum est, num Mulieri potius baptizanti præstanda sit fides, quam iis, qui Baptismum susceperunt, quique nec aqua fuisse attactos, nec verbum ullum ab ea prolatum audivisse deposuerunt. Qua quidem in re perpendere primum oportet, quod Mulier baptizans, *nedum simplex sit, & devotula, sed rectæ rationis usum, ut communis fert fama, non habeat, præsertim verno, & æstivo tempore, adeoque sæpius delirans, & mente sit confusa*, prout Reverendissimo Nuntio Apostolico apud Helvetios retulit Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ S. Mauritii ad Nicrum, qui de illius mandato dictam Mulierem formali examini subjecit. Deinde animadverti debet, quod eadem Mulier in formali examine ad quintum interrogatorium respondit, *se non recordari, utrum ante cujuslibet personæ aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit*. Ac denique notandum, quod quamvis Mulier deposuerit, se aquam benedictam in aspersione adhibuisse, nihilominus Lia filia natu major Davidis *ad* 4. dixit, *se Urceum mox antea ad Fontem impleviſſe, & attulisse*. Idemque etiam affirmavit David Marcus in responsione *ad* 10. articulum prioris examinis. Ex his erui potest, quanta fides adhibenda sit Mulieri baptizanti, præsertim cum nihil ea de re in judiciali examine loquuta fuerit.

Expendendum quoque, Adultis inesse oportere intentionem, seu propositum suscipiendi Baptismum. Quæ autem intenten-

tentio requiratur, non omnes Theologi conveniunt. Cajetanus *in 3.par.D.Thom.quæſt. 58. art. 7.* ſufficere exiſtimavit indifferentiam voluntatis, cujuſmodi eſſet in homine infideli dormiente, qui de Baptiſmo Chriſtianorum nihil unquam audiviſſet, validumque pronunciavit Baptiſmum ab eo ſuſceptum, qui nec abnuens, nec aſſentiens baptizaretur. Sententiam hanc fulcire conatus eſt auctoritate Innocentii III., qui *Cap. Majores de Baptiſmo* hæc habet = *Tunc characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obſiſtentem*. Huic tamen ſententiæ adverſati ſunt Theologi plerique, quos inter Sotus *in 4. diſt.5. quæſt.unic. art.7.*, Eſtius *in 4. diſt.4. §.10.*, Sylvius *in 3.par. quæſt.68. art.7.*, Valentia *tom.4.diſp.4.quæſt.3 punct.2.* aſſerentes, Cajetani opinionem pugnare cum ratione adducta a laudato Pontifice, qui dum cenſet cogi poſſe ad obſervantiam Fidei Chriſtianæ, qui Baptiſmi characterem ſuſceperit, excludit profecto hominem infidelem, qui abſque ſui conſenſu fuerit baptizatus. Addunt etiam, ſententiam Innocentii III. rectius deſumi ex præcedentibus verbis, quibus conſenſum, & propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum requiſivit, unde non aliter intelligi oportere verba paulo ſupra relata, quam de voluntate non repugnante, ſed conſentiente, licet non actu conſentiat. Egregiè more ſuo hac de re differit Bened.XIV. in *Conſtit.18.* incipien. *Poſtremo menſè tom.2.Bullar.*

De intentione ſuſcipiendi Baptiſmi in Lia, Sara, & David hoc unum habetur, Liam *ſciviſſe, quod Parentes Catholicam Fidem amplecti conentur, & ſe etiam voluiſſe illam fidem amplecti, quam Parentes amplexuri eſſent, ſed modum neſciviſſe*, uti *ad 3.* reſpondit: Et *ad 6.* addidit: *Aquam ſenſi in facie, ſed non exiſtimavi me per hoc baptizari, neque deſideravi Baptiſmum, cum nihil ſcirem de Baptiſmo: Sed neque Pater, quantum mihi conſtat, tunc voluit ibi baptizari: Sed cum gemeret una cum Matre, quod a Jeſuitis non fuiſſent ſuſcepti in illius Civitatis Collegio ad converſionem, & mox Urbe pellendi forent, Mulier ipſa volens Parentes meos conſolari, duos majores Infantes, ex parte etiam infirmos, ita, ut ſupra dixi, aſperſit*. Ex his patet, immediatè ſaltem ante aſperſionem propoſitum Judæis non defuiſſe ſuſcipiendi Baptiſmum, quamvis nihil de illo tunc cogitaverint, quia exiſtimarunt nequaquam poſſe a Muliere conferri. Perpendendum itaque, an voluntas amplectendi Religionem Catholicam, & propoſitum ſuſcipiendi Baptiſmum perſeverans in Judæis etiam tunc, cum nihil de Baptiſmo cogitarent, haberi poſſit pro intentione ſaltem implicita, & interpretativa. Non eſt prætereunda reſponſio, quam Sara Uxor dedit ad 1.interrogatorium, aſſerens habuiſſe voluntatem ininterruptam Baptiſmi ſuſcipiendi, etiam tum cum puer minimus bapti-

zaretur ; ſed cum hoc fieret tale nihil pro puero, vel pro ſemet expectaſſe .

Hæc adultos ſpectant , Davidem ſcilicet Patrem familias , Saram Uxorem , & Liam filiam natu majorem . Superſunt adhuc liberi , quorum duo poſtremi Infantes, Abraham ſcilicet , & Anſelmus fuerunt ſub conditione rebaptizati . De aliis verò , videlicet Iſaacho ,& Rebecca habetur , *ut quid circa ſe actum ſit prorſus ignorare comperti ſint , cum ex eo tempore unus , & dimidius jam elapſus ſit annus , & ambo ætate infirmiores* . Verum Lia Soror ad artic.3. de Rebecca aſſeruit : *Super Rebeccam nihil audiviſſe pronunciatum* . Et rurſus ad artic.4. teſtata eſt : *Cum veniſſet Mulier illa rurſum manum in Urceum miſiſſe , & Rebeccam ſeorſim madefacta manu contigiſſe , ſed nihil audiviſſe pronunciatum de verbis* . Hinc difficultas oritur tum ſuper defectu ſufficientis ablutionis , tum etiam ſuper applicatione debitæ formæ : Eademque difficultas procedit quoad Iſaachum, quem non conſtat ſeorſim aſperſum , nec ſuper illo formam fuiſſe pronunciatam .

Apoſtolicus Nuntius , ut ſuam animi ſententiam aperiat , hæc habet = Ex hac autem nova indagine , ſeu examine, = tum Davidis , tum Filiorum , & tum Mulierculæ baptizantis eædem emergunt de validitate Baptiſmi dubitandi = rationes , & ſive devotæ Mulieri , ſive Hæbreis habenda = ſit fides , prudens adeo , & rationabilis dubitatio oritur , = ut pro animi mei ſententia Baptiſmum reiterandum eſſe = exiſtimarem . Defuit ſiquidem in Adultis intentio omninò neceſſaria , nulla præceſſit Catecheſis , nemo baptizandos monuit de eliciendo doloris actu , nec de Sacramento , & Judæi nec præviderunt , nec mente conceperunt quid ageret Mulier , quidve tentaret . Quod ſi Marco Patri familiæ , qui conſenſum actualem non habuit , = aliquo modo prodeſſe poſſet voluntas , quam præcedenter = habuit , & in qua perſeveravit , ſemper deeſſet intentio = in Sara , aliiſque Adultis , cum nunquam de Baptiſmo = cogitaviſſent ignari hujuſce Sacramenti , ejuſque efficaciæ . Accedit ponderatio , quod juxta omnium examen = Mulier baptizandos aqua ſeorſim non aſperſit , nec conſtat , quoad ſingulos repetiiſſe Baptiſmi formulam , quam = non intellexiſſe aſſerunt Judæi , unde etſi de virtuali voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum nullum adeſſet dubium, tamen de ſufficienti profuſione , aut aſperſione meritò ambigendum eſt , cum vix una , aut altera aquæ gutta baptizandos tetigerit , ut aſſerunt Judæi . Adverſatur quidem = huic depoſitioni examen Mulieris , quæ ſingulos aſperſiſſe = teſtatur , repetita ſemper Baptiſmi formula , ſed inſpecta = Mulierculæ indole , aſſerentis quoque Marcum Patrem dixiſſe jam baptizatum eſſe,ejus confeſſioni plenam fidem habendam eſſe non putarem =

His

His itaque opportunè præcognitis, veſtrum erit Emi PP. reſpondere dubio, quod iterum proponitur.

An Baptiſmus ratus haberi debeat, ſeu potius ſub conditione denuò conferri, in caſu &c.

Eſſe baptizandos ſub conditione.

VERULANA ARCHIDIACONATUS. Indicto concurſu ad vacantem Dignitatem Archidiaconatus Cathedralis Eccleſiæ Verulanæ juxta legem Fundationis, & juxta Reſcriptum Sacræ Congregationis diei 27. Februarii 1768., idoneus renunciatus fuit *in primo gradu* Canonicus Speranza, *in ſecundo* verò Dominicus Perillius, & *in tertio* Salvator Tullio. Hinc Epiſcopus Verulanus, tanquam digniorem præelegit Canonicum Speranza, qui vigore Litterarum Apoſtolicarum Archidiaconatus poſſeſſionem poſtea adeptus eſt. Verum cum Sacerdos Tullius acriter conquereretur de irrationabili Epiſcopi judicio, ſimulque jactaret commiſſa in adipiſcenda poſſeſſione attentata; idcircò Canonicus Speranza ad omnem removendam controverſiam, comparandamque ſibi pacificam Archidiaconatus poſſeſſionem, duo reſolvenda propoſuit dubia, I. *An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, in caſu &c.* II. *An conſtet de attentatis*. Et die 16. Septembris anni mox elapſi, tacente Sacerdote Tullio, ad utrumque prodiit reſcriptum *Negativè*, ut ex folio illius diei, quod opportunè nunc poterit ab EE. VV. reſumi. Beneficio autem novæ Audientiæ eidem Sacerdoti impertito, jura ſua nunc ipſe deducit. *Seſſ. 24. cap. 18. de Reform.*

Et primò ait, tranſmiſſum exemplar actorum concurſus ſuſpectum maximè haberi, & acta carere forma præſcripta a Sacra Congregatione *die* 10. *Januarii* 1721. annuente ſan. mem. Clemente XI., & deinde renovata a ſan. mem. Benedicto XIV. *in Conſtitut. Cum illud* 68. *tom.* 1. *Bullar.* Suſpicionis deſumit indicia tum ex repugnantia Canonici Speranza in producendis actis originalibus; tum etiam ex inſolita methodo exhibendi reſponſiones ad nonnulla quæſita in examine propoſita, per relationem ſcilicet ad ſeparata folia, ut ex. gr. *De quarto in altero folio: De ſexto, & ſeptimo in alio folio*. Infert proinde differri ſaltem oportere cauſæ reſolutionem, donec acta originalia concurſus tranſmittantur.

Cæterum ex informi, ut ipſe aſſerit, actorum elenco ſatis deprehendi ſuſtinet, duas alias horas ultra præfixum terminum

num Canonico Speranza fuiſſe conceſſas, ut ſuas complere poſſet reſponſiones; omiſſam inſuper fuiſſe arctam reſponſionum cuſtodiam ante ſcrutinium; ſcrutinium ipſum protractum fuiſſe ad octo dies, eoque tempore potuiſſe Canonicum Speranza ex defectu cuſtodiæ ſuas reſponſiones corrigere; ac tandem nullum ex concurrentibus ad ſcrutinium fuiſſe vocatum. Concludit itaque, in omnibus prætermiſſam fuiſſe formam præſcriptam *in cit. Conſt. Cum illud*, & praxim Urbis traditam ab *Honorante in prax. Secret. Tribun. Emi Vicarii cap. 19.*, quam omnibus Eccleſiaſticis Curiis Bened. XIV., tamquam exemplar, propoſuit.

Expendit deinde conciunculam, & reſponſiones a Canonico Speranza traditas, pluribuſque verbis oſtendere nititur, eas vel erroribus ſcatere, vel confuſas eſſe, & incongruentes, vel a quæſtione prorſus alienas, ut inter monumenta cauſæ fuſius legi poterit.

Subdit minimi faciendas eſſet atteſtationes duorum Theologorum Urbis, qui ſummis extuleruut laudibus reſponſiones a Canonico Speranza datas, illas verò ipſius Sacerdotis Tullio reprobarunt. Advertit enim hujuſmodi teſtimonium extrajudiciale eſſe, ad *Text. in cap. cum Eccleſia 3. §. Partibus de cauſ. poſſeſſ.*, & *cap. licet 9. §. fin. de probat.*, juramento carere *Cap. Nuper Nobis 51. de Teſtib.*, & *Cap. Fraternitatis 15. eod. tit.*, & alterum ex iis Theologis amicitiæ ſtudio noſci abreptum. Quod ſi eorum judicio adhærendum eſſet, ipſe Sacerdos Tullio reprobari omninò debuiſſet, cum tamen fuerit ab Examinatoribus approbatus.

Plura deindè congerit idem Sacerdos Tullio de ſuis meritis, & requiſitis, & præſertim, quod civis ſit Verulanus origine, deſcendentia, & Patrimonio, proindeque prælectus a Teſtatore, qui voluit *che in concorſo di eguali requiſiti venga al Foraſtiere, ed al Cittadino, preferito il Nobile &c.* Plura etiam dicit de vili cognatione Canonici Speranza, deque documentis poſt concurſum ab eo expiſcatis, & productis, quæ tamen reiicienda dicit, juxta præſcriptum *relat. Conſt. Benedicti XIV. §. 16. ſub num. 6.*

Ad II. dubium attentata reſpiciens advertit, Cancellarium de mandato Epiſcopi noluiſſe apud acta referre appellationem a ſe interpoſitam; proindeque coactum fuiſſe illam præſentare Promothori Fiſcali, cæteriſque Curiæ Miniſtris. Subdit exhibitam quoque fuiſſe Canonico Speranza ſpecialem citationem coram Tribunali Signaturæ juſtitiæ, cum inſertione Commiſſionis directæ Sac. Rotæ Auditorio, qua tamen minime attenta Archidiaconatus poſſeſſionem adeptus eſt. Hanc itaque poſſeſſionem illicitam dicit, & a jure reprobatam *Cap. Non ſolum de Appellat. in 6. Garzias de Benef. part. 4. cap. 4. num. 16.*, ac magis enor-

enormia reddere attentata. *Cancellar. de attent. part.2. cap.12. limit.6. num.36.*, *Rot. in Recen. decis.311. num.2. part.4. tom.2.*, *& decis.305. num.19. part.6.* Præsertim quia in litteris Apostolicis expressè adjectam fuisse, contendit, litis præservationem *tam in partibus*, *quàm in Curia*; Insuperque adjectam quoque clausulam *dummodo tempore datæ præsentium non fuerit alteri jus quæsitum &c. inter quem ex una*, *& quosdam assertos Clericos*, *seu Presbyteros forsan in concursu approbatos*, *forsan lis pendet indecisa*; quam quidem clausulam aptam de per se, dicit, ad impediendam literarum Apostolicarum exequutionem, quousque lis non fuisset absoluta *Lotter. de re benef. lib.2. quæst.51. num.2.*, *Rigant. ad Reg. Cancell. tom.3. pag.83. num.148.*, *& seq.*, *Rot. dec.74. num.2.*, *& seqq. part.16. Recen.*

Neque attentata excusari posse, ait, ex quo Eminentissimus Pro-Datarius, non obstante pendentia litis, expeditionem Litterarum Apostolicarum favore Canonici Speranza concesserit, & laceratione*m Nihil transeat* ab ipso Sacerdote Tullio appositi demandaverit. Respondet enim, id actum fuisse, quia gratia Pontificis, ejusque expeditio a nemine præpediri valet; Verum præpediri potuisse affirmat illius exequutionem, prout revera impedita remansit ex inhibitione, ac litis pendentia. Fatetur etiam, appellationem nonnisi in devolutivo admitti, dum agitur de Parochialibus, juxta dispositionem *Concil. Trid. sess. 24. cap.18. de reform.*, *& Constit. S. Pij V. In conferendis*, *ac sa. mem. Benedicti XIV. cum illud*: Sed hanc regulam non servari, quando res est de beneficiis simplicibus, nullam Animarum curam adnexam habentibus, quia tunc susp*e*nsiva quoque appellatio admittitur *cap. Debitus honor de appellat.*, *cap. concertationi eod. tit.*, *Lambert. de Jurepatr. part.2. lib. 2. quæst. 11. num. 5.*

Hæc sunt, quæ Sacerdos Tullio ad sui defensionem proponit, ut doceat de irrationabili Judicio Episcopi, & de attentatis: Atquè hæc conferenda erunt cum iis, quæ Canonicus Speranza jam deduxit, quæque relata sunt in folio istius Causæ diei 16. Septembris anni nuper elapsi, ut libratis utriusque Partis juribus, Emi PP. de viribus captæ resolutionis dijudicent. Interim non abs re erit perpendere, quod pius vir Thomas Taboni fundator Archidiaconatus ita mandavit = *Seguendo la vacanza dell'Arcidiaconato nomino al medesimo in perpetuo quel soggetto, che si troverà idoneo in tempo dell'istituzione nella Discendenza mascolina del Signor Cavalier Desiderio Bisleti mio Compare, e non vi essendo nomino, e presento per sempre, & toties quoties quel soggetto, che sarà conosciuto più degno nel concorso da convocarsi con tutte le solite formalità avanti Monsignor Illustrissimo, e Reverendissimo Vescovo di Veroli pro tempore*=; In collatione idcir-

co

co hujuſce Archidiaconatus ea omnia ſervanda videntur, quæ in concurſu ad Parochiales ſervari ſolent.

Sacra Congregatio probè animadvertens, nullam certam methodum in peragendo examine deſumi poſſe vel *ex decreto Concilij ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.*, vel ex *Conſtitutione S. Pii V. In conferendis*, atque perpendens, ſæpe numero querelas ex diverſa unius, atque alterius examinis methodo excitari, formam præſcripſit *die 10. Januarii 1721.*, ubique ſervandam, quam poſtea ſa. mem. Clemens XI. approbavit, deindeque confirmavit etiam recol: me: Benedictus XIV. in Conſtitutione *cum illud la 68. Tom. 1. Bullar.*. In hac autem Conſtitutione inter cætera ſtatuitur = *Ut certum, idemque omnibus ſpatium temporis conſtituatur, intra quod caſus reſolvant, quæſtionibus reſpondeant, conciunculam componant* = De modo verò transferendi acta ad Judicem appellationis hæc habentur = *Mittantur vel acta ipſa originalia concurſus clauſa, & obſignata, vel certè unum aliquod authenticum eorum exemplum a Cancellario concurſus, atque altero Notario collatum, & auſcultatum coram Vicario, vel alio in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam Notarii Cancellario adjungendi electio pertinebit; Nec non ab Examinatoribus Synodalibus, qui concurſui interfuerunt, ſubſcriptum* = De tempore verò habendi ſcrutinia nihil decernitur, ſed *ſub §. 16. num. 5.* ita concluditur = *Subinde verò Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem*.

Præter hæc, alia quoque juxta praxim Urbis obſervantur, quæque nec in citato Sac. Congregationis decreto, neque in relata Benedictina Conſtitutione continentur, ſed referuntur ab *Honorante in prax. Secret. Tribunal. Eminentiſſimi Card. Urbis Vicarii num. 19.*. Hæc reſpiciunt cuſtodiam reſolutionum, & explicationum, quas concurrentes exaraverint, nec non diem Scrutinii, atque intereſſentiam ipſorum concurrentium in loco Scrutinii. De primo ſic legitur = *Elapſo termino duarum horarum, colliguntur reſolutiones, & explicationes a concurrentibus confectæ, & coram ſupradictis duobus Examinatoribus clauduntur in quadam capſula, quæ ſigillo Emi Vicarii conſignatur Secretario ad effectum illam cuſtodiendi uſque ad diem Scrutinii* = De altero verò habetur = = *Die poſtera, vel alia ſubſequenti die intimatur de more ſcrutinium* = Ac tandem de tertio dicitur = *Die igitur, & hora in intimatione præfinita coram Eminentia ſua &c., vocantur per ordinem concurrentes unus poſt alium, & lectis per Secretarium coram Votantibus, ipſoque concurrente primum concincula, poſtea reſolutionibus, ac dimiſſo concurrente &c.*

Hanc Urbis praxim Sacra Congregatio imitandam propoſuit cæteris Curiis Eccleſiaſticis his verbis = *Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpres, SSmo annuente ſtatuit (quod per*

per præsentes litteras encyclicas exequitur) *omnes*, *& singulos Episcopos*, *alioſque Prælatos*, *penes quos ſit jus*, *& auctoritas faciendi concurſum*, *hortari*, *ut examen hujuſmodi inſtituere non graventur*, *quale jam*, *& multæ Diœceſes*, *& Urbs ipſa obſervat*, *atque Apoſtolica etiam Dataria poſtulat*.

Inquirendum idcircò, an præſtanda ſit fides exemplari actorum concurſus, quod fuit tranſmiſſum; An inſuper probentur defectus, qui in concurſu, ſcrutinioque peragendo interfuiſſe aſſeruntur; an denique habenda ratio ſit de præelectione Canonici Speranza facta ab Epiſcopo. *In Militen. Concurſus dici* 21. *Julii* 1753. nonnulli concurrentes conqueſti fuerant, quod longius temporis ſpatium aliis conceſſum fuerit ad ſua munera explenda; Sed nihil ominus propoſito dubio = *An conſtet de Nullitate concurſus*, reſponſum fuit, *Negativè*: qua quidem reſolutione Sac. Congregatio declaravit, nequaquam pertinere ad ſubſtantiam concurſus, ut idem temporis ſpatium omnibus conſtituatur.

Quod verò pertinet ad concurrentium idoneitatem, exploratum eſt, non doctrinam tantum eſſe ſpectandam, ſed *ætatem*, quoque *mores*, *prudentiam*, *& alias res ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunas*, ut legitur *Seſſ.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*, & ſtatutum fuit *in citat. decret. Sac. Congregationis anni* 1721., *Cum non continuò*, *ſi quis eſt doctior*, *is etiam aptior*, *ſeu magis idoneus ad regimen habeatur*, *vel etiam habendus ſit*. Hinc Benedictus XIV. in relata *Conſtit. cum illud* §. 16. *num.* 4. poſtquam loquutus eſt de concurrentium doctrina, ſic pergit = *Parem*, *ni fortè majorem ſolertiam Examinatores adhibeant in perſcrutandis aliis qualitatibus regimini animarum conſentaneis*, *morum honeſtatem inquirant*, *gravitatem*, *prudentiam*, *præſtita hactenus Eccleſiæ obſequia*, *acquiſitam in aliis muneribus laudem*, *aliaque ſpectabilium virtutum ornamenta*, *doctrinæ arcto fœdere conſociandæ*. Ex quibus colligitur reprehendi non poſſe Examinatores, ſi eum, qui minus doctè ſe geſſerit, inter approbatos numerent, eique etiam præferant, qui majori elegantia, doctrina, atque eruditione propoſitis quæſtionibus ſatisfecerit, ut reſoluit Sac. Congregatio in *Cremonen. Erectionis Præbendæ Theologalis* 2. *Julii* 1729., *& in Cathacen. Præbendæ Theologalis* 14. *Januarii* 1764.

Obſervat Fagnanus in *cap. Eam te de ætat.*, *& qualit. num.* 39., Sac. Congregationem novum examen demandare conſueviſſe *dato aliquo fumo irrationabilitatis*, *& malæ præelectionis Epiſcopi*, idque probat variis exemplis, præſertim in *Piſtorien. anni* 1602., *in Feretrana* 21. *Februarii* 1612.. In dicta *Piſtorien.* contendebat Thomas Celleſius, Epiſcopum ſuam in ipſum averſionem pluries pandidiſſe, atque idcircò excluſis Examinatoribus ejuſdem Thomæ amicis, vel conſanguineis, adhibitoque Archidiacono ſuæ Familiæ in-

fenſo, qui nunquam ad exa neu vocari conſuevera t, injuſte præelegiſſe Fabium de Verdechiis ex ſola erga iſtum affectione. His igitur de cauſis plerique ex Patribus novum examen committendum cenſuerunt. Inſuper in dicta *Feretrana* cum Petrus Guccius per extrajudiciales Teſtium depoſitiones, aliaque documenta in ſuſpicionem adduxerit Epiſcopi judicium, Sacra Congregatio novum concurſum in Urbe demandavit. Aliquando etiam novum concurſum coram Metropolitano eadem Sacra Congregatio fieri præcepit, ut in *Iſelana Parochialis* 1. *Aprilis* 1719., *in Larinen. Concurſus* 2. *Septembris* 1758., *& in Urbanien. Præbendæ Theologalis* 23. *Junii* 1764.

Proderit cum his comparare, quæ a Sacerdote Tullio opponuntur, ut Epiſcopi judicium ſuſpectum, & irrationabile ſuadeat. Omnibus verò matura, qua ſolent deliberatione perpenſis, Emi PP. definient.

An ſit ſtandùm, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Non propoſita, cum ſequentibus.

Seſſ. 21. cap. 12. de Reform.

IMOLEN. Erectio in Collegiatam Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Terræ Lugi facta anno 1734. per Litteras Apoſtolicas 12. me. Clementis XII. graves peperit controverſias cum altera Collegiata S. Jacobi ejuſdem Oppidi. Ad illas perpetuo eliminandas 2. mem. Benedictus XIV. anno 1741. Collegiatam utramque ſuppreſſit, & ex utriuſque unione novam ex integro erexit SS. Petronio, & Proſpero dicatam, coactis in unum tantum corpus utriuſque ſuppreſſæ Collegiatæ Capitularibus, unica ex iis Parochia, unico etiam Capitulo efformatis, ac datis novæ huic Collegiatæ privilegiis omnibus, quæ unicuique ex ſuppreſſis antea competebant.

Indulſit autem novæ Collegiatæ Dignitatibus jus induendi Cappam magnam, aliis 22. Canonicis jus geſtandi Mozzettam violaceam, & 13. Manſionariis jus deferendi Almutiam, quæ inſignia jam omnia a Clemente XII. conceſſa fuerant dictæ Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ: Cumque hæc ipſa Collegiata S. Mariæ in antiqua eſſet poſſeſſione celebrandi Feſtum titulare Noſocomii S. Rocchi, in hac ipſa poſſeſſione perſeveravit Capitulum SS. Petronii, & Proſperi, eademque ulterius poſſeſſio confirmata poſtea fuit a Summo Pontifice Benedicto XIV. in poſterioribus litteris anni 1757.

Capitulum ideo SS. Petronii, & Proſperi quotannis in forma ſupplicationis acceſſit ad Eccleſiam S. Rocchi ad feſtum ti-

tu-

tulare ſolemniter celebrandum : ſed cum Capitulares ab anno 1764. inceſſerint, feſtumque celebraverint induti dumtaxat Rocchetto, & ſuperpelliceo, renuerunt hinc Officiales, ac Confratres Noſocomii S. Rocchi ſolitum eis ſtipendium rependere, eo quod ea occaſione uſum non fecerint nec Cappæ magnæ, nec mozzettæ, nec almutiæ. Contendit propterea Capitulum, injuſtè Confratres prætendere, ipſi obligationem ineſſe ea inſignia geſtandi in celebratione ejuſdem Feſti, proindeque petit, ut Confratres ad ſtipendii hactenus negati ſolutionem cogantur.

Ad I. inquit Capitulum, certum ſibi jus eſſe celebrandi Feſti in Eccleſia S. Rocchi. Indubium illud eſſe ex antiquiſſima conſuetudine, ex Confratrum confeſſione, ex conſtitutione Benedicti XIV.: Sibi idcirco Feſtum idem maximo cum incomodo celebranti ſolitum præſtandum eſſe ſtipendium, ſpreta qualibet circa inſignium delationem quæſtione, cum illud non intuitu inſignium, ſed in remunerationem laboris, & incomodi rependatur. Et revera ſtipendium præſtari aliis etiam Sacerdotibus, qui Divinis Officiis interſunt: idemque etiam dari conſueviſſe Presbyteris Eccleſiæ S. Mariæ, dum hæc erat tantum Parochialis, ejuſque miniſtri nullis Canonicalibus inſigniis utebantur.

Addit delationem Cappæ magnæ, & mozzettæ a Clemente XII., & Benedicto XIV. commiſſam fuiſſe arbitrio Capitularium, ita ut iis, ſi vellent, uti poſſent feſtis ſibi beneviſis: hinc cautum fuiſſe Eccleſiæ Conſtitutionibus, ut ea tantum in Feſtis ſolemnioribus expreſſe enunciatis deferrentur; nullo ideo jure Capitulares cogi poſſe ad eadem inſignia deferenda in celebratione Feſti S. Rocchi, quod inter ſolemniora expreſſe enunciata non recenſetur.

Advertit demum, rem eſſe de celebratione Feſti, ac de Divinis Officiis peragendis in diſſita Eccleſia S. Rocchi, ad quam ipſa met die 16. *æſtivi menſis Auguſti* pluries in forma ſupplicationis accedere tenetur: nimis autem grave, atque incommodum eſſe eo fervidiori tempore dicta inſignia geſtare, atque ob id pluries Sacram Congregationem Rituum declaraſſe, licere Capitularibus æſtivo tempore, dimiſſa cappa magna, Cottam ſupra rochettum deferre: ita paſſim ſervari in pluribus Collegiatis, & etiam Cathedralibus Eccleſiis; Et ita præteritis annis ſervatum fuiſſe: ſatis idcirco eſſe Canonicalia inſignia deferre, dum induta cotta ſupra Rochettum bini ex ordine Eccleſiam petant S. Rocchi, Feſtumque celebrant. Hinc ad II. concludit, ſtipendium uſque nunc injuſte denegatum ſibi eſſe omnino præſtandum, maxime quia dicta canonicalia inſignia non detulit ſumma bona fide, quam induxerat tum contrarius præcedentium annorum uſus, tum etiam ſocia Ordinarii approbatio.

Contra vero ad I. ajunt Deputati Noſocomii S. Rocchi, ſe libera potirì Eccleſiæ adminiſtratione, ac facultate ad Sac. functiones vocandi Eccleſiaſticos magis ſibi beneviſos, & ad titulare propriæ Eccleſiæ feſtum, majori qua poteſt pompa celebrandum: invitato itaque Capitulo, ut interſit cum canonicalibus inſigniis cappæ magnæ, mozzettæ, & Almutiæ, nullum ei ſtipendium deberi, niſi canonicalia illa inſignia deferat, nam alias ejus mentem non implet, qui ipſum invitavit.

Nec obeſſe jactatam Capituli poſſeſſionem accedendi ad ejuſdem Feſti celebrationem. Rem ſiquidem eſſe de Titulari Feſto, quod uſque nunc, qua majori potuit pompa, ac decore celebrari ſemper conſuevìt: Ante erectionem Eccleſiæ S. Mariæ in Collegiatam illius miniſtrum ſuperpelliceo, ac ſtola indutum acceſſiſſe: poſt erectionem vero in Collegiatam delata ſemper fuiſſe a Capitularibus inſignia cappæ magnæ, mozzettæ, & almutiæ: hæc demum inſignia perpetuo delata quoque fuiſſe, & poſt erectionem novæ collegiatæ SS. Petronii, & Proſperi. Eam igitur fuiſſe præteriti temporis poſſeſſionem, ut feſtum S. Rocchi ſolemniori pompa cum dictis inſigniis fuerit celebratum, nec aliter capitulares ſuæ poſſeſſioni niti poſſe, quam ſi iiſdem inſigniis induti ad Feſti celebrationem accedant.

Deſpecta penitus excuſatione incommodi æſtivi temporis; nam Capitulares eadem inſignia deferunt tam in propria Eccleſia, quam in functionibus Eccleſiaſticis extra eam agendis: ſic jugiter ſervant in Feſtis *die* 11., & 27. *Aprilis*, & 15. *menſis Auguſti* in diſſita Eccleſia B. M. V. *del Molino* extra Oppidum ſita, item prima die Dominica menſium *Maii*, & *Junii* in Eccleſia Sodalitii SSmi Corporis Chriſti, aliiſque pluribus feſtis, quæ in exteris aguntur Eccleſiis, & in omnibus ſupplicationibus, in quibus Capitulares elata Cruce, & collegialiter incedunt: Abſonum igitur eſſe, ut minori pompa accedere velint ad ſolemne Feſtum S. Rocchi celebrandum, pro quo congruum eis ſtipendium rependitur. Hinc ad II. concludunt, nullum eis deberi ſtipendium pro iis annis, quibus minus ſolemni decore ipſis placuit ad titulare Feſtum S. Rocchi intervenire.

Ambigi nequit de antiquiſſima poſſeſſione celebrandi Feſtum Titulare Eccleſiæ S. Rocchi primum penes Parochialem Eccleſiam, & dein Collegiatam S. Mariæ, intra cujus limites Eccleſia S. Rocchi ſita erat, & poſtremo tempore penes novam Collegiatam Eccleſiam SS. Petronio, & Proſpero dicatam, ad quam omnia jura ſuppreſſæ Parochialis, ac Collegiatæ S. Mariæ translata fuerunt. Hanc autem ipſam poſſeſſionem plene etiam confirmavit Benedictus XIV. in ſuis Apoſtolicis Literis anni 1757. in quibus hæc habentur: *Quia vero Capitulum, & Canonici dictæ Collegiatæ Eccleſiæ, & Parochialis SS. Petronii, & Proſpe-*

ſperi reperiuntur in poſſeſſione ſe conferendi ad decantandum Veſperas, & Miſſas in Feſtivitatibus Principalibus in uno S. M. de Limite nuncupat, & altero S. Rocchi reſpective Xenodochiis intra limites dictæ Eccleſiæ S. Franciſci de Paula in Parochialem per nos erectæ &c., prout etiam celebrandi anniverſaria eorumdem Xenodochiorum, ut Capitulum, & Canonici præfati in eadem poſſeſſione perpetuo continuare debeant &c.

Quæſtio itaque tantum eſt de inſignium delatione in acceſſu ad eamdem Eccleſiam S. Rocchi, & in Divinis Officiis celebrandis. Indulſerat autem ſa. mem. Clemens XII. Præpoſito, Canonicis, & Manſionariis ſuppreſſæ Eccleſiæ S. Mariæ, *ut Præpoſitus cappam magnam cum ſuis caudis oblongis uſque ad ſolum, & caputio violacei coloris, & pellibus armellinis ſupra Rocchettum album cum ſuis manicis, Canonici vero mozzettam pariter violacei coloris ſupra Rochettum album cum ſuis manicis, Manſionarii autem almutias tam in dicta Parochiali Eccleſia S. Mariæ, quam extra eam etiam in proceſſionibus, quam aliis actibus, & functionibus &c. quibuſvis anni temporibus, & diebus, & juxta temporum opportunitatem deferre, & geſtare, eiſque uti libere, ac licite poſſint, & valeant.*

Hocque ipſum indultum quoad novam Collegiatam SS. Petronii, & Proſperi confirmavit Benedictus XIV. in hujus erectione anni 1741. = *Ac indulto a dicto Clemente Prædeceſſore, ut præfertur, conceſſo, videlicet deferendi, & geſtandi quoad unum, & alterum Præpoſitum, ac Archidiaconum cappam magnam cum ſuis caudis oblongis uſque ad ſolum, & Caputium violacei coloris pellibus armellinis ſupra Rochettum album cum ſuis manicis, & quoad 22. Canonicos mozzettam pariter violacei coloris ſupra Rochettum album etiam cum ſuis manicis, quoad 13. vero Manſionarios prædictos Almutiam cum cotta, etiam poſtquam illorum numerus, ut præfertur, reductus, & novi Capituli per nos, ut præfertur, conſtituti effectus ſecutus fuerit, gaudeant &c.*

Porro cautum fuit in hujus novæ Collegiatæ conſtitutionibus ab Epiſcopo confirmatis = *Entrando in coro tanto per i dì feriali, che per i giorni di minor ſolennità, tutte le dignità egualmente, che gli Canonici dovranno ſopra l'abito talare veſtire Rochetto, e Cotta, e gli Manſionarj uſeranno la ſola cotta. Negiorni poi più ſolenni le dignità ſopra il Rochetto veſtiranno la cappa magna, e li Canonici le mozzette paonazze, e gli manſionarj oltre la cotta alzeranno le loro almuzie, conchè tutti ſi trovino veſtiti delle diviſe nel Pontificio diploma concedute, non ſolo a matutini, e alle altre ore, ma anche alle Meſſe cantate, ed a Veſperi*: ibique etiam enunciati expreſſe fuerunt ſolemniores dies, ac functiones, in quibus dicta inſignia deferenda forent, & præſertim *nelle proceſſioni tanto generali, che particolari, ma per altro ſolenni.*

Tota itaque inſpectio eſt, an iidem capitulares cogendi ſint ad dicta Pontificia inſignia deferenda in inceſſu ad Eccleſiam

siam S. Rocchi, atque in celebratione illius festi titularis. Sane Canonici Ecclesiæ etiam Collegiatæ non tam sede, & loco, sed etiam habitu distingui debent a cæteris Sacerdotibus, & Clericis *Felin. in cap. Pastoralis num. 12. de Offic. deleg.*, *Barbos. de Can.*, *& dignit. cap. 18. num. 85.*. Quantum enim Canonici præcedunt simplicibus Sacerdotibus, ac Clericis, tantumdem convenit, eos decentiori habitu insignitos esse, cum habitus in Ecclesia Dei sit præcipuum dignitatis signum *Pignattel. cons. can. 104. num. 2. tom. 4.*, *Capin. de Sacr. Polit. lib. 3. quæst. 2. num. 4.*, *Zacchia de Rep. Christ. cap. 2. num. 11.*, *Corrad. in prax. benef. cap. 1. n. 25.*, *& Rot. cor.. Lancett. dec. 154. n. 10.*

Perpendendum hinc, an distinctivo signo congrue Capitulares SS. Petronii, & Prosperi utantur, dum cottam deferunt supra Rochettum. Rochettus enim nullomodo competit simplicibus Sacerdotibus, sed tantum Canonicis, aliisque speciale Apostolicum privilegium habentibus Sac. Congr. Rit. *in Placentina 10. Julii 1621.*. Præ oculis habenda est quoque consuetudo Ecclesiarum etiam Cathedralium dimittendi æstivo tempore cappam magnam, adjecta cotta supra Rochettum, quæ consuetudo, non solum usu frequens est, sed etiam Ecclesiastico ritu approbata *Thomas. de veter., & nov. Eccl. discipl. tom. 1. part. 1. lib. 2. cap. 52. num. 4.*, *& Benedict. XIV. in Cærem. lib. 1. cap. 3. n. 3.*

Judicio itaque EE. VV. definiendum proponitur.

I. *An Capitularibus processionaliter sub Cruce accedentibus absque mozzetta, cappa magna, & almutia respective, sed tantummodo cum Rocchetto, & superpelliceo ad Ecclesiam S. Rocchi pro Divinis peragendis in Festo ejusdem Sancti debeatur solitum stipendium, & quatenus affirmative.*

II. *An debeatur dictum stipendium pro annis præteritis in casu &c.*

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

PERUSINA CAPELLANIÆ CHORALIS. Mandavit Sacerdos Marcus Antonius Cervellieri in Supremis tabulis conditis anno 1719. Marchioni Laurentio de Rubeis Exequutori testamentario, ut prædiolum nuncupatum *Ponte d'Oddo*, sive *Poggio di Carnevale* fruendum traderet Sacerdoti a se eligendo, qui tot Missas ad Altare SSmi Crucifixi in Cathedrali Ecclesia S. Laurentii Perusiæ celebraret, quot annuis illius fructibus responderent cum eleemo-

syna

ſyna manuali. Poſt obitum Exequutoris teſtamentarii ad hoc munus ſubſtituit Capitulum ejuſdem Cathedralis, cui etiam poſtquam defeciſſent Angela Paterna, ejuſque Filii, ac deſcendentes in infinitum, quibus uſumfructum reliquerat, univerſam deferri voluit hæreditatem, cum onere erigendi in eadem Cathedrali Capellaniam choralem, ad inſtar aliarum ſimilium Capellaniarum, quæ in dicta Eccleſia erectæ jam reperiebantur, injuncta Capellano duarum Miſſarum celebratione ſingulis hebdomadis in perpetuum adimplenda.

Cum Sacerdos Valentinus Bindelli Anno 1757. officiaturam ad Altare SSmi Crucifixi ad illud uſque tempus peractam dimiſiſſet, quæque calculatis fructibus Prædii *Ponte d'Oddo* taxata fuerat in ſcutis 9. 80., Capitulum Cathedralis, in quod jam migraverat munus Exequutoris Teſtamentarii, illam contulit Clerico Henrico Viti, qui ex Reſcripto Sac. hujus Congregationis obtinuit, & in partem patrimonii Sacri ad Ordines ſuſcipiendos poſſe aſſignari.

Anno autem 1767. deceſſit Angela Paterna, nullis relictis filiis; quare Capitulum Cathedralis die 22. Auguſti 1768. ad actum fundationis perpetuæ Capellaniæ Choralis devenit, favore ejuſdem Henrici Viti, qui ſolemni ritu juratus promiſit Capellaniæ onera adimplere, & Conſtitutiones Cathedralis Eccleſiæ obſervare; At cum grave nimis ei viſum fuerit onus quotidiani ſervitii Chori, cui ferendo impares exiſtimat Capellaniæ reditus, ante captam idcirco poſſeſſionem, ſupplex adiit ſa. mem. Clementem XIII., petiitque reductionem ſervitii ad dies tantum feſtos, quo modo alii nonnulli Capellani eidem Cathedrali inſervire aſſeruit. Remiſſis precibus ad Sac. Congregationem, auditoque Epiſcopo, de hac petitione occurrit hodie diſputatio.

Duo potiſſimum in medium profert Capellanus electus: primum ſcilicet, non conſtare de Teſtatoris voluntate, quoad aſſiduum, & quotidianum Chori ſervitium; undè infert, locum in præſenti caſu habere regulam, quod in ſimplicibus Capellaniis nunquam cenſeatur ineſſe onus reſidentiæ, niſi Fundator eam perſpicuè imperaverit *Gonzal. ad reg. 8. gloſſ. 5. num. 74.*, *Garz. part. 7. cap. 1. num. 58.*, *& ſeqq.*, *Card. de Luc. de benef. diſc. 6. num. 2.*, *& diſc. 58.*. Nec obeſſe, imperatam hic fuiſſe Capellaniæ erectionem, ad inſtar aliarum Capellaniarum, quæ in Cathedrali erectæ jam fuerant, quia præter celebrationem expreſſe injunctam duarum Miſſarum ſingulis hebdomadis, Teſtator nihil ſtatuit de ſervitio Chori, & relatio habita ad cæteras Capellanias, intelligi poteſt etiam de iis, quæ nonniſi incertis functionibus, vel feſtis diebus onus ſervitii adnexum habent, prout ſunt Capellaniæ, quæ dicuntur, de Orandinis.

Dein-

Deindè sustinet, fructus bonorum omnium Testatoris non excedere annua scuta 29. 50., a quibus detracta eleemosyna pro duabus Missis qualibet hebdomada, detractisque aliis oneribus Cameralibus, & Communitativis, vix superesse annua scuta novem; Redituum proindè tenuitatem non pati, ut Capellano adijciatur onus diurni servitii, cui paria non sunt emolumenta Capellaniæ, illudque proinde juxta proportionatam emolumenti quantitatem proponit esse coercendum *Card. de Luc. cit. disc. 58. num. 5.*

Despiciendam verò ait oblatam a quodam colono solutionem annuam scut. 30. pro conducendis iis tantum bonis, quæ in obitu hæredis usufructuariæ reperta sunt; tum quia Capitulum in Instrumento erectionis Capellaniæ, bona omnia comprehendit, inter quæ illud etiam nuncupatum *Ponte d'Oddo*, eorumque annuum reditum asseruit in scut. 29. 50., tum etiam quia Colonus medietatem tantum promissæ pensionis ob fructuum deficientiam persoluere potuit, Capitulum vero in præmium emissæ ab eo declarationis ab ulteriori judiciali molestia cessaverit sola contentum dominicali portione, quam recepit.

Capitulum Cathedralis contra inquit, claram esse voluntatem Sacerdotis Marci Antonii Cervellieri, non solum quoad officiaturam ad Altare SSmi Crucifixi, cum eleemosyna manuali, sed etiam quoad erectionem Capellaniæ Choralis eo modo, quo aliæ Capellaniæ in Cathedrali sunt institutæ, diminutionem proinde servitii Chori a Capellano expostulatam, apertè adversari menti Testatoris, quæ omninò servari debet *Rot. decis.* 231. *num.* 3. *part.* 14., *decis.* 28. *num. 6. part.* 19. *recent.*, & *decis.* 419. *num.* 2. *tom.* 2. *coram Molin.*

Præsertim quia Capellanus electus cum Capitulo convenit, apertisque verbis promisit *onera Capellaniæ adimplere*, & *Constitutiones Ecclesiæ Cathedralis observare*, undè arguit, ex sola unius Partis voluntate recedi non posse ab iis, quæ mutuo consensu conventa sunt, *Leg. de contract. Cod. de rescind. vendit*, *L. non idcircò Cod. de contrahen. empt.*, *leg. Nihil tam naturale ff. de regul. jur.* Animadverso etiam, quod promissionem solemni juramento roboravit Henricus, & ob id a limine judicii repelli debeat *Jason. in leg. nemo potest sub num. 46. ff. de Legat.* 1., *Seraphin. de privileg. Juram. privil. 54. num.* 2.

Addit nullam adesse justam causam commutandi Testatoris voluntatem, cum non subsistat asserta fructuum tenuitas, immò certum sit Capellaniæ reditus ascendere ad scuta 39. 80., secundum publica locationum Instrumenta, quæ optimam hac in re probationem constituunt *Rot. dec.* 3. *n.* 1. *cor. Celsi.*, *dec.* 309. *n.* 27. *part.* 17. *recent.*, *dec.* 399. *n.* 3., & 457. *num.* 3. *cor. Molin.*

Ne-

Negat reditus esse imminutos vel ob impositiones collectarum Cameralium, vel ex sumptibus melior ationum. Observat enim fructus prædii *Ponte d'Oddo* ab ipso met Capellano fuisse Summo Pontifici narratos in annuis sc. 9. 80., ut sibi in supplementum Patrimonii Sacri addiceretur. Præsumendum verò, quod collectæ detractæ tunc fuerint, cum certus prædii valor dicatur ille, qui supereſt deductis oneribus *Rot. decis. 656. num. 2. part. 3. . decis. 453. num. 1., decis. 424. num. 2. part. 4. tom 2., & decis. 343. num. 4. part. 14. recen.*. Quod autem respicit alia prædia, hæc locata fuisse dicit pro annua pensione scut. 30., cum qua præsumatur conductorem aliquid superlucrari voluisse, majorem reditum ex illis percipi censeatur, melioramenta quoque spem præbere ulteriorum fructuum in diesque concludit, quod facta Capellaniæ, de qua agitur, comparatione, cum aliis, quæ in Cathedrali Perusina erectæ sunt, ex his pleræque sunt minoris reditus, & septem præsertim, quæ annua scuta 22. 50. non excedunt.

Verùm admissa etiam afferta redituum tenuitate, advertit Capitulum, non ideo Testatoris voluntatem commutari posse, cum non concurrat justa, & necessaria causa, quæ respicere debet publicam utilitatem, & bonum publicum, *Natt. conf. 268. num. 4. tom. 2., Adden. ad decis. 217. num. 127. part. 9. tom. 1. Recen.*, non verò privatum commodum in præjudicium cultus Divini, Capellæ, & Ecclesiæ Cathedralis.

Denique considerandum proponit, Capellanum ab extrajudiciali peritia anno 1767. exarata, agnovisse, reditus Capellaniæ ad annua scuta 29. 50. ascendere, & nihilominus tredecim post menses curasse, ut ea sibi conferretur, stipulato etiam solemni instrumento, quo ad implementum onerum jurejurando sese obstrinxit. Iniquum ergo fore ab iis recedere, quæ facto, voce, ac scripto exequenda promisit *leg. Generaliter Cod. de non numerat. pecun.*

Ut rectum hac in causa judicium feratur expendenda præcipuè est Testatoris voluntas, quæ his verbis expressa noscitur = *Lascia, ordina, e prega l'infrascritto Signor Esecutore Testamentario, che seguita la sua morte consegni ad usufruttuare ad un Sacerdote, che ad esso parera la possessione di S. Marco in Vocabolo* Ponte d' Oddo . . . *E debba celebrare tante Messe, quante comporterà il frutto, che ricaverà da detta possessione per parte Domenicale nella Chiesa di S. Lorenzo di Perugia all' Altare del SSmo Crocifisso alla ragione d'un paolo per ciascuna Messa* = Deficiente autem sine filiis Angela Paterna universalem suorum bonorum hæredem nominavit *il Capitolo della Chiesa Cattedrale di S. Lorenzo di Perugia, il quale debba eriggere una Cappellania Corale in detta Chiesa di S. Lorenzo, conforme sono l'altre Cappellanie Corali, con peso, ed obbligo, che il Cappellano sia tenuto, & obbligato in perpetuo celebra-*

brare in detta Chiesa di S. Lorenzo due Messe la Settimana secondo l'intenzione di detto Signor Testatore, alla qual Cappella debba detto Reverendissimo Capitolo unirvi ancora la possessione di S. Marco Voc. Ponte d'Oddo.

His verbis, demandatam a Testatore fuisse erectionem Capellaniæ Choralis, cum onere quotidiani servitii ipse met Capellanus fassus est in supplici libello, quo postulavit *che celebrate le dette Messe, venga diminuito il peso del Coro a proporzione dell'entrare . . . ovvero ordinare, che i beni di detto beneficio si tengano in Economia, finchè mediante le nuove bonificazioni si riduca a maggior fruttato sufficiente all'adempimento di tutti, e singoli pesi prescritti dal Testatore*. Idemque professus prius fuerat, dum Capellaniam a Capitulo erectam acceptavit cum onere *inserviendi Ecclesiæ, & Choro ad instar aliorum Capellanorum d. Cathedralis*, & interposito juramento sese obstrinxit Capellaniæ onera adimplere, & Cathedralis Ecclesiæ Constitutiones observare. Facili ex his eruitur, quæ Testatoris mens, & voluntas fuerit.

Difficultas igitur versari poterit circa assertam reditnum tenuitatem, atque idcircò perpendendum erit an Missarum Eleemosyna statuenda sit ad rationem manualis, seu potius juxta taxam perpetuam, ut indè inferri valeat, quid, detracta hujusmodi eleemosyna, Capellano pro servitio Chori superstt emolumenti. Conferendi deindè erunt superextantes reditus cum onere quotidiani servitii Chori, & cum reditibus aliarum Capellaniarum, quæ in Cathedrali Perusina erectæ reperiuntur. Habenda quoque præ oculis est solemnis Capellaniæ acceptatio ab hodierno Capellano juramento firmata, qua Ecclesiæ Constitutiones observare, eique ad instar aliorum Capellanorum inservire promisit.

Nec omitti debet, quod Henricus Viti Capellaniam dimittere velit nonnullis ex iis Capellanis, qui Capellanias inferioris reditus in eadem Cathedrali possident, nonnullique etiam Clerici, promptos se exhibuerunt *di accettare la stessa Cappellania colli suoi obblighi . . . , e di adempire intieramente, e sodisfare tanto per ciò, che risguarda la celebrazione delle Messe, quanto per l'assistenza al Coro, e non domandare mai la diminuzione, e riduzzione, se non nel caso di evizzione de beni, e Fondi di detta Cappellania*.

Episcopus Perusinus plenissimè confirmat ea omnia, quæ de annuis reditibus, ac de onerum quantitate differit hodiernus Capellanus, cujus votis censet annuendum.

Perpensis proindè, quæ ab utraque parte deducuntur rationum momentis, EE. VV. decernent.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

MO-

MONASTERIEN. CONFIRMATIONIS. Inter Archidiaconos Regulares ampliſſimæ Diœceſis Monaſterien. recenſetur Præpoſitus in *Clarholtz* Ordinis Præmonſtratenſis, cui adnexus eſt Archidiaconatus Locorum *Beelen*, & *Lette*. Cum anno 1766. ad eamdem Præpoſituram fuiſſet a Capitulo Præmonſtratenſium electus Religioſus Franciſcus Philippus de Menſeren, hic renuit confirmationem, & collationem Officii Archidiaconalis ab Epiſcopo expoſcere; Quapropter opus fuit, ut auctoritate Sac. Congregationis ad id compelleretur. Diſputatum namque fuit dubium = *An Præpoſitus in Clarholtz confirmationem Epiſcopalem reportare teneatur pro exercitio prætenſæ juriſdictionis Archidiaconalis in Paræciis de Beelen.*, & *Lette in caſu &c.* = Et die 18. *Novembris* anni nuper elapſi, ſilente Præpoſito, qui nihil pro aſſerta exemptione tuenda deducit, reſponſum fuit = *Affirmativè*. Præſtat reſumere folium præcedentis Congregationis die 16. *Septembris*, in quo fuſius continetur quidquid ad rem perpendere viſum fuit. Poſt editam reſolutionem beneficium novæ audientiæ Præpoſitus imploravit, obtinuitque, ut jura ſua in hodierna Congregatione diſcutienda proponeret, ſed cum nullum adhuc exhibuerit libellum, & in ſua contumacia perſeveret, idcircò non dedignentur Emi PP. ad examen revocare ea omnia, quæ in præcedenti iſtius Cauſæ folio deducta ſunt, ut definiant.

Seſſ. 24. cap. 3. de Reform., & *Seſſ. 25. cap. 11. de Regular.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Die Sabbathi 10. *Februarii* 1770. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

CAuſas in præcedenti Congregatione indeciſas, aliaſque mox adjectas, exhibet folium, quod EE. VV. diſtribuitur, ut dubia in eo tranſcripta definiant.

Seſs.24. cap. 18. de Reform.

VERULANA ARCHIDIACONATUS.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

In deciſis, & amplius ad utrumque.

Seſſ.21.cap.12. de Reform.

IMOLEN.
I. *An Capitularibus proceſſionaliter ſub Cruce accedentibus abſque Mozzetta, Cappa magna, & Almutia reſpective, ſed tantummodo cum Rocchetto, & Superpelliceo ad Eccleſiam S. Rocchi pro Divinis peragendis in feſto ejuſdem Sancti debeatur ſolitum ſtipendium*, & quatenus affirmative
II. *An debeatur dictum ſtipendium pro annis præteritis, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius. Ad II. Affirmativè, & amplius.

Seſs.24. cap.12. de Reform.

PERUSINA CAPELLANIÆ CHORALIS.
An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum, in caſu &c

Negativè, & amplius.

MO-

MONASTERIEN. CONFIMATIONIS.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 3. de Reform., & ſeſs. 25. cap. 11. de Regular.

Dilata, & proponatur in prima etiam unica.

CRACOVIEN. PAROCHIALIS. Sententia Conſiſtorii Generalis Cracovienſis *die 7. Octobris anni* 1757., privatus fuit Parochiali Eccleſia *Kentenſi*, qua potiebatur, Sacerdos Adalbertus Daneki. Hic appellavit ad Epiſcopum Cracovienſem, qui expenſis Teſtium depoſitionibus, cognitaque aſſertorum criminum cauſa, die 17. Decembris ejuſdem anni declaravit: *Ex prælibati decreti oppoſitione quandocumque a quocumque facienda, nihil eidem admodum R.D. Daneki impingi poſſe, ipſamque decretum bonæ ejuſdem famæ amplius nocere non debere, & ad objiciendum eidem Daneki retorqueri non valere unquam*: promiſitque inſuper, eumdem Sacerdotem *ad aliud beneficium Curatum, omiſſo Kentenſi, pinguius promoturum, ac brevi proviſurum*, prout revera de Parochiali Eccleſia Oppidi *Paulovv* dictus Sacerdos paulo poſt fuit ab Epiſcopo proviſus.

Seſs. 21. cap. 6., & ſeſs. 25. cap. 14. de Reform.

Verum anno 1763. novis contra ipſum impictis criminibus, inſimulatuſque rixarum, crapulæ, illicitæ cum Mulieribus familiaritatis, & negligentiæ in officio, alia die 12. Decembris illius anni prodiit Sententia Judicis a Curia Epiſcopali Cracovien. ſubrogati, cujus vigore Parochiali Eccleſia iterum privatus fuit, aliiſque pœnis gravatus. Interjecta ab hac Sententia appellatione ad Metropolitanum Gneſnenſem, iſtius Auditor die 1. Martii 1765. pronunciavit, Curiam Epiſcopalem Cracovienſem *ex defectu canonicæ convictionis dicti Appellantis, & clarè concludentis probationis Teſtium, devenire nequaquam potuiſſe ad amotionis ſententiam, decretoque Judicii . . . . . inſubſiſtibili adinvento, ac reſpectivè eo reformato, Appellanti bonæ ipſius famæ in cauſa hac impicta nihil quidquam nocere debere.*

Ægrè tulit hanc ſententiam Promothor Fiſcalis Cracovienſis, & ad Sanctam Sedem appellavit, ſubdelegatuſque per Breve in partibus fuit Reverendiſſimus Suffaganeus Chelmenſis, & Canonicus Cracovienſis, qui *die 5. Decembris 1766.*, revocata Sententia Metropolitani Gneſnenſis, priorem Curiæ Cracovienſis confirmavit. Oportuit itaque, ut Sacerdos Daneki ad Sedem Apoſtolicam & ipſe appellaret, delegataque Cauſæ notione S. huic Congregationi, rationes ſuas EE.PP. exponit ad reſolutionem dubii, quod in calce tranſcribitur.

Et

Et primò quidem animadvertit, Beneficii privationem inter graviores pœnas a Doctoribus recenseri *Card de Luc. de Benefic. disc.* 15. *num.* 1., *Rot. coram Caprar. dec.* 284. *num.* 5., *cor. Molin. dec.* 1236. *num.* 4., & *coram Tanar. dec.* 207. *num.* 4., ac proinde tria hæc omnino requiri, videlicet, gravem causam, quæ privationem mereatur *Canon. Inventum* 16. *quæst.* 1. *cap.* 1., & ibi *gloss. de Capell. Monach.*, insuper causam plenissimè probatam *Can. Nos in quemquam* 2. *quæst.* 1. *Can. Et si tantum*, & *Can. Placuit quæst.* 2., ac tandem, quod privationis pœna infligatur juxta formam a legibus Ecclesiasticis præfinitàm *Cap. Conquerente* 7., *ibique Gloss. de restitut. Spoliat.*, *Zypæus Jur. Pontific. nov. lib.* 2. *eod. tit.* §. *Ut ergo*, *Vallens. in decret. lib.* 2. *tit.* 13. §. 5. *num.* 2.

Patet, hæc omnia desiderari in Judicio contra ipsum instituto. Neglectam quippe fuisse, dicit, in infligenda pœna formam a Sacris Canonibus præscriptam, scilicet trinam monitionem, quæ præmitti debuisset *Can. Si quispiam* 22. *dist.* 81., *Cap. sicut* 4., *Cap. Si autem* 6. *de cohabit. Cleric.* & *Mulier.*, *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*. Hac autem prætermissa, ait, Sententiam insanabili nullitatis, & injustitiæ vitio laborare *Garz. de Benef. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 182., *Rot. in Cracovien. Parochialis super bono Iure* 22. *Iunii* 1767. §. 4. *cor. R. P. D. Guerra*, etiamsi ageretur de incontinentia qualificata cum adulterio, *Rot. in cit. Cracovien.* §. 5., & crimina, quæ privationi causam præbuerunt, plenè, concludenterque justificata probarentur *Rot. in Plocen. Parochialis* 9. *Decembris* 1743. §. 9. *cor. Lana*, & *in d. Cracovien. eod.* §. 5.. Hanc autem formam adamussim servandam, ideo præscriptam a Sacris Canonibus fuisse, quia alias verificari non posset incorrigibilitas, & contumacia, ad privationem necessario probanda *Panimoll. addit. ad decis.* 149. *num.* 9.

Asserit præterea, deficere criminum probationem, cum adulterium eidem impictum cum quadam Muliere nomine Margarita non aliunde desumatur, quam ex ore ipsius Mulieris, quæ veluti propriam turpitudinem pandere non erubescens, rejici meretur, *Rot. in relat. Cracovien.* §. 6., 7., & 8.. Alios verò Testes in id adductos omninò despiciendos, quia non aliter deponunt, quam de auditu ab eadem Muliere *Rot. decis.* 202. *num.* 21. *par.* 9. *tom.* 1., & *decis.* 135. *num.* 32. *par.* 14. *Recent.*. Præsertim quia conflictantur ab aliis Testibus pro exclusione delicti inductis, qui prævalere debent, nedum ratione scientiæ, quam allegant, sed etiam quia magis verosimilia referunt *Leg. Cum de indebito ff. de probat.*, *Rot. cor. Falconer. defid. Instrum. dec.* 2. *n.* 19., & *in Rec: dec.* 11. *n.* 8. & *seq. par.* 18.

Despiciendam verò depositionem Antonii Chrapkovvicz Margaritæ Viri, tum quia inductus in testem fuit contra decretum Commissariorum ad recipiendum examen deputatorum, qui ob exceptiones, quas patiebatur, a perhibendo

do

do teſtimonio illum rejeceraut ; tum etiam quia vix ipſe Sacerdos Daneki notitiam habuit de illius examine , ſtatim de nullitate in actis conqueſtus eſt , & proteſtationem emiſit contra ſuum Procuratorem , qui examini conſenſerat , quique in committendo nullum ei præjudicium potuit inferre *Surd. deciſ.* 181. *num.* 16. , *Rot. coram Molin. dec.* 1226. *num.* 8. , *& in Interamnen. Cenſuum* 10. *Januarii* 1738. *§. final. coram Canilliaç* .

Eadem quoque repetit de aliis Teſtibus ad alia crimina comprobanda deductis , quippè quia nemo viderit , vel audiverit , vel ſciverit id, de quo loquutus eſt , vel ſolum depoſuit ex malitioſa unius , aut alterius Mulierculæ murmuratione, quæ ad ejus aures pervenerit . Ex his autem infert,procedi contra ipſum non potuiſſe ad pœnam privationis , quæ non infligitur , niſi univocæ afferantur , & concludentes delictorum probationes *Rot. coram Seraphin. dec.* 1029. *num.* 1., *coram Lancetta dec.* 1236. *num.* 9., *& in citat. Plocen. coram Lana* ; nec alii ad probandum admittuntur Teſtes ; niſi qui probatiſſimi fuerint , omnique exceptione majores *Rot. dec.* 766. *num.* 9. *tom.* 7. *coram Anſaldo* , *& in Friſingen. Parochialis* 8. *Aprilis* 1715. *§. Magis coram Scotto* . Immò ad privationem Parochi conſtare debere de inhoneſta conſuetudine obdurato corde protracta *Rot. in d. Plocen. §.* 5., *& in Confirmatoria* 15. *Junii* 1744. §. 4. *& 5. coram Card. Millino* .

Plura etiam congerit ad infringendas aliorum criminum accuſationes , contenditque , quod etiamſi legitimè probarentur , nullimodè tamen ad privationis pœnam procedi potuiſſet , cum privationi locus eſſe nequeat , niſi in caſibus a jure expreſſis *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 15. *n.* 136., *Garz. de Benefic. par.* 11. *cap.* 10. *n.* 2. , *Rot. cor. Priolo dec.* 267. *num.* 11. *& 12.* , *coram Lancetta dec.* 80. *num.* 8. , *& cor. Tanar. dec.* 207. *num.* 16.

Hinc concludit,debitam ſibi eſſe manutentionem , ſeu reintegrationem ad Parochialem Eccleſiam, nullumque jus aquiri potuiſſe Sacerdoti Thomæ Golkovvski in ſui locum ad illam inſtituto , cum poſſeſſio ab eo capta ſpoliativa , nulla , atque attentata cenſeri debeat ob impedimentum appellationis ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ *Rot. dec.* 632. *num.* 2. *part.* 1. *Recent.* , *& in Cracovien. Parochialis ſuper manutentione* 22. *Junii* 1767. *§.* 2. *coram Guerra* . Nec deveniri poſſe,ſuſtinet,ad appoſitionem Oeconomi ob prætenſam diffamationem , quia diffamatio non intercedit , niſi publica vox , & fama delictorum ortum habuerit a probis , gravibuſque Viris , inſuperque apud majorem Populi partem invaluerit, ſolidiſque comperiatur innixa fundamentis *Rot. in citat. Cracovien. Parochialis ſuper manutentione* §. 15. , *&* §. *fin.*

Ex parte Promothoris Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Cracovien.

ni-

nihil habuimus, præter libellum anno 1768. Tribunali Signaturæ Juſtitiæ diſtributum. In eo autem negat idem Promothor Fiſcalis, trinam canonicam monitionem requiri ad removendum Parochum apud ſuum gregem diffamatum, ſed illicò amovendum ſuſtinet, ne ex diffamatione Paſtoris totum ovile corrumpatur, ad *tit. de vit. & honeſt. Cleric.*, *Cap. Accepimus tit. de ætat. & qualit. præficiend.*, *Barboſ. de offic. & poteſt. Parocb. part.* 1. *cap.* 2., *Rot. in Plocen. Parochiæ* 9. *Decembris* 1743. *cor. Lana*, *& in confirmat.* 15. *Junii* 1744. *coram Millino*. Additque, plurimi habendas eſſe tres uniformes ſententias, remotionem Parochi Daneki decernentes.

Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 21. *cap.* 6. *de Reformat.*, quoad Eccleſiarum Rectores, alioſque Beneficiatos, præcipit Epiſcopis, etiam tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegatis, ut *eos, qui turpiter, & ſcandalosè vivunt, poſtquam præmoniti fuerint, coerceant, & caſtigent, & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeverent, eos beneficiis juxta SS. Canonum Conſtitutiones, exemptione, & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.*

Rurſus *ſeſs.* 25. *cap.* 14. *de Reformat.*, poſtquam Clericis pravam quamlibet cum Mulieribus conſuetudinem interdixerit, addit = *Quod ſi a Superioribus moniti, ab iis ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obventionum, & proventuum Beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſint privati, quæ Fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeverantes, ſecundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus ſuorum beneficiorum, & penſiones eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur, ſed etiam a beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam nati Sedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur, & ſi ita ſuſpenſi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuò priventur, atque inhabiles, ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in perpetuum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum.*

Circa hujuſce Conciliaris decreti intelligentiam, plures prodiiſſe Sac. Congregationis declarationes refert *Garz. de Benefic. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 186.. Inter cæteras verò has recenſet: Quod, ſcilicet, decretum illud non procedat in ſimplici incontinentia, abſque qualitate concubinatus: Quod locum habeat etiam in Clerico modò cum una, modò cum altera Muliere deprehenſo; Quod verba illa = *Si a Superioribus moniti* = intelligi debeant de monitione ſpecialiter facta, non autem de generali monitione, puta per Edictum: Quod monitiones non tantum in actu peragendæ

dæ Sac. Visitationis, sed quocumque tempore fieri possint: Quod tempus inter unam, atque alteram monitionem intercedens, arbitrio Episcopi relinquatur: Quod demum pœna, de qua in relato decreto, non incurratur a Clericis, qui semel deliquerint, etiamsi Ordinarii Edicta præcesserint, sed inflicta censeatur iis, qui in eamdem culpam reinciderint; cum prima vice puniri debeant aliis pœnis a Sacris Canonibus, & peculiaribus Ecclesiarum Statutis impositis, deinde vero si Clericus monitus speciali monitione, iterum peccaverit, tertia fructuum parte privari debeat, non tamen distributionibus quotidianis, quas præter fructus Præbendæ, ratione Canonicatus, vel Dignitatis Divinis interessendo percipiat.

Trinam proinde monitionem requirit Concilium Tridentinum, antequam Clericus prava aliqua consuetudine detentus, beneficio privetur, eamque præscriptam quoque legimus in *Cap. si quispiam* 2. *de cohabit. Cleric.*, & *Mulier.* his verbis = *Si quispiam Sacerdotum, ideſt Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, de quacumque fœmina crimine fornicationis suspectus post primam, & secundam, & tertiam admonitionem inveniatur fabulari cum ea, & aliquo modo conversari, excommunicetur.* Verum in *Cap. Si autem* 6. *eod. tit.* declaratur, duplicem tantummodo monitionem sufficere ibi = *Si autem Clerici sive in Sacris Ordinibus, sive in inferioribus constituti fornicarias detineant, nisi eas ad secundam, vel tertiam commonitionem a se dimiserint, eas contempturi de cætero, liceat tibi eos Ecclesiis, vel eorum portionibus, si quas habent, appellatione postposita, spoliare, & ipsis officia interdicere.*

His autem præmissis inquirendum erit, an prædictæ monitiones ad substantialem judicii formam ita pertineant, ut iis in totum, vel in parte omissis, privationis sententia nullitatis vitio infecta censenda sit.

Inquirendum præterea, an certæ habeantur, concludentesque criminum probationes, quarum causa tutò procedi potuerit contra Parochum Daneki ad Beneficii privationem. Præter Doctorum opinionem, qui omnes circa probationum qualitatem, & pondus conveniunt, viden. resolutiones Sacræ hujus Congregationis in *Burgi S. Donnini Parochialis* 4. *Maji* 1737., *in Pisauren. Parochialis* 2. *Augusti* 1749., & 20. *Ianuar.* 1750., ut juxta SS. Canonum dispositionem Emi PP. definiant

An subsistineatur privatio Adalberti Daneki Parochialis Ecclesiæ Paulovvien., seu potius eidem sit danda manutentio, seu reintegratio, in casu &c.

Dilata, & proponatur in prima etiam unica.

Seſſ. 23. cap. 5. de Reform.

ROMANA CAPELLANIARUM. Poſt ſolemnem tranſactionem auctoritate ſan.mem. Urbani VIII. conciliatam anno 1636. a clar. me. Cardinali Franciſco Barberini inter Domum Profeſſam Societatis Jeſu, & Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Annuntiatæ ſuper hæreditate Alexandri Valtrini, idem Cardinalis facultatibus utens ſibi a dicto Summo Pontifice tributis, quatuor ſuppreſſit ex decem Capellaniis, quas erigendas cum dote annuorum ſcutorum 500. idem Valtrinus mandaverat, ſex vero reliquas erexit in titulum in Eccleſia SS. Laurentii, & Damaſi ad nominationem Eminentiſſimi Cardinalis Titularis providendas, aſſignatis pro perpetua illarum dote locis montium 114., & aliis 8. addictis Sacriſtiæ ejuſdem Eccleſiæ.

Imminuta vero deinde ex variis locorum montium extractionibus Capellaniarum dote, earum Rectores conqueſti fuerunt coram Sacra Congregatione, propoſitoque quæſito: *An Domus Profeſſa, & Confraternitas tenerentur in futurum ſolvere Capellanis Valtrinis annuam præſtationem ſcutorum* 500. *non obſtante præfata aſſignatione locorum montium*: Reſponſum fuit die 3. Martii 1685. *Teneri proportionabiliter, & quoad liquidationem ad Emum Præfectum*.

Adverſus hanc reſolutionem obtinuit iterum audiri Domus Profeſſa, rogatiſque PP. die 17. Julii 1700. *I. An Capellanis Valtrinis debeatur integrum annuum legatum ſcutor.* 500., *ſive ſumma deficiens, non obſtante aſſignatione locorum montium, ita ut in hac parte ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, & quatenus affirmative ad primam partem. II. An ſummam deficientem teneatur præſtare Domus Profeſſa, vel Societas Sanctiſſimæ Annunciatæ, & ſic an, ſeu in qua parte ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis*: Sacra Congregatio reſpondit = *Ad I. in deciſis, & amplius*: *Ad II. Teneri Archiconfraternitatem ad ſupplendum ex effectibus deſtinatis pro augumento dotium, quibus deficientibus, providebitur, prout de jure*.

Contendens autem eadem Archiconfraternitas, ex locis montium aſſignatis pro decem dotibus a Teſtatore relictis non habere fructus pares ad earum præſtationem, omneſque alios reditus fuiſſe valde imminutos, inſtetit pro electione Periti Curialis, ſed die 3. Aprilis 1701. prodiit reſponſum= *Negative, quoad electionem Periti, & detur dubium; An, & cui de jure cedere debeat diminutio*, cujus acta diſceptatione die 4. Junii ejuſdem anni 1701. nulla capta fuit reſolutio, & negotium remiſſum fuit ad Emos *Præfectum*, & *Sperellium* pro concordia.

Propoſitum vero ab iis temperamentum, ut redituum diminutio partim cederet damno Archiconfraternitatis, partim dotium, & Capellaniarum, licet probatione dignum viſum fuerit in Congregatione diei 16. Decembris 1702., rejectum tamen extitit in poſteriori Congregatione 19. Maji

1703.

1703., in qua quum quæsitum fuerit = *An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis* = Responsum prodiit = *Prævio recessu ab ultimo loco decisis sub die 16. Decembris 1702., deberi supplementum Capellanis, a quibus autem debeatur, videatur particulariter.* Ac repetito examine die 15. Septembris 1703. = *I. An sit standum, vel recedendum a decisis, & quatenus standum. II. A quo debeatur supplementum in casu*: Responsum fuit = *Ad I. In decisis, & amplius. Ad II. Omnes teneri proportionabiliter.*

Super secunda resolutionis parte, iterum audiri obtinuit Domus Professa, ac proposito = *An, & qui teneatur proportionabiliter supplere, & pro qua rata* = Sacra Congregatio die 16. Februarii 1704. respondit, *Ad Mentem*; in cujus executionem Emus Præfectus *mandavit, exequi mandatum pro supplemento integræ summæ deficientis contra bona hæreditaria Alexandri Valtrini possessa tantum per Ven. Archiconfraternitatem.* Cumque Archiconfraternitas ab hoc decreto ad Signaturam Gratiæ provocaverit, hæc die 9. Junii 1709. rescripsit = *Archiconfraternitas utatur jure suo in eadem Congregat. Concilii, non retardata solutione Capellanis.*

Hinc supplementi onus subire debuit Archiconfraternitas, & contra ipsam anno 1704. mandatum executivum dedit A.C. pro sc. 520. 82., in qua quantitate supputatum fuit, quod in damnum Capellanorum pro tempore præterito secum tulerat sequuta redituum imminutio; adjecta insuper fuit eorum favore præservatio jurium pro aliis trimestribus postea decursis, & decurrendis. Post hæc novis etiam sequutis locorum montium extractionibus, iterumque imminutis fructibus Capellaniarum, modò postulant Capellani, ut ex effectibus destinatis in augumentum dotium penes Archiconfraternitatem existentibus sibi præstentur tum scuta 438. 46. in supplementum ejus, quod minus perceperunt pro tempore præterito, tum etiam præstetur novus fundus, cujus fructibus in futurum suppleatur annuus reditus Capellaniarum ex enarratis causis imminutus.

Inquiunt Capellani, Testatorem non certum fundum pro dote Capellaniarum assignasse, sed onus hæredibus dedisse eisdem præstandi quotannis scuta 500.; hinc quamcumque locorum montium assignationem ab hæredibus factam, vel qualecumque pactum inter ipsos initum aptum non esse ad excludendum onus hæreditati infixum præstandi eadem annua sc. 500., & aliunde supplendi solidum, quod loca montium assignata modò non reddunt. Id statutum jam sæpius fuisse iteratis Sacræ Congregationis Decretis, & sententiis, quorum justitia modò nequit in discrimen revocari.

Ambigi idcirco non posse de Archiconfraternitatis onere supplendi ratam fructuum locorum montium, quæ decrevit ob varias illorum extractiones, juxta claram resolutionem

17. Julii 17 60., quâ definitum fuit, *Archiconfraternitatem teneri ad supplendum, ex effectibus destinatis pro augumento dotium*. Jure autem opponi non posse defectum aliorum effectuum hæreditatis, quibus fieri valeat suppletio, quum constet, Archiconfraternitati assignata fuisse sc. 13000. in augumentum dotium, nec non alia sc. 2000. in ejusdem Archiconfraternitatis compendium, horum verò capitalium fructus longe exuberantes esse supplendæ modicæ quantitati annuorum scutor. 14. 30., quæ modò deficiunt fructibus locorum montium ad complendam summam scut. 500.: vel saltem ad eam supplendam omitti commode distributionem vestium, vulgo *Roverſi*, quæ ex Testatoris voluntate traduntur Puellis ad dotalia subsidia admissis.

Demum advertunt, rem esse de Capellaniis a Testatore volitis pro Sacrorum celebratione in suæ animæ expiationem, hinc earumdem assignamentum, uti redieus in Testatoris suffragium, cæteris omnibus piis legatis præferendum esse, *Card. de Luca de legat. disc. 13. num. 8.*, *Constant. vot. dec. 243. num. 7.*, *Amostaz. de causis piis lib. 2. cap. 6. num. 12.*; ac proinde, spreta quacumque reditum diminutione, æquum esse, dotalia ipsa subsidia minui, ut præscriptum Capellaniarum stipendium impleatur.

Contra vero Deputati Ven. Archiconfraternitatis excipiunt, reditus Il. montium pro decem dotibus assignatorum vix ascendere ad annua sc. 302., cæteros vero ex aliis effectibus hæreditariis non excedere annua sc. 368., computatis autem oneribus dotium, anniversariorum, distributionum, aliorumque a Testatore præscriptorum, deesse quotannis summam scut. 118.. Frustra ideo peti supplementum ex reditibus destinatis pro dotibus, quum illis ad earum traditionem non sint pares. Addunt, in Transactione anni 1635. titulo dotis Capellaniarum assignata fuisse tot Il. montium cum expressa lege, quod nec Archiconfraternitas, nec Domus Professa teneretur ad supplendum: Hanc legem approbatam fuisse a san. mem. Urbano VIII., & in ipsa locorum montium traditione adjectam: Clarum ideo pactum obesse, ne modò Capellani supplementum consequi possint.

Nec obesse iteratas Sacræ Congregationis Resolutiones cogentes Archiconfraternitatem, ac Domum Professam ad supplementum, quia emanarunt, quo tempore reditus supererant ultra mercedem Capellaniarum, & præstationem dotium, hinc justum tunc visum fuisse supplementum ex reditibus superextantibus ex clara Transactionis lege præscribentis supplementum ex eo, *quod supererit*. Modò vero nihil amplius supereſſe, imo reditus omnes nequidem esse pares ad decem præscriptas dotes præstandas, quare deficientibus reditibus superextantibus, nulli amplius supplemento locum esse posse. Plura hinc cumulant de præcipua

Te-

Teſtatoris prædilectione erga dotes, & de harum publico bono, & privilegio, ut ſuadeant nihil ex hiſce eſſe detrahendum ad Capellaniarum ſupplementum, quarum reditus adhuc aſcendunt ad ſcuta 81. contra voluntatem Teſtatoris, qui nonniſi annua ſcuta 50. ſingulis Capellanis aſſignavit.

Demùm ajunt, nullum Capellanis jus eſſe adverſus ſc. 2000. in Tranſactione Archiconfraternitati aſſignata. Advertunt enim, hæc libera, & immunia ab omni onere ei data fuiſſe: oneroſo titulo fuiſſe tributa ex cauſa adminiſtrationis hæreditatis: cauſamque habere ab ipſamet Tranſactione, unde Capellani jus ſuum deſumunt, & quam impugnare nequeunt, & revera Sacram Congregationem nunquam demandaſſe, ut ſupplementum Capellaniarum fieret ex reditibus dd. ſcut. 2000., ſed tantùm ex bonis deſtinatis pro augumento dotium.

Hiſce Archiconfraternitatis exceptionibus adhærens quoque Ven. Domus Profeſſa Societatis Jeſu de Urbe, ad repellendos Capellanos a petito ſupplemento; addit, quotam hæreditatis ſcut. 7159. ſibi liberam in Tranſactione fuiſſe ceſſam in tot II. montium liberè traditis, & ab omni vinculo exemptis, ac proinde ad nulla onera, nullumque ſupplementum teneri. Excipit quoque, dicta ſc. 7159 juxta proprium inſtitutum in Fidelium largitiones, ac Religioſorum alimoniam ſumma bona fide jam erogata, & conſumpta fuiſſe, unde nec minimum hodie ſupereſſe obulum, ex quo ſupplementum præſtari poſſit.

Advertit demùm, dicta ſc. 7159. non gratuito, ſed ſibi data fuiſſe in cauſam precum, & Sacrorum a P. Præpoſito Generali ſtatim indictorum. Se intuitu ejus ſummæ renunciaſſe opulentiſſimæ hæreditati locor. 400. montium, quæ, detractis oneribus, conſpicuum compendium ſcutor. 30000. hæredi afferebat: item ceſſiſſe nominationi Capellanorum, & electioni Puellarum. Hinc concludit, vel ex lege Tranſactionis ſe ad nullum ſupplementum cogendam eſſe, vel corruente Tranſactione reintegrandam fore ad integrum hæreditatis emolumentum.

Alexander Teſtator in ſecundo Teſtamento diei 18. Auguſti 1631. hæredem univerſalem inſtituit Ven. Domum Profeſſam Societatis Jeſu de Urbe, eique onus dedit = *Daranno ogni anno a dieci Sacerdoti ſecolari di buona vita, e fama ſc. 50. di moneta per ciaſcheduno da pagarſeli ogni tre meſi pro rata cum onere trium Miſſarum qualibet hebdomada*. Itemque: *Daranno a dieci Zitelle povere Romane, ed onorate, e che abbino li requiſiti, che hanno quelle della Santiſſima Annunziata, ſcudi 50. moneta per ciaſcuna ad effetto di monacarſi, e non altrimenti, la qual dote ſe gli dovrà dare il giorno del mio anniverſario, che dovrà farſi ogni anno nella Chieſa, ove ſarò ſepellita, al quale dovranno aſſiſtere dette Zitelle nell'abito ſuo ordinario ſen-*

ſenza alcuna dimoſtrazione eſterna, e ſimilmente v'interverranno gli ſudetti Sacerdoti, quali in quel giorno diranno la Meſſa di Requiem per l'anima mia: Per proviſione di detti Cappellani, quanto per le doti di dette Zitelle laſcio tanti ll. di monte non vacabili, che ſuppliſcano a detti debiti.

Legemque dixit in poſteriori Teſtamento diei 20. Septembris ejuſdem anni: *E caſo, che detta Caſa Profeſſa non voleſſe accettare detta Eredità con le condizioni retroſcritte, o che ne foſſe incapace per le loro Coſtituzioni, o per qualſivoglia altra cauſa, io in tal caſo gli ſoſtituiſco la Ven. Compagnia della Santiſſima Annunziata con gli ſteſſi obblighi, volendo, che dalla mia Eredità non poſſino pretender altro, che ſcudi 4000. di moneta, ed il reſtante ſe ne faccia quello, che io ordinarò piacendo a Dio in altro tempo, e non ordinando creſchino di quello avanza le doti a dd. Zitelle di ſc. 25. per ciaſcheduna, ed alli Cappellani, ed avanzandone ne maritino altre Zitelle, come le altre.*

In ſolemni vero Tranſactione anni 1635. poſt aſſignatam Capellaniis, Dotibus, anniverſario, aliiſque legatis particularem Dotem in totidem Locis Montium, cautum fuit = *Et ſi acciderit, quod per extractionem, vel extinctionem, ſeu reductionem, vel evictionem, aut ex quacumque alia cauſa prædicta loca, ſeu illorum fructus imminuerentur, itaut pro Capellanis, puellis, anniverſario, & diſtributione non remaneret quantitas per dictum D. Allexandrum relicta, tunc, & eo caſu convenerunt, quod neuter ipſorum teneatur de proprio ad ſupplendum, ſed teneatur ſolvere, & erogare, id, quod ſupererit, & non alias.*

De reſiduo vero hæreditatis aſcendente ad ſcuta 30000. convenerunt, *æqualiter dividenda eſſe inter Domum Profeſſam, & Ven. Archiconfraternitatem, ita ut portio Domus Profeſſæ, deducta portione, & rata hæredibus bo. mem. Franciſcæ Valtrinæ Allexandri Sororis, ut infra aſſignanda, ad illam libera debeat devenire. Portio vero dictæ Archiconfraternitatis libera ſit ſolum, quoad ſummam ſcut. 2000., reſiduum vero inveſtiri debeat pro Dotandis tot puellis, ac augendis Dotibus prædictis ſingulis annis.*

Et demum in eadem concordia cautum fuit = *Alia vero onera quæcumque ſpectantia ad dictam hæreditatem, præter expreſſa in dictis Teſtamentis, & in præſenti inſtrumento, ſi quæ tamen ſint, pro dimidia ſint, & ſpectent ad dictam Domum Profeſſam, & pro alia dimidia ad dictam Archiconfraternitatem, & ab ipſis pro dimidia ut ſupra invicem, & viciſſim ſe ſe indemnes relevare teneantur, prout alia bona, & jura præter expreſſa ad hæreditatem prædictam ſpectantia pariter repartiri debeant.*

Queruntur modo Capellani de imminutis reditibus in annuis ſcutis 14. 30. Decernendum ideo eſt, an locus ſit ſupplemento, a quo ſit præſtandum, & a quo tempore, & quomodo ſit providendum, ne in poſterum Capellani pro qualibet minima diminutione ſemper gravem litem ferre co-

cogantur. Ad I., & II. ante oculos habendæ sunt iteratæ Sacræ Congregationis resolutiones, quæ in lucem prodierunt, ac unica inspectio erit, an in præsens justa urgeat causa, unde diversum judicium modo sit ferendum,

Quod vero respicit tempus, a quo supplementum præstandum sit, ponderandum est, an summa bona fide consumptis per Archiconfraternitatem omnibus fructibus destinatis pro augumento dotium, cogi modo valeat ad supplementum pro toto præterito tempore. De anno 1684. cum petiissent Capellani præstationem deficientium redituum pro toto præterito tempore, proposito Dubio = *An teneantur pro tempore præterito solvere residuum dictæ annuæ præstationis pro rata deficientiæ ex fructibus Locorum Montium assignatorum?* Sacra Congregatio die 9. Sept. ejusdem anni respondit: *A die interpellationis*.

Restat hinc, ut Emi PP. assueta justitia, ac prudentia modum pro futuro tempore consulant, ne deinceps Capellani pro qualibet futura diminutione redituum semper gravem litem ferre cogantur. Quæritur,

An, & quomodo sit providendum pro summis deficientibus tam præteritis, quam in posterum decurrendis ad formam Resolutionis Sacræ Congregationis diei 17. Julii 1700. in casu &c.

Dilata, & firmetur status integræ Hæreditatis juxta mentem.

SENOGALLIEN. Opus ædificationis Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis Annunciatæ in Oppido Murri a se ipso inceptum, ab hæredibus perfici jussit Petrus Antonius Codonisi intra quinquennium a die sui obitus computandum: Postquam verò Ecclesiæ Fabrica fuisset absoluta, sacrisque suppellectilibus sufficienter instructa, erigi in ea mandavit septem Capellanias, injuncto onere cuilibet Capellano quinque singulis hebdomadis Missas applicandi, nec non recitandi officium B. M. V. diebus Sabbathi, aliisque Festis Deiparæ Sacris: Unicuique verò Capellano stipendium in certa specie a suis hæredibus perpetuò præstandum constituit. *Sess. 22. cap. 11., & Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

Hæredem primò nominavit Joannem Uxorem, cui substituit descendentes alternis vicibus a *Philippo Benedetti*, & a *Josepho Novelli* cum hac declaratione: *sempre però s'intenda in linea Mascolina sì di questa del Signor Benedetti, come dell'altra del Signor Novelli, che vorranno esser Preti*: Hisce verò familiis defectis, vocavit lineam masculinam familiæ Franciſci Roberti, ac postremo voluit, ut Consilium Communitatis Murri per secreta suffragia Sacerdotem eligeret, qui

qui dum viveret, ſua hæreditate potiretur. Expreſsè tamen prohibuit quamcumque bonorum hæreditariorum diſtractionem, ac permutationem, præcipiens = *ne voglio poſſa tagliarſi alberi da piedi, purchè non ſiano ſecchi, ma per biſogno del ſudetto Prete, ed erede pro tempore debba tagliare dalle Croci in sù*: Demum hæredibus onus impoſuit *di mantenere la Chieſa ſudetta da erigerſi proviſta di tutte le ſupellettili, e biſogni neceſſarj*.

Teſtatoris voluntas adamuſſim fuit exequuta, ſeptemque nunc Capellani Eccleſiæ inſerviunt demandata ab eo munia peragentes, quos inter *Cajetanus Benedetti*, qui hæres quoque nunc exiſtit. Cum autem imminutis hæreditatis fructibus, gravis immineat domorum ruſticarum reparatio, urgeatque ſacrorum ſupellectilium penuria, poſtulat idem *Cajetanus* facultatem incidendi nonnullas arbores aridas, infrugiferas, ac fere inutiles a Perito deſcriptas, ut ex illarum pretio Domos reſtaurare, ſacraque ſuppellectilia comparare valeat,

Inquit, inciſionem arborum a Teſtatore permiſſam fuiſſe, quando cauſa ſterilitatis, vel neceſſitatis urgeret. Utramque modo concurrere, cum reditus hæreditatis adeo ſint imminuti, ut impletis oneribus exitus ſuperet introitum; Ruſticas vero Domos maxima egere reſtauratione, Eccleſiamque ſacris ſupellectilibus deſtitui. Concludit itaque, in his circumſtantiis neceſſariam omninò eſſe inciſionem Arborum, quas Peritus infrugiferas, inutiles, & damnoſas retulit, & quarum copia huc illuc per agros diſperſa, nullam affert utilitatem, immò prædiis nocet; Ipſarum proindè inciſionem permitti ſolere, etiamsì Teſtatoris præceptum obſtaret *Rot. in Ravennaten. juris lignandi, quoad Pineta magna* 17. *Januar.* 1755. §. 13. *cor. cl. mem. Card. Buſſio*, præſertim quando earum pretium non in beneficiati comodum cedit, ſed erogatur in ipſius Eccleſiæ utilitatem, & in eam cauſam, cui aliundè provideri non poſſit.

Advertit etiam, petitæ inciſioni aſſenſum præbere Epiſcopum, omneſque intereſſe habentes; ſpernendam verò oppoſitionem Franciſci Roberti, qui non eſt legitimus contradictor, cum nonniſi in extremo caſu defectus deſcendentium omnium ex Familiis *Novelli*, & *Benedetti* ad hæreditatis compendium fuerit vocatus, & pluribus hoc ipſum demonſtrare nititur. A dicto autem Roberti, qui unicus eſt contradictor nullum huc uſque libellum habuimus.

Epiſcopus inter cœtera hæc habet = *Teſtator facultatem hæredi tribuit arbores excidendi uſque ad certam altitudinis menſuram* dalla Croce in sù, *& lignamina ad proprium hæredis uſum concedit, nulla quacumque arborum, etiam vegetantium excepta ſpecie. Orator autem valorem arborum, omniaque lignamina in reſtaurationem domarum ruralium, & renovationem ſuppellectilium Eccleſiæ impendere eſt paratus: hinc rejici meretur oppoſi-*

tio

cio Franciſci Roberti Piiſſimi, & exaudiri preces Cajetani Septimii Oratoris, prævia, quatenus onus ſit, derogatione voluntatis fundatoris, dumodo pretium a lignaminum venditione retrahendum in deſignatos ſumptus fideliter erogetur, & ſi quid ſupererit in meliorandis iiſdem prædiis hereditariis expendatur, de quo coram Ordinario docere teneatur.

Alienatio bonorum Eccleſiæ ſine juſta cauſa, & debita ſolemnitate prohibita eſt tum jure divino *Levit. cap.* 25., & 27., tum jure Civili *leg. jubemus* 2. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*, tum demum jure Canonico *Cap. Apoſtolicos* 13., *cap. ſine exceptione* 52. *cauſ.* 12. *quæſt.* 2., *Cap. fin. de reb. Eccl. non alien.*, *extrav. ambitioſæ eod. tit.*, & *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11., & *ſeſſ.* 25. *cap.* 11.. Nomine autem alienationis intelligitur omnis actus, ex quo directum, vel utile alicujus rei dominium, aut illius jus, ſeu uſusfructus, in alterum tranſfertur, vel damnum quomodocumque Eccleſiæ irrogatur *cap. nulli* 5. *de rebus Eccl. non alien.*, & *d. extrav. Ambitioſæ.*

Hujuſmodi prohibitio reſpicit tam immobilia, quam mobilia pretioſa. Nomine verò immobilium veniunt omnia, quæ loco moveri non poſſunt, ut prædia, domus, agri, & ſimilia, nec non cenſus, & annui reditus, jura, actiones, & ſervitutes. Nomine autem pretioſorum mobilium comprehenduntur vaſa argentea, pretioſa ſuppellectilia, inſigne Sanctorum reliquiæ, armenta, nec non arbores frugiferæ, quarum inciſio gravem prædio deteriorationem inferat.

Vulgatum hinc eſt, arbores ſine ſolemnitatibus, & beneplacito Apoſtolico cædi, ac vendi non poſſe, quando inciſio, & venditio magnam illarum quantitatem comprehendat, cum notabili fundi deterioratione, & quando arbores non ſint cæduæ, ſed annuum fructuum reddant, ut poma, nuces, caſtaneæ, olivæ, aliæque hujuſcemodi, ex quarum inciſione notabiliter fundus deterior evadat *Barboſ. in Conc. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. *de Ref.*, & *Rot. part.* 2. *rec. dec.* 553. *num.* 1.. Certum tamen eſt, etiam ſine Apoſtolico beneplacito fieri poſſe inciſionem, & venditionem arborum, vel quando ſunt vetuſtæ, ac inutiles, vel quando ſunt nimis denſæ, & opacæ, cum denſitas, & opacitas, ſeu umbra noceat, vel quando primario ſunt ad cædendum deſtinatæ. Hinc in una *Viterbien.* 14. *Janu.* 1679. propoſito dubio = *An in alienatione arborum ſilvæ præfatæ ad cædendum requiratur beneplacitum Apoſtolicum?* Sac. Congregatio reſpondit; *Negative*.

Verùm in una *Papien. inciſionis arborum* 15. *Martii* 1710., in qua res erat de arboribus populeis, quas dicunt *Pioppi*, quæ etsì non eſſent cæduæ, nihilominus, tanquam inutiles ſola Vicarii Generalis auctoritate cæſæ fuerant, cum diſputatum fuiſſet. I. *An ſubſiſtat licentia pro inciſione arborum data, & quatenus negative;* II. *An teneatur Canonicus Mombellus ad reſtitutionem pretii dictarum arborum inciſarum?* reſpon-

ſum prodiit, *ad primum negative, ad ſecundum affirmative ad effectum inveſtiendi in ſtabilibus pro beneficio.*

Hæc juxta juris diſpoſitionem præmittenda erant. In præſenti verò caſu Teſtator mandavit = , *ſi faccia l'inventario di tutti gli miei beni Ereditarj, e ſtabili, ne poſſa da alcuno degli miei Eredi venderſi, ed alienarſi, ne in modo alcuno permutarſi, ma perpetuamente reſtino nella forma, e fondi, che ſi laſciaranno da me, ne voglio poſſa tagliarſi Alberi da piedi, purche non ſiano ſecchi, ma per biſogno del ſudetto Prete, ed Erede pro tempore debba tagliare dalle croci in sù con ogni riguardo poſſibile.* Onus item hæredi injunxit ruſticas domos reparandi, Eccleſiamque ſacris ſuppellectilibus providendi.

Sacra Congregatio in *Senogallien. 9. Decembris* 1651., in qua Canonicus, cui onus inerat reparandi ex fructibus Canonicatus domum Canonicalem, nihilominus petierat arborum inciſionem, reſpondit, *inciſionem arborum petitam pro reparanda domo Canonicali non eſſe concedendam.* Ponderandum hinc, an inſpecta qualitate arborum cædendarum, vel tenuitate, ac deficientia fructuum hæreditariorum, juſta cauſa modo concurrat precibus annuendi, dum quæritur.

An, & quomodo ſit locus inciſioni Arborum in caſu &c.

Non propoſita, cum ſequentibus.

Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ. De laicali Capellania ſub invocatione S. Joſephi erigenda ex Teſtamento *Roſæ* uxoris Auguſtini Seraphini, actum eſt ad petitionem Sacerdotis Hyeronimi Nicolai executoris teſtamentarii, in Congregatione *diei 9. Julii* 1768., quæ propoſito dubio = *An ſit locus erectioni Capellaniæ*, & ſilente prorſus Auguſtino viro reſponſum fuit: *Affirmative.*

Erectionem hanc beneficio novæ audientiæ modo impugnat idem Auguſtinus, contenditque, non conſtare de certa ſuæ præmortuæ Uxoris voluntate, in cujus paritionem erectio ſit exequenda. Ait enim, certitudinem voluntatis non aliter haberi, niſi Teſtamentum vel ſcriptum, vel ſubſcriptum, vèl ſaltem Teſtatrici lectum fuerit. In præſenti autem caſu, Teſtatricem litteras ignoraſſe, nullibique conſtare eidem ante conſignationem lectam fuiſſe Scripturam: hinc licet eam Teſtatrix cruce ſignaverit, & Notario conſignaverit, non excludi tamen ſuppoſitionem falſæ ſcripturæ, nec ſatis probari illius identitatem, vel voluntatis certitudinem *Carpzov. dec. illuſtr. part. 2. dec. 149. num. 13., Rot. in rec. dec. 263. n. 17. tom. 2., & dec. 239. n. 9. part. 14. rec.*

Duobus inſuper teſtibus probat, minutam ſcripturæ Notario conſignatæ exaratam fuiſſe a dicto Sacerdote Hyeronimo, & a

& a Joſepho Roſati exemplatam: illius autem tenore inſpecto claram haberi fraudis probationem. In ea ſiquidem onus filiæ hæredi datum legitur cohabitandi cum eodem Sacerdote ſub pæna privationis uſusfructus, Sacerdos ipſe filiæ ſubſtituitur, executor teſtamentarius deſignatur, atque eidem Sacerdoti, ejuſque hæredibus confertur juſpatronatus erigendæ Capellaniæ: hinc filiam a Patre dividi, hunc a jurepatronatus, & ab uſufructu excludi, omnia demum conſcripta legi vel in compendium dicti Sacerdotis, vel in Viri odium. Apertam ideo eſſe fraudem ipſius Sacerdotis extenſoris ſcripturæ directam ad parandum ſibi compendium, ad odium exercendum contra virum defunctæ.

Perperam hinc in medium proferri privilegia cauſæ piæ, vel teſtamenti inter liberos. Illa ſiquidem reſpicere tantum extrinſecas juris ſolemnitates, non vero certitudinem voluntatis, quæ in utroque Teſtamenti genere ſemper indubitata eſſe debet. Demum advertit, erectionem Capellaniæ fuiſſe injunctam, quatenus Sacerdos Hyeronimus aliter de hæreditate non diſpoſuiſſet; ipſum autem Sacerdotem jam ab anno 1759. publico confecto inſtrumento de integra hæreditate diſpoſuiſſe favore Conſervatorii Magiſtrarum piarum Oppidi Anticuli, proindeque jam conditionem defeciſſe, a qua erectio Capellaniæ dependebat.

Viden. folium dictæ *diei 9. Julii 1768.*, in quo late facti ſpecies, rationum momenta ab executore Teſtamentario deducta, aliaque plura ad rem facientia habentur.

Teſtatrix hæredem inſtituit Catherinam Columbinam filiam, addita lege, *e morendo detta Catarina Colombina mia figlia, ed erede in età pupillare, o in altra ſenza figli legitimi, e naturali, voglio, e comando, che ſucceda a detta mia Eredità il Signor D. Girolamo Nicolai mio Fratello cugino con ampla facoltà di poter diſporre di tutta la mia Eredità a modo ſuo, ed in caſo, che eſſo non diſponeſſe, allora voglio, e comando, che di tutta la mia Eredità ſe ne erigga una Cappella in onore del Patriarca S. Giuſeppe di una Meſſa &c., e detta Cappella voglio, che ſia mera laicale da goderſi dagli Eredi di detto Signor D. Girolamo, e ſuoi colla facoltà amovibile ad nutum, perchè così &c.*

Teſtamentum nuncupativum per relationem ad Schedulam, tametsì jure civili prorſus incognitum *leg. hæredes* 21. *ff. de Teſtam.*, *& leg. jubemus Cod. eod. tit.*, uſu tamen, & communi Doctorum opinione ita eſt receptum, ut non aliter ſcriptis hæredibus, & ſubſtitutis actionem pariat, niſi prius conſtiterit de identitate, & certitudine ipſius Schedulæ, cujus relatio ſubrogata eſt loco nuncupationis ex ore Teſtatoris a legibus volitæ, ut nempe quod vocis miniſterio erat ſignificaturus, ſcripto palam faceret, atque hujuſce generis Teſtamenti eſt antiſignanus *Bartol. in leg. ſi ita ſcripſero ff. de cond.*, *& dem.*, quem pleno calculo ſequuntur omnes DD., & *Bald. in leg. aſſe num. 3. ff. de teſt.*, *Allex. conſ. 176. num. 6.*

num.6. lib.5.,Card. de Luc. de teſtam. diſc.1. n. 8., & millies Rota.

Duo autem ad ejuſdem Teſtamenti validitatem requiruntur: alterum quod conſtet certitudinaliter de identitate Schedulæ, ad quam fuit habita relatio *Bart. in d. leg. ſi ita ſcripſero ff. de cond., & dem. Menoch. conſ.*311. *num.* 47., *Cyriac. contr.*444. *num.*23., *Rot. cor. Celſo dec.*351. *num.*5., *cor Priolo dec.*315. *num.*1., *& cor. Emerix. Jun. deciſ.* 574. *num.* 4.: alterum vero quod Teſtator conſignando ipſam Schedulam propriis manibus Notario declaret coram Teſtibus, in illa contineri ſuum Teſtamentum, & hæredis inſtitutionem *Spada conſ.*90. *num.*7., *Thomat. deciſ. March.* 82. *num.* 15., *Rot. dec.*215. *num.*3. *part.*11. *rec., & in Beneventana nullitatis Teſtamenti* 25. *Jan.* 1706. *§. jam vero coram Omana*. Alterutro autem deficiente corruit ipſo jure Teſtamentum *Gobb. conſ.* 4. *num.*54., *Rot. dec.*360. *num.*7. *part.* 13., *& in Æſina Teſtamenti* 14. *Maii* 1717. *§. exceptio cor. Cerro*.

Nulla quæſtio eſt de extrinſecis Teſtamenti ſolemnitatibus a jure, vel a ſtatuto requiſitis, nec de identitate illiuſmet Schedulæ, quam Teſtatrix ſigno Crucis firmaverat, & coram Teſtibus Notario legitime conſignaverat. Tota ideo inſpectio eſt, an tales afferantur probationes, indicia, & conjecturæ, ex quibus conſtet, Teſtatricem aperto dolo, & fraude deceptam fuiſſe, ita ut aliud ab ea volitum fuerit, aliud vero in dicta Schedula ſcriptum.

Ponderandum an defecerit conditio, a qua erectio Capellaniæ dependebat. Teſtatrix voluit Capellaniæ erectionem *in caſo, che eſſo Signor D. Girolamo non diſponeſſe*: ipſe autem Sacerdos Hyeronimus publico inſtrumento *anni* 1759. *die* 8. *Novemb.* ceſſit *al Ven. Conſervatorio delle Maeſtre Pie della Terra di Anticoli, e riſpettivamente alla Signora Anna Caterina Colombina preſente, e per detto Conſervatorio accettante tutta l'intiera Eredità della detta qu. Roſa Teſtatrice, e Madre riſpettivamente di eſſa Signora Anna Caterina Colombina conſiſtente in ſtabili, mobili, ed altro &c., e tutte le raggioni ad eſſa competenti per il conſeguimento della legitima paterna, e reintegrazione di Dote della detta qu. Roſa di lei Madre, ſe mai reſtaſſe in parte diminuita, aſſieme con tutte, e ſingole ſue raggioni &c.* ſub certis oneribus in eodem inſtrumento expreſſis.

Dijudicent hinc EE. PP. aſſueta maturitate, ac juſtitia. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.*

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA ERECTIONIS MANSIONARIÆ. Manſionariam in Metropolitana Eccleſia Firmana erigi mandavit Nicolaus Marcantoni, qui in Teſtamento anno 1754. exarato plura circa illam diſpoſuit. Hæredem quippè nomi-

minavit Animam ſuam, *e per eſſa una Manſionaria da farſi in queſta Chieſa Metropolitana di Fermo con tutti quei peſi di Coro, e di Meſſe Conventuali, che hanno i preſenti Signori Prebendati di Maſſa commune*. Primum deinde Manſionarium ipſe deſignavit Sacerdotem Cajetanum Franceſchini ex Sorore Nepotem, *ſupplicando l'Illuſtriſſimo Capitolo della Metropolitana ſudetta di confermarlo, ſenza però ſpedizione di Bolle, poichè non intendo, che ſi abbia a fare alcuna erezzione per la ſudetta Manſionaria*; eidemque Sacerdoti facultatem dedit eligendi Succeſſorem, ex prædilectis tamen, ac deſignatis Familiis a Capitulo approbandum, in caſu quo ipſe aliud Eccleſiaſticum beneficium obtineret, cujus cauſa Manſionariam dimittere cogeretur.

Activum juſpatronatus poſtea reliquit Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulo, cum lege tamen ad hanc Manſionariam eligendi deſcendentes primum ex paterna linea, deindè vero ex Linea Materna. Quod ſi nullus in utraque linea reperiretur habilis in ætate 20. annorum conſtitutus, qui Manſionariam aſſequi poſſet, deſtinari voluit Sacerdotem Confeſſarium de Caſtro Lapidonæ Patriæ ſuæ, vel in ſubſidium de Civitate Firmi, qui amovibilis eſſet, & Manſionariæ onera ſuppleret, quouſque Maſculus ex prædilectis Familiis ad illam ætatem perveniſſet. Interim verò huic maſculo ab anno ſeptimo ætatis aſſignari mandavit ſcuta 50. ex fructibus Manſionariæ detrahenda, quibus in Seminario Archiepiſcopali, & in Domo Miſſionis, poſſet ſcientia, & pietate utiliter erudiri. Denique præter alia onera, illud etiam Manſionario adiecit' Reſidentiæ, nec non ſubeundi punctaturas Sacrario Eccleſiæ Metropolitanæ applicandas.

Perſuaſum fuit Presbytero Cajetano Franceſchini, erigi non poſſe in Beneficium Eccleſiaſticum hujuſmodi Manſionariam, quam ipſe per aliquod tempus poſſedit; Cum tamen nuper illam dimiſerit ob aſſequutionem cujuſdam Parochiæ, & locus factus fuerit electioni Sacerdotis amovibilis, qui pro puero paſſivè vocato onera adimpleret, ſupplicem SSmo D. Noſtro obtulit libellum, quo poſtulavit, ut commutata Teſtatoris voluntate, facultatem impertiri dignaretur Emo Archiepiſcopo Firmano erigendi dictam Manſionariam in beneficium Eccleſiaſticum, cum onere expediendi litteras Apoſtolicas, & cum omnibus honoribus, & oneribus ad inſtar Præbendarum, quæ in eadem Menopolitana erectæ jam ſunt. Poſtquam preces Sac. huic Congregationi remiſſæ fuerant, viſum eſt ſupradicto Presbytero Franceſchini illud quoque expoſtulare, ut loco amovibilis Sacerdotis, qui pro puero præſcripta onera ſatisfaceret, ea ſupportarentur a Capitulo, cum lege ſubminiſtrandi eidem puero annua ſc. 40., & quod reliquum eſſet Sacrario Eccleſiæ applicandi. De his omnibus modò quæritur.

Plu-

Plura congerit, ut ſuadeat, Teſtatorem Beneficii Eccleſiaſtici erectionem demandaſſe, quoties erigi juſſit Manſionariam, quæ verè beneficium eſt Eccleſiaſticum *Cap. penult. de Cleric. non reſiden.*, *Grazian. diſcept. forenſ. cap.* 397. *num.* 57. Præſertim quia eadem onera Manſionario ineſſe voluit, quæ reliquis *di Maſſa commune* inerant.

Nec obſtare dicit, quod Manſionariæ erectionem interdixerit, cum hujuſmodi proibitio apertè repugnet ſubſtantiæ diſpoſitionis præcipientis Manſionariæ fundationem, quæ ſubſiſtere non poteſt, niſi canonica illius erectio ſuperaccedat. Suſtinet proindè, erectionis prohibitionem deſpici oportere, quia alias Teſtatoris voluntas exequi non poſſet, nec bona abſque canonica inſtitutione, auctoritate Superioris Eccleſiaſtici peragenda, Spiritualia effici valerent.

Advertit præterea, canonicam Manſionariæ erectionem magis conformem eſſe Teſtatoris menti, tum ſi inſpiciantur onera ab eo impoſita, quæ nonniſi veris Beneficiatis conveniunt; tum ſi perpendatur activum juſpatronatus fuiſſe relictum Eccleſiaſtico cœtui, ſcilicet Capitulo Cathedralis Firmanæ, paſſivum verò Sacerdotibus, & actu Confeſſariis, cum facultate conſtituendi Manſionariam in titulum Patrimonii Sacri; tum denique quia ejuſdem Manſionariæ perpetuitatem indixit. Hanc autem circumſtantiam tanti roboris eſſe affirmat, ut etiam in dubio beneficii Eccleſiaſtici inſtitutionem injunctam fuiſſe cenſeri debeat, *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 12., & 15., *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. *n.* 10.

Clarius hoc ipſum deſumi contendit Sacerdos Franceſchini ex nominatione a Teſtatore prima vice in ſui perſonam collata, eum lege dimittendi Manſionariam, *ſe otteneſſe qualchè altro Beneficio*. Enim verò verba iſta *qualchè altro Beneficio* non aliud importare ſuſtinet, niſi quod Manſionaria ejuſdem naturæ, ac qualitatis eſſe deberet, *leg. quidem relegatus ff. de reb. dub.*, *leg. final. §. cui dulcia ff. de trit.*, *vin.*, & *ol. legat.* Concludit itaque, imperitiæ Sacrorum Canonum tribuendam eſſe erectionis prohibitionem, cujus vigore nullum illatum eſt præjudicium auctoritati Ordinarij, qui ſemper incluſus cenſetur, quoties expreſsè non reperiatur excluſus *Garz. de Benef. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 109., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 31. *n.* 13.

Ad alteram verò petitionis partem quod attinet, aſſerit, redituum tenuitatem, nec non Sacrarii utilitatem, Eccleſiæ decus, & paſſivè vocatorum commodum, impedimento eſſe, quominus deveniatur ad præſtationem annuorum ſcut. 50. favore pueri paſſivè vocati, & ad deputationem Sacerdotis amovibilis, ſed potius convenire, ut Capitulum onera aſſumat, ſubminiſtratiſque puero annuis ſcutis 40., quod reliquum erit Sacrario applicetur. Ait, nullam ex his fieri voluntatis commutationem, cum non

ſub-

ſubſtantiam diſpoſitionis, ſed illius exequutionem reſpiciant: Et quatenus aliquo modo Teſtatoris voluntatem immutari contingeret, nihilominus, bonum publicum, ac privatum, nec non divini cultus augumentum, neceſſariam in præſenti caſu, atque utilem commutationis cauſam præbere *Pignattell. conſult. can.* 80. *num.6. tom.* 9., *Piton. diſcept. Eccleſ.* 99. *n.*11., & 13., *Rot. cor. Molin.dec.*1041. *n.*4., & 15. *cum ſeqq.*

Emus Archiepiſcopus poſt expoſitam facti ſeriem, relatamque Sacerdotis Franceſchini petitionem, ita concludit = *Quæ quidem omnia, cum Eccleſiæ Metropolitanæ utilitate, atque ornamento maximè congruant, ac omnes, quorum intereſt, iis libertiſſimè aſſentiantur, planè arbitror, admittenda eſſe ab EE. VV.*

Canonicam Manſionariæ erectionem expreſſe prohibuit Teſtator, dum dixit = *non intendo, che ſi abbia a fare alcuna erezzione per la ſudetta Manſionaria*= Videndum nihilominus, an Manſionariæ naturæ, atque eſſentiæ conveniat, ut a Canonica inſtitutione recedatur. Inter Eccleſiaſtica Beneficia Doctores eas quoque Capellanias enumerant, quæ ad Divini cultus augumentum, ſacrorumque Officiorum pſalmodiam in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis inſtitutæ ſunt. Hinc varias tradunt Beneficii Eccleſiaſtici notiones in id collimantes. Aſſerit *Rebuff. in prax. Benef. tit. quid ſit beneficium num.*8., beneficium eſſe portionem illam redituum Eccleſiaſticorum, quæ pro Spirituali ſervitio Eccleſiæ Miniſtris aſſignatur. *Hoſtien. in Summ. tit. de Præben. in princip.* beneficium appellat jus percipiendi proventus in Eccleſia competens alicui, tanquam uni de Collegio. Et *S. Antonin. part.*3. *tit.* 16. *cap.* 1. §. 1. ait, reditus ſive ex Decimis, ſive ex poſſeſſionibus, qui Clericis in officiis deſervientibus Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis deſtinati ſunt, dummodò celebrent, & Divinis interſint, beneficia Eccleſiaſtica nuncupari. Demum *Jo: de Sylva de benef. quæſt.* 1. *num.* 4. beneficium definivit, poteſtatem collatam Clerico percipiendi proventus in Eccleſia.

Animadvertendum ulterius, quod Capellani ad ſervitium Chori in Cathedralibus Eccleſiis deputati, quos jura vocant *Aſſiſios*, beneficium Eccleſiaſticum habere dicuntur, juxta *Text. in Cap. Ad hoc de Cler. non reſiden.*, ubi *gloſſ.*, & *DD.* tradunt, eos eſſe in Eccleſia intitulatos. Capellani hujuſmodi alibi vocantur *Manſionarii*, alibi verò *Beneficiati*, vel *Capellani*, aut *Portionarii*, *gloſſ. in proœm. ſexti verb. a Multis*, & *in Clem. I. verb. Matricem de Sent. excom.*, *Marſill. Columna in tract. de redit. Eccleſ. cap.* 10., *Gratian. diſcept. forenſ. cap.* 397. *num.* 54., & *ſeq.*. Hæc tamen intelligenda ſunt de iis Clericis, vel Presbyteris, qui de communi Maſſa participant, & ſunt veluti membra Capituli, non autem

n de iis, qui Capellanias poſſi lent ex piis Teſtatorum gitionibus erectas, de quibus eorumdem Teſtatorum voluntas ſcrutari debet.

Hæc procedant quoad Manſionariæ, de qua agitur, erectionem; quod verò reſpicit alteram petitionis partem, videlicet aſſignationem emolumenti pro puero, onerum ſupportationem a Capitulo explendam, applicationem reditnum Sacrario Eccleſiæ Metropolitanæ, nil ultra perpendendum occurrit, præter ea, quæ de ultimarum voluntatum commutatione, ac de cauſis neceſſario requiſitis relata ſunt in foliis Cauſarum, quibus titulus *Feretrana* 20. *Decembris* 1766., *Eyſtetten.*, *ſeu Bambergen.* 4. *Aprilis* 1767., *Hortana Erectionis Canonicatuum* 26. *Martii* 1768., & alibi.

Perpenſis itaquè circumſtantiis in libello fuſius expoſitis, Emi PP. ſapienti judicio definient.

An, & quomodo facienda ſit Erectio in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 10. *Martii* 1770. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

SEX Cauſas præſens folium enumerat; Tres aliæ in præterito recenſentur. De omnibus Eminentiſſimi PP. quid juris definient.

SENOGALLIEN.
An, & quomodo ſit locus inciſioni Arborum, in caſu &c.

Seſſ. 22., *cap.* 11. *& Seſs.* 25. *cap.* 11 *de Reform.*

Affirmativè juxta modum, & inſtructionem Epiſcopo tranſmittendam.

ANAGNINA ERECTIONIS CAPELLANIÆ.
An ſit ſtandùm, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Seſs. 22. *cap.* 8. *de Reform.*

Prævio receſſu a deciſis, non eſſe locum erectioni Capellaniæ.

FIRMANA ERECTIONIS MANSIONARIÆ.
An, & quomodo facienda ſit Erectio, in caſu &c.

Seſs. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Negativè.

CRACOVIEN. PAROCHIALIS. A Parochiali Eccleſia Oppidi Kentenſis translatus Sacerdos Adalbertus Daneki ad Parochialem alteram Oppidi Paulovvi, utrobique criminales paſſus eſt inquiſitiones Promotoris Fiſcalis Curiæ

Seſſ. 21. *cap.* 6., *& ſeſs.* 25. *cap.* 14 *de Reform.*

Ecclesiasticæ Cracovienſis. A prima Inquiſitione abſolutus judicio ipſiuſmet Epiſcopi Cracovienſis; propter alteram vero declaratus non culpabilis ſententia Curiæ Metropolitanæ Gneſnen.; hac tamen infirmata a Judice per Breve Apoſtolicum delegato cum indicta privatione Parochiæ, & ſubſecuta etiam violenta ejectione provocavit ad hanc Sacram Congregationem. Res latius enarratur in folio diſtributo in proxima Congregatione diei 10. elapſi Februarii. Ea verò die, cum Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Cracovien., qui Sacerdoti Daneki Contradictorem ſe præbet, dilationem expoſtulaverit, ei benignè annuentes EE. PP. reſcripſerunt: *Dilata, & proponatur in prima etiam unica.*

Nihil tamen huc uſque a Promotore Fiſcali deductum eſt, nulluſque oblatus libellus; Quapropter reſumpto priori folio EE. PP. rogantur reſpondere dubio, quod iterum proponitur:

An ſuſtineatur privatio Adalberti Daneki Parochialis Eccleſiæ Paulovvien., ſeu potius eidem ſit danda manutentio, ſeu reintegratio, in caſu &c.

Ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo ad mentem.

Seſſ. 24. cap. 3. de reform., & ſeſſ. 25 cap. 11. de Regul.

MONASTERIEN. CONFIRMATIONIS. Judicio Sacræ Congregationis Religioſus Franciſcus Philippus de Meſeren Præpoſitus in *Clarholtz* obligatione adſtrictus renunciatus fuit poſtulare ab Epiſcopo confirmationem ad exercendum officium Archidiaconale locorum *Beelen & Lette* Præpoſituræ adnexum. Dubio enim, quod die 18. Novembris anni elapſi propoſitum fuit = *An Præpoſitus in Clarholtz confirmationem Epiſcopalem reportare teneatur pro exercitio prætenſæ juriſdictionis Archidiaconalis in Paræciis de Beelen & Lette, in caſu &c.* = Reſponſum fuit: *Affirmative*. Quum ea tamen reſolutio prodierit ſilente tunc Præpoſito, decere viſum fuit, novæ audientiæ ab ipſo petitæ aſſentiri, ut ſuper ea quæſtione jura ſua deducere poſſet. Verum fruſtra abire paſſus eſt illius beneficium; nam cum in poſtrema Congregatione diei 10. Februarii quæſitum fuerit: *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.* = Nihil de ſuis juribus proferens, dilationem tantum poſtulavit.

Placuit EE. VV. huic quoque petitioni annuere ad hodiernam uſque Congregationem, proindeque reſcripſerunt = *Dilata, & proponatur in prima etiam unica* = Nondum tamen quidquam exhibuit. Cauſa pro tertia vice proponitur, de qua quid in facto, aut in jure animadvertendum occurrat,

rat, fusius recensetur in folio diei 18. Novembris superioris anni, cujus resumptione EE. VV. definire dignabuntur.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

CÆSARAUGUSTANA MATRIMONII. Statuerat nobilis Vir Antonius Patino ex Marchionibus de Castellar matrimonium inire cum nobili Puella Nicolasia Blasio. Prævidens autem Consanguineos, & ejus præsertim Genitorem, qui summa in Civitate Cæsaraugustana auctoritate pollebat, gravia interposituros esse impedimenta, expediens duxit, consentiente Puella, illud contrahere absque denuntiationibus, sed istarum dispensatione constanter negata tum a Vicario Generali, tum ab Archiepiscopo. Hinc per Epistolam evocato die 16. Januarii 1763. in Nicolasiæ Domum sitam sub Parochia S. Laurentii Sacerdote Matthia Guillen, qui post obitum Parochi illius Ecclesiæ, veluti Regens, ac Vice-Parochus tunc habebatur, eoque in interiores mansiones introducto, matrimonium coram ipso, & duobus Testibus per verba de præsenti contraxit. *Sess. 24. cap. 1. de Refor. Matrim.*

Post duos deinde menses vulgata hujus Matrimonii fama, Promotor Fiscalis ad inquisitionem devenit actæ rei, & Vir jussu Patris detrusus fuit in Arcem, sub arcta Militum custodia, Mulier autem in Monasterium reclusa. Defuncto interim Archiepiscopo, actisque causæ completis, lata fuit die prima Decembris 1764. ab Officiali, & Judice Metropolitano sententia, qua Matrimonium irritum fuit declaratum, & Antonius Vir a præstandis Nicolasiæ alimentis, & sumptibus litis absolutus remansit. Ab hac sententia provocavit Nicolasia ad Sacram Congregationem, cumque pendente appellatione obierint tum Antonius, tum ejus Pater Marchio de Castellar, ipsa nihilominus pro suo, suæque Familiæ decore causam prosequuta est, ad abstergendam omnem maculam, quæ ex sententia Judicis Metropolitani inuri potuerit. Hac igitur de re dubia in calce transcripta, sapienti EE. PP. judicio exhibet discutienda.

Et ad primum, quod attinet, satis constare dicit de validitate Matrimonii initi per verba de præsenti coram duobus Testibus, & Sacerdote Guillen, qui etsi verus Parochus non esset, nihilominus tanquam Regens, & Vice-Parochus Ecclesiæ S. Laurentii ab omnibus habebatur. Sustinet autem ad effectum validitatis Matrimonii æquè dici pro-

Seff. 22. decr. de Observ., & evit. in celebr. Miff.

FAVENTINA APPLICATIONIS MISSARUM. Sodalitium SSmæ Annuntiatæ erectum in Ecclesia Suburbii Civitatis Faventinæ proprium habet Capellanum, qui ab Episcopo deputatur; annuum ei penditur stipendium scutor. 15., eique insidet onus celebrandi Missam in d. Ecclesia singulis diebus Festis, aliisque novem diebus ex devotione præscriptis. Quæstio nunc orta est, an idem Capellanus teneatur tantum Missas celebrare, vel debeat etiam eas pro Confratribus applicare, & controversia, instante Sodalitio, judicio EE. VV. definienda proponitur.

Inquit Sodalitium, Missas semper fuisse a Capellanis pro tempore pro sodalibus applicatas: Clare id evinci tum ex antiquis, & recentibus Capellanorum confessionibus de recepto, tum ex libro denominat. *il Campione* anni 1675., tum ex altero liberculo anni 1687. Clarius id ipsum probari & ex supplèta proximis diebus ea Missæ celebratione, quæ statis diebus omissa fuerat, atque etiam ex aucto Capellanis stipendio pro modo sequuti augumenti eleemosynæ Missarum; Nam quum in Missæ eleemosynam ad annum usque 1633. tradi consueverint sex tantum oboli, Capellani stipendium non excesserit annua scuta 11., deinde vero aucta eleemosyna ad obul. 8. annuum stipendium auctum quoque fuerit ad sc. 13., & demum aucta anno 1671. eadem eleemosyna ad obolos 10. stipendium excreverit ad sc. 15.

Id ipsum inquit consonum esse universali consuetudini Civitatis, cum Capellani omnes aliorum Sodalitiorum, licet minus stipendii habentes, applicationis adhuc onus semper subierint. Nec majus esse sui Capellani incomodum ob existentiam Ecclesiæ in suburbio Civitatis, quum hoc ipsi Civitati cohæreat, ac annexum sit, nec gravius incomodum præseferat. Et re vera jam innumeros alios præsto esse Sacerdotes paratos eodem stipendio scutorum 15. ad Missas celebrandas, & applicandas.

Episcopus late refert rationum momenta a Capellano coram se adducta, nempe ex libris Sodalitii nullibi haberi, dicta scuta 15. data fuisse pro applicatione Missarum, sed tantum vel pro earumdem celebratione, vel nomine officiaturæ, ac etiam titulo mercedis, provisionis, salarii, solutionis, ac præstiti servitii: dictarum Missarum celebrationem comodo populi fuisse institutam; jure proinde, quæ stato die omissa fuerat, in sequenti impletam fuisse: augumentum item stipendii jure fieri debuisse ob alia addita Capellano graviora onera, & incomoda excipiendi Sacramentales Confessiones, infirmis assistendi, congregationibus, & frequentibus processionibus interveniendi, & bis in hebdomada Sanctissimum exponendi Corpus Christi & quidem in remota, ac dissita Sodalitii Ecclesia extra civitatem in ejusdem suburbio: hanc demum eamdem Confratrum petitionem bis fuisse rejectam a duobus Antecessori-

ribus Epiſcopis, & ob id Capellanos nunquam ex poſt applicaſſe. Hæcque omnia Epiſcopus judicio EE. VV. ſubmittit.

Quamvis onus celebrandi Miſſam diſtinctum ſit ab onere applicandi, ita ut nil repugnet, quin injungi poſſit celebratio in certo loco abſque onere applicationis, ex præſumpta tamen fundatorum mente communiter recepta eſt ſententia in Beneficiis, & Capellaniis, quod Beneficiatus, ſeu Capellanus teneatur ad applicationem favore Teſtatoris, licet ſola celebratio præſcripta fuerit, quoties contraria non pateat illius voluntas vel expreſſa, vel ex urgentibus conjecturis elicita juxta plurimas reſolutiones S. C. editas in *Tinnen. Applicationis Sacrificii* 18. *Aug.* 1668., *in Spoletana Applicationis* 11. *Janu.* 1710., *in Senogallien. Miſſarum* 20. *Decemb.* 1731., *& in S. Miniatis Applicationis Miſſæ* 4. *Decembris* 1734.

Perpendendum hinc, an hæc ipſa regula urgeat contra Capellanum Sodalitii SSmæ Annuntiatæ, qui nullum verum Beneficium, nec Capellaniam poſſidet: itemque, an tale onus applicationis veroſimiliter eidem cenſeri debeat injunctum: Ante oculos habenda eſt cauſa, & finis inſtitutionis hujus Capellani, quantitas redituum eidem aſſignata, gravitas oneris injuncti, ſubſecuta obſervantia, & conſuetudo in aliis Sodalitiorum Eccleſiis.

Sacra Congregatio in una *Fulginaten. Applicationis Miſſæ*, in qua PP. Barnabitæ obtinuerant a Sodalitio S. Joannis Decolati Civitatis Fulginei hortum quemdam cum parva area, & domuncula ſub ea lege, *che detti PP., e ſucceſſori perpetuamente ſiano tenuti, ed obligati dire, e celebrare una Meſſa il giorno nella Chieſa della Compagnia, e tal Meſſa ſi debba dire gratis, e ſenza altra limoſina, come anche ſiano tenuti amminiſtrare tutti gli Sagramenti di Confeſſioni, reconciliazioni, ed Euchariſtia a benefizio de Confratri di eſſa Compagnia*, propoſito = *An PP. Barnabitæ teneantur applicare Sacrificium*, reſpondit die 7. Sept. 1737. *Negative, & amplius*.

Proponitur itaque declarandum.

An Capellanus teneatur applicare Miſſas pro Confratribus in caſu &c.

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Angela Eleonora Morroni Firmana anno 1724. Dotem Monaſticam reliquit puellis ex ſex nominatis familiis, deinde aliis tribus, ac demum puellis omnibus ex nobilitate Firmana, dato primogenitis ſex illarum familiarum jure eligendi. Quatriennio poſt *Benedictus XIII.* indulſit, ut pecuniæ infructuoſæ ex perceptis fructibus, quæ reperirentur depoſitæ, vel non adhuc exactæ, non extantibus puellis vitam cælibem in clauſtris optantibus, converti poſſent ad ſummam

Seſſ. 24. *cap.* 1. *de Reform.*

fatis deprehendi dicit ex Testibus, qui ab illius ore id ipsum audierunt, & ex eo etiam, quod ipso viviente, & consentiente Sacerdos Guillen omnia Parochialia munera exercebat. Infert proinde, præter communem opinionem, non defuisse in eodem Guillen titulum, cujus vigore facultatem habuerit assistendi Matrimoniis, cum de cætero talis facultas in ipsa generali delegatione continetur *Barbos. de offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 127., *Rot. in Recent. decis.* 433. *num.* 11. *part.* 14.

Posita itaque Matrimonii validitate, sustinet præstanda sibi esse alimenta, & sumptus litis, de quibus in altero dubio disceptatio occurrit. Exploratum in jure asserit, quod pendente judicio super validitate Matrimonii, quando præsertim ratum sit, & consummatum, submministranda per Virum sint alimenta, & sumptus litis Uxori, quamvis ista esset penitus indotata *Leg. Si neget ff. de liber. agnoscend.*, *Sanchez de Matrimon. lib.* 2 *disput.* 41. *n.* 51., *Surd. de Alim. tit.* 1. *quæst.* 113. *n.* 6., *Rot. coram Lancetta dec.* 131. *n.* 3. Nunc verò hujusmodi onus refundi in Raymundum Patino prædefuncti Viri filium in primis nuptiis susceptum, utpotè quia Patri ab intestato successit *Surd. ibidem tit.* 1. *quæst.* 45. *n.* 27. Cumque res sit de Viro ex prænobili, ditissimaque Familia, contendit idcirco alimenta non ex necessitate tantum esse dimetienda, sed pro modo dignitatis, ac decoris juxta Patrimonii vires, & Personarum qualitatem, quemadmodum occasione primi Matrimonii Viri Pater Filio, ejusque Uxori submministrare promiserat *Rot. in Recent. dec.* 124. *num.* 5. *part.* 8., *& decis.* 158. *num.* 5. *part.* 12., *& coram Roxas decis.* 422. *num.* 5.

Hisce omnibus adhærens Defensor ex officio Matrimonii validitatem & ipse propugnat ex rationibus a Defensoribus Nicolasiæ deductis; Addens leviores etiam in præsenti casu sufficere probationes, cum non agatur de validitate Matrimonii, ut compellantur Contrahentes ad servandam communis vitæ consuetudinem, sed de Matrimonio per obitum Viri jam dissoluto, ad effectum tantùm vel legitimandi prolem, vel vindicandi Contrahentium honorem *Paris. consil.* 15. *num.* 37. *& seq.*, *Panimoll. decis.* 19. *annot.* 2. *num.* 6., *Rota in Leodien. Matrimonii* 28. *Junii* 1720. *coram Foscaro*.

Clarissima est Juris civilis dispositio de iis, quæ per communem errorem fiunt. In *Leg. Barbarius* 3. *ff. de offic. Prætor.* statutum legimus = *Si Servus quandiu latuit, Dignitate Prætoria functus sit, quid dicemus? An quæ dixit, quæ decrevit, nullius fore momenti? An fore propter utilitatem eorum, qui apud eum gerunt, vel lege, vel quo alio jure? Et verum puto, nihil eorum reprobari: Hoc enim humanius est* = Et glossa in verbo *Reprobari* hæc addit = *Nota hic, quod circa factum error communis facit jus*. Hæc autem, quæ de Ordi-

na-

nario tantum dicta a nonnullis intelliguntur etiam de Delegato intelligenda esse monet *Gratian. in cap. Infamis* §. *Verumtamen cap.3.quæst.7.*his verbis = *Verumtamen si servus, dum putaretur liber,ex delegatione sententiam dixit,quamvis postea in servitatem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem habet.*

Idem quoque locum habet in rebus spiritualibus, quando tamen Jure Divino non repugnent, ut aliis collectis firmat *Fagnanus in cap. Super eo de crimine falsi num.5.*. Hinc communis invaluit Canonistarum opinio, firmum esse quidquid publici officii auctoritate gestum fuerit a Prælato, sive Ordinario, sive Delegato, qui communi opinione auctoritatem habere existimabatur. Præcisè verò ad rem, de qua agitur, validum erit Matrimonium, cui Parochus putativus adstiterit, scilicet Sacerdos, qui communi errore verus Parochus haberetur, etsi talis revera non esset. Idque sua etiam auctoritate probavit S.Congregatio *die* 12. *Martii* 1592., prout testatur *Barbosa de offic.,& potest.Paroch. part.2.cap.21.num.51.*

Hanc sententiam complures Canonistæ trahi posse putant etiam ad casum, quo Parochus putativus titulo colorato destituatur, ea moti ratione, quia diversimodè averti non possent scandala, & publici boni perturbationes, quarum causa factum est, ut gesta per Judicem putativum suam obtineant firmitatem, quandiu communis error non detegatur, & excutiatur. Nihilominus probabilior aliis visa est opinio,quæ titulum saltem coloratum requirit,quemadmodum deducitur ex textu superius expositio, & ex *cap. Informis c. 3. quæst.7.*, de quo *Fagnanus loco cit.num.8. & sequen.*

His in jure constabilitis, ex facto res discutienda venit. Inquirendum est itaque, an ea fuerit Parochianorum opinio de Sacerdote Guillen, ut is veluti Regens putativus Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii jure, ac meritò censeretur. Inquirendum præterea an præter communem Parochianorum opinionem adfuerit etiam in eodem Sacerdote Guillen titulus aliquis vel verus, vel saltem coloratus. Qua quidem in re plurimum confert sedulo expendere solemnem declarationem ab eo emissam in exonerationem propriæ conscientiæ, nec non alteram Salvatoris Campo, qui quoad exercitium Curæ Animarum, dum Ecclesia Parochialis vacaret, mirificè cum Sacerdotibus Lezina, & Guillen cohæret.

Reverendissimus Cæsaraugustanus Archiepiscopus suum in hac Causa proferre judicium non posse retulit, utpotè quia lis incæpta fuerit à suo Prædecessore, & à Vicario Capitulari Sede Archiepiscopali vacante absoluta. Supereſt itaque, ut Eminentissimi PP., qua pollent doctrina, definiant

I. *An conſtet de validitate Matrimonii, in caſu &c.*
II. *An debeantur alimenta, & ſumptus litis, in caſu &c,*

Ad utrumque Affirmativè.

Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.

REATINA JURIS TUMULANDI. Complures in Civitate Reatis ex quovis ordine Familiæ ſepulchra habent gentilitia, tum in Cathedrali, tum etiam in Eccleſiis Regularium. Contendunt autem Parochi, Puerorum Cadavera ante ſeptennium decedentium in Parochiali eſſe omninò tumulanda, nec niſi de ipſorum licéntia ad ſepulchra gentilitia deferri poſſe; ita tamen, ut in iſto caſu omnia Funeris emolumenta Parochiæ integrè perſolvantur. Ægrè id ferentes ejuſdem Civitatis Patris familias, ad omnem in poſterum dirimendam controverſiam, infraſcripta dubia EE. PP. decidenda proponunt.

Ad I. quod attinet, ſuſtinent ex juris diſpoſitione licere Patri pro filio pubertatem non egreſſo Sepulchrum eligere *Cap. de Uxore §. Virum autem de Sepult.*, & *Cap. Licet 4. eod. tit. in 6.*. In hoc convenire omnes Doctores, & conſentanea eſſe Sacrarum Urbis Congregationum Decreta, nec non Statutum Cleri Romani *Cap. 3. de jure eligen. Sepult. §. 4. & 25.*. Hinc inferunt innixam juri deprehendi libertatem deferendi ad Sepulchra gentilitia filiorum Cadavera in infantili ætate decèdentium, juxta *Text. in cap. 1, de Sepultur.*

Juris diſpoſitioni conſonam eſſe inquiunt conſuetudinem, cujus Teſtes proferunt Præfectos Sacrarii Eccleſiæ Cathedralis, & aliarum Eccleſiarum S. Domìnici, S. Franciſci, & S. Auguſtini, qui omnes juramento affirmant, cadavera Impuberum utriuſque ſexus tumulata fuiſſe in Sepulchris gentilitiis in iiſdem Eccleſiis exiſtentibus. Hiſce autem Teſtibus eo magis deferendum, tum quia deponunt de obſervantia, quæ juri conformis eſt, *Cap. Quia ſæpe de Præbend. in 6.*, *Rot. in Recent. deciſ. 58. num. 2. part. 2.*, & *dec. 54. num. 14. part. 4. tom. 2*, tum etiam quia teſtimonium perhibent de re ad proprium officium ſpectante, *Rot. cor. Lancetta deciſ. 51. num. 3. tom. primo, coram Molin. dec. 1027. num. 15. & ſeq. tom. 4.*

Addunt rejiciendam omnino eſſe contrariam a Parochis jactatam conſuetudinem, quæ vel nullo documento probatur, vel probata nihil relevaret, niſi canonizata monſtrerur in contradictorio judicio, & legitimè admiſſa cum ſubſequuta acquieſcentia *Cap. final. de conſuetud. in 6.*, *Rot. coram Cavaler. dec. 172. num. 5.*, & *coram Buratto deciſ. 129. num. 6.*, alias tanquam abuſus, & corruptela ſperni debeat *Cap.*

Jaco-

Jandunum de probat., *Pignatell. conſult.* 140. *num.* 29., *Sperel. deciſ.* 139. *num.* 10.; Cæterum ad ejuſdem contrariæ conſuetudinis everſionem unicum etiam actum in contrarium geſtum ſufficere *Rot. coram Ludoviſ. dec.* 162. *num.* 9., *& coram Falconer. tit. de Miſcellan. dec.* 74. *num.* 16., nec in præſenti caſu plures deeſſe contrarios actus, quos iidem Teſtes ſpecialiter recenſent.

Neque obſtare putant, a Rituali Roman. *tit.* 6. *cap.* 6., Eccleſiis tantum Parochialibus injunctum eſſe præceptum retinendi Sepulchra pro Infantibus. Animadvertunt enim nequaquam ex hoc ſublatum fuiſſe jus Patris eligendi Sepulchrum pro filiis Infantibus, vel eorum Cadavera humandi in Sepulchro gentilitio *Barboſa de offic.*, *& poteſt. Paroch. cap.* 26. *num.* 28., *Rot. dec.* 88. *tom.* 1. *coram Sperell.*, *& dec.* 5. *adnotat.* 3. *num.* 18. *coram Panimoll.*

Quo verò ad alterum dubium emolumenta reſpiciens, ea deberi aſſerunt in quarta parte, prout diſponitur in Synodis annorum 1716., & 1746., eamque a ſola Eccleſia tumulante præſtandam eſſe, non autem ab Hæredibus, qui ultra conſuetum funus prægravari non debent *Cap. de his* 4. *de Sepultur.*, *cap. cum ſuper*, *cap. Certificari*, *cap. In noſtra* 10. *eodem tit.*, *& cap.* 2. *eod. tit. in* 6.

Parochi contra animadvertunt ad primum, jus eſſe Parochiali defunctos ſepelire, qui abſque electione Sepulturæ obierint *Cap.* 1. 2. *& 5. de Sepultur. in* 6., *Fagnan. in cap. Fraternitatem eodem tit. num.* 4., *Card. de Luca de Paroch. diſcurſ.* 31. *num.* 8., proindeque Puerorum cadavera ante ſeptennium decedentium nonniſi, quam in Parochiali fore tumulanda.

Negant ullum jus competere Patribus familias eligendi Sepulturam pro filiis infantibus, eorumque Cadavera tumulandi in Sepulchris gentilitiis; cum neutrum jure ipſis liceat, niſi id invexerit conſuetudo, *Cap. Licet* 4. *de Sepultur. in* 6., *Navar. conſil.* 2. *num.* 1. *de Sepult.*, *Pyrringh. lib.* 3. *decret. tit.* 20. *num.* 9., quæ concludentiſſimè probanda eſſet *Card. Petra tom.* 2. *Comment. ad Conſtit.* 2. *Honorii III. ſect. unic. pagin.* 391. *ſub num.* 9., *Rot. cor. Ludoviſ. dec.* 276. *num. primo*. Tantum verò abeſſe dicunt, ut Patres familias conſuetudine juvari poſſint, quin potius contraria prorſus vigeat in Civitate Reatis conſuetudo ſepeliendi in Parochialibus Eccleſiis Puerorum Cadavera, qui ad annum ætatis ſeptimum nondum pervenerint.

Hanc autem conſuetudinem Teſtibus probare nituntur deponentibus ex certa ſcientia, tum ex Majorum traditione, iiſque inquiunt omnimodam fidem adhibendam eſſe, quia de facto proprio teſtantur *Conſtantin. vot deciſ.* 213. *num.* 9, *Rot. in Recent. deciſ.* 324. *num.* 29. *part.* 17., & quia deponunt cum qualitatibus ad conſtituendam immemorabilis conſuetudinis probationem requiſitis *Gloſſ. in cap.* 1. *verb. Memoria de præſcript. in* 6., *Rebuff. de Decim. quæſt.* 15. *num.* 94. Hujuſmodi

modi verò consuetudinem, tanquam legem omninò servandam sustinent *cap. final. de consuet., & §. Ex non scripto instit. de jur. nat., gent. & civil.*, & ab illius observantia nullo modo deflecti posse *L. Vetustissima Cod. de jur. Domin. impetr., Rot. in Constantien. Subsidii Parochialis 9. Junii* 1755. § 4. *cor. Bussio.* Maximè quia si aliquando contigit, ubi Patres familias filiorum cadavera humare desideraverint in Sepulchris gentilitiis, licentiam a proprio Parocho expostularint, quæ fuit ipsis quandoque denegata, frequentius verò concessa. Et de his humationibus factis cum licentia Parochorum verificari casus, quos referunt Præfecti Sacrarii tum Ecclesiæ Cathedralis, tum Ecclesiarum S. Dominici, S. Francisci, & S. Augustini.

Hinc ad II. dubium Parochi eamdem allegant consuetudinem. Ajunt enim, licentias tumulandi Puerorum Cadavera in Sepulchris gentilitiis non aliter fuisse concessas, nisi cum reservatione jurium Parochialium, & cum onere persolvendi omnia Funeris emolumenta, perinde ac si in Parochiali tumularentur. Id ex libris Parochialibus, & ex Testibus resultare, atque idcircò concludunt, integra emolumenta juxta hanc consuetudinem eisdem esse adscribenda *Ritual. Roman. tit. de Exequiis vers. caveant, Ursaya discept. Eccles. tom. 3. par. 1. discept. 12. num. 15.*

Quæstio, quæ modo agitur ex facto, & ex jure pendet. Ex jure habemus, quod filii impuberes sepeliri debeant in sepulchro Majorum, aut in Parochiali Ecclesia, nec ullo modo liceat Patribus familias alibi pro filiis sepulturam eligere, nisi contraria Regionis consuetudo arbitrium hoc ipsis adscripserit. Id statutum legimus in *cap. Licet de Sepultur. in 6.*: *Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere Sepulturam, possit (si consuetudo Terræ id habeat) quo voluerit sepelire: hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis Majoribus, vel in Parochiali Ecclesia tumulandi.* Notat autem *Gloss. in citato cap. vers. Parochialis*, nec non *Barbos. de offic., & potest. Paroch., Anaclet. in lib. 3. decret. tit. 27. num. 41.*, aliique, posteriora illa verba juxta Scripturæ ordinem non esse intelligenda in sensu diviso, ut scilicet seposita consuetudine possit pater filium impuberem pro libito vel in Sepulchro Majorum, vel in Parochiali sepelire, sed illum humare omnino debere in Sepulchro Majorum si adsit, si verò non adsit in Parochiali.

Cohæret quoque textus in *cap. Nos instituta 1. de Sepulturis*, ubi hæc habentur = *Nos instituta Majorum Patrum considerantes statuimus, unumquemque in Majorum suorum Sepulchris jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam.* Quo in loco Leo III. decrevisse videtur, ut possit unusquisque sibi Sepulturam eligere, & si non elegerit humari debeat in

Se-

Sepulchro Majorum, eoque deficiente in Parochiali Ecclesia tumuletur. Ad rem etiam conferunt, quæ disponuntur in *Cap. Eiron, & Cap. Unaqueque* 13. *quæst.* 2., ex quo exemplo veterum Patrum, & Patriarcharum eruitur, filiorum cadavera in Sepulchro Parentum esse collocanda, proindeque *lib.* 1. *Regum* 13. in pœnam dictum legimus Prophetæ, qui contra præceptum Domini comederat in Bethel = *Non inferetur Cadaver tuum in Sepulchro Patrum tuorum* =

His consentaneæ sunt nonnullæ, quæ diversis temporibus prodierunt resolutiones Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium, quas refert *P. Cavalieri tom.* 3. *cap.* 7. *in decret.* 9. *num.* 1. *& seq.* Die namque 21. *Octobris* 1616. ita statuit = *Quicumque sive sit infans, sive impubes, sive Adultus, qui Sepultura non electa decidit, sepeliendus est in Sepulchro Majorum suorum, cum ibi tacitè Sepulturam elegisse videatur* = Et die 16. *Novembris* 1645. declaravit = *Infantes, aliique quicumque, qui facultatem non habent sibi eligendi Sepulturam, vel non electi decedunt, sunt tumulandi in Sepulchro suorum Majorum, vel in Parochiali Ecclesia*. Super quo quidem decreto observat P. Cavalieri, per particulam disjunctivam *vel* non concedi optionem electionis magis pro una Ecclesia, quam pro alia; sed juxta ordinem scripturæ ita intelligendum esse, ut in Sepulchro Majorum si adsit, si verò non adsit in Parochiali debeant tumulari.

Insuper eadem Sac. Congregatio *die* 20. *Januarii* 1740. respondit = *Sepulturam eligere licet Parentibus in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a Parochis Locorum impediri possunt, aut debent, præsertim si in dictis Regularium Ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant Sepulchrum Majorum*. = Cumque evenerit, in Civitate Asculi, ut Cadaver cujusdam Puellæ tumulatum fuerit in Ecclesia Cathedrali, non autem in Ecclesia, ubi Sepulchrum Majorum constructum reperiebatur, *die* 22. *Februarii* 1641. ita decrevit = *Exhumetur Puella, & sepeliatur in Sepulchro Majorum, in quo sepeliri debent quicumque carent facultate sibi eligendi Sepulturam, & præsertim si Pater sic sepeliri intendat*.

Ac tandem cum in Civitate Forosempronii decessissent nonnulli Infantes, quorum Parentes humari illorum Cadavera optabant in Sepulchro Majorum sito in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, orta controversia est, num in ista Ecclesia tumulari deberent, vel potius in Cathedrali, ubi aderant separata sepulchra pro parvulis. Verum Sac. Congregatio *die* 20. *Martii* 1643. *examinata prius diligenter relatione Episcopi, censuit licuisse, & licere Parentibus in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere Sepulturam, ac propterea restituenda esse*

ipſorum Fratrum Eccleſiæ Cadavera Infantium jam depoſita, præmiſſis, cæteriſque quibuſcumque non obſtantibus.

Perpendi tamen etiam debent, quæ in Rituali Romano his verbis expoſita ſunt = *In primis admonendi ſunt Parochi, ut juxta vetuſtam, & laudabilem Eccleſiarum conſuetudinem, parvulorum corpuſcula non ſepeliantur in communibus, & promiſcuis Cæmeteriorum, & Eccleſiarum Sepulturis, ſed ut pro illis in Parochialibus Eccleſiis, aut illorum Cæmeteriis, quatenus commodè fieri poteſt, ſpeciales, & ſeparatos ab aliis loculos, & Sepulturas habeant, ſeu fieri curent, in quibus non ſepeliantur, niſi qui Baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos diſcretionis obierint.* Verum hujuſmodi verba hortari magis, quam cogere Parochos videntur, ut ſeparata ſepulchra pro Infantibus retineant, neque vetant, quominus Cadavera impuberum in Sepulchro majorum ſepeliantur.

Hinc quamvis Sac. Rituum Congregatio in Civitatis Caſtellanæ 12. Decembris 1620. edixerit: *Parvulorum Sepulchrum ab aliis debet eſſe diſtinctum;* Nihilominus eodem die, & anno in alia cauſa declaravit = *Parvulorum corpora poſſunt ſepeliri etiam in Eccleſiis Regularium, ſi ibi eſt Sepulchrum Majorum, vel concurrente conſuetudine, ſi ibi Pater eligat Sepulturam.*

Non diſſimilis fuit Sac. hujus Congregationis ſententia. In *Novarien.* aſſerebat Epiſcopus, nullam fuiſſe electionem Sepulturæ pro filio impubere a Patre factam, quia in loco Varalli nulla aderat conſuetudo Patri favorabilis. Verum cum Pater elegiſſet Sepulchrum majorum, ubi filii cadaver tumulari voluerat, animadverſum fuit, non ex conſuetudine, ſed ex juris diſpoſitione cadavera puberum, ſive impuberum, qui abſque electione ſepulturæ obierint, in Sepulchro majorum fore tumulanda, ut docet *Mona[illegible]. tom. 2. tit. 13. form. 1. num. 93.* Hinc propoſito *die 15. Martii* 1704. dubio = *An Cadavera impuberum Oppidi Varalli debeant ex aliqua ſpeciali conſuetudine ſepeliri in Sepultura deſtinata exiſtente in Eccleſia Parochiali, vel potius licitum ſit Parentibus ea tumulare facere in proprio Sepulchro Majorum in Eccleſia Patrum Reformatorum* = reſponſum fuit = *Negativè quoad primam partem, affirmativè quoad ſecundam.*

In *Fanen. Sepulturæ*, cum Pius Georgius poſt erectum Sacellum in Eccleſia PP. Cappuccinorum, in eo ſepulchrum conſtruxiſſet pro ſe, ſuaque Familia, ibique ſepeliri curaſſet Cadaver filii in pupillari ætate defuncti, Parochus autem Mondarii, proponi curaverit dubium = *An electio Sepulturæ ſuſtineatur pro perſona tantum Pii Georgii, vel potius pro tota ejus Familia in caſu &c.* = ſed *die 9. Maii* 1719. Sac. Congregatio reſpondit = *Negativè quoad primam partem, affirmativè quoad ſecundam.*

Hæc omnia in præſenti controverſia erant ex jure animadvertenda. In facto verò ponderandum ſupereſt, an revera adſit

adſit in Civitate Reatis contraria conſuetudo? An ſit immemorabilis? An juris diſpoſitioni prævalere debeat? Perpendendum quoque quanti faciendæ ſint adverſus aſſertam hujuſmodi conſuetudinem depoſitiones Sacriſtæ Cathedralis, & aliarum Eccleſiarum, qui ſpeciatim recenſent, pueros impuberes in majorum ſepulchro fuiſſe tumulatos.

Quoad emolumenta Parochis debita, de quibus in altero dubio diſceptatur, animadvertere præſtat quid in Synodis Reatinis diſponatur. In Synodo habita ab Epiſcopo Bernardino Guiniſio anno 1716. ita ſancitum legitur = *Pro regulanda verò quarta, ſive funerum juribus, obſervari omnino volumus immemorabilem conſuetudinem a Majoribus in hac Civitate introductam, qua attenta dimidium Candelarum Feretrum Cadaveris comitantium ad Parochum ſpectat, ſi in ejus Eccleſia, vel Parochia ſepeliatur Cadaver. Sin autem in alia Eccleſia extra Parochiæ limites ſepeliatur, ad Parochum quarta tantum Ceræ pars ſpectet, & altera quarta ad Eccleſiam, in qua ſepelitur: Altera verò medietas inter Religioſos, & Clerum ita dividatur, ut unicuique Ordini Religioſo, & Clero Sæculari Cadaver comitantibus una detur Candela, reliquæ verò Candelæ ad libitum hæredis diſtribuantur* = Id ipſum diſpoſitum quoque fuit in Synodo anno 1746. ſub Epiſcopo Camarda celebrata, per hæc verba = *Volumus, quod ſi in eorum* (Parochorum) *Eccleſia, vel Parochia ſepeliatur Cadaver, dimidium Candelarum feretrum Cadaveris comitantium ad Parochum ſpectet; ſin autem in alia Eccleſia, vel extra Pareciæ limites ſepeliatur, inhærentes conſtitutioni Benedicti XIII., quæ incipit Romanus Pontifex declaramus, ad Parochum quartam pertinere partem Intorticiorum, & Candelarum, etiam quæ in Altaribus accenduntur. Quod ſi funus non fieret in die tumulationis, ſed ad diverſam diem, vel ad aliud longius tempus differatur, Parocho nihilominus aſſignetur quarta pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipſamet peracti funeris die in Eccleſia, ubi defunctus humatus fuit, circa tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejuſdem Eccleſiæ accenſa fuerint, quacumque conſuetudine etiam immemorabili in contrarium non obſtante; altera autem ad Eccleſiam, in qua ſepelitur, & altera medietas inter Religioſos, & Clerum ita dividatur, ut unicuique Ordini Religioſo, & Clero Sæculari cadaver comitantibus una detur Candela, & reliquæ ſi ſuperfuerint ad libitum hæredis diſtribuantur.*

Epiſcopus in ſua Informatione ſuper precibus a Patribus familias huic Sacræ Congregationi oblatis, nihil peculiare habet. Quare ab EE. VV. definiendum erit.

I. *An Patribus familias competat jus eligendi Sepulturam pro Infantibus ante ſeptennium morientibus, & reſpectivè tumulandi eorum Cadavera in Sepulchris gentilitiis abſque licentia*

Pa-

Parochorum, seu potius illa sepeliri debeant in Ecclesiis Parochialis in casu &c.

Et quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & quæ emolumenta funeralia debeantur Parochis in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

AGRIEN. IRREGULARITATIS. Post meridiem diei 8. Decembris 1761. *Sacerdos Joseph Redei* Parochus Ecclesiæ Szihalmensis impatiens moræ, qua Auriga currum instruebat nodoso arrepto baculo crassitiei unius circiter pollicis ad stabulum venit, & aurigam bis in capite, ac etiam in latere dextero percussit. Auriga, instructo curru, dominum perduxit ad diversorium Sofrevienſe dimidium circiter horæ dissitum, & modico temporis spatio domum rediit. Sequentibus duobus diebus solita sua Officia, sed aliquantulum remissius, obivit, mox vero in lectum se recepit, ac Parochum mortis suæ auctorem ad extremum usque renuncians, post paucos dies e vivis excessit.

Re delata ad Curiam Ecclesiasticam Agrien., post plures examinatos Testes, idem Sacerdos tamquam *probabilissime* auctor mortis Aurigæ declaratus fuit irregularis, beneficio Parochiali privatus, ac in Monasterium detrusus, cum lege adjecta in Sententia desuper lata, ut obtenta etiam Apostolica dispensatione non aliter de alio beneficio providendus foret, quam si mores, ac usum præcipue potus inordinati deseruisse claris, ac disertis testimoniis constiterit. Sententiam acceptavit Sacerdos, & se se recepit in Conventum PP. Conventualium S. Francisci. Interim vero cum sæpius frustra dispensationem petierit, nunc iterum eamdem postulat tam ad exercitium Ordinum, quam ad Beneficiorum assequutionem.

Inquit in corpore defuncti vix parvos vibices, sive livores repertos fuisse: hos autem utpote externos numquam causare potuisse mortem, quæ ex juris præsumptione potius, quam ad illatas percussiones, referri debet vel ad malam defuncti valetudinem, vel ad superventum morbum. Deesse itaque reatum homicidii, vel saltem incertum, ac dubium esse. Nec attendendas conquestiones ipsiusmet defuncti auctorem suæ proximæ mortis enunciantis Sacerdotem, quia erroneæ fuerunt, ac etiam suspectæ cum factæ censeri possint ad transferendum in Sacerdotem onus alendæ ejus uxoris, & familiæ.

Ubi

Ubi ex his autem Sacerdotis culpa deleta non remanet; ipse saltem postulat, ut sibi concedatur dispensatio inquiens, rem esse de Sacerdote jam promoto, & de homicidio omnino involuntario, & casuali absque proposito occidendi; idque patere ex qualitate baculi non excedentis crassitiem unius pollicis, tum ex animo ejusdem Sacerdotis excitandi solummodo tarditatem aurigæ. Commiserandum idcirco esse infortunium, ac patefaciendas aures indulgentiæ, cui in homicidio casuali, ac involuntario annui facile solet *Corrad. in prax. disp. lib.5. cap.1. num.4.*, *Fagnan. in cap. ad Audientiam de homicid. num.51.*

Maxime quia Orator debitam jam, ac diuturnam luit pœnam qualiscumque culpæ, quam forsan admiserit; Quia præterea dedit constantis suæ emendationis certa argumenta, & quia demum res est de Sacerdote, qui ante passum infortunium adeo in vinea Domini fructum edidit, & in Diœcesi Agrien. Sacerdotum pœnuria laborante adeo utilis, ac fere necessarius est, ut ipsemet Episcopus iteratas etiam dederit preces pro dispensatione, ne Ecclesia Dei tam utili destituatur Operario.

Episcopus in sua prima relatione *diei 5. Februarii 1766.*, preces Oratoris summopere comendavit. Inde ipsemet Episcopus preces dedit pro dicta dispensatione, *potissimum quia ob Sacerdotum in Diœcesi mea penuriam, eorum præcipuè, qui utiliter animarum curam gerere possent valde opportunum judicarem, præfatum Sacerdotem Redei regimini cujusdam Ecclesiæ Parochialis præficere, eo magis quod idem ante præfatum homicidii casum utilem se met in Vinea Domini Operarium exhibuerit, post hunc autem jam per quinquennium, & ultra constantis emendationis, & Vitæ pœnitentis manifesta specimina dederit, & etiam bona valetudine, & viribus polleat.*

Demum sub *die* 12. *Aprilis* 1766. retulit *dictus Orator Fisco Sacræ meæ Sedis Agriensis satisfecit, sententiæ Sacræ Sedis parendo, eamdemque executione effective se adimplendo. Uxori tamen defuncti Aurigæ, a qua nulla hactenus actione impetitus fuit nil præstitit præter preces pro anima Defuncti, præstiturus tamen haud dubie ultro aliquid, ubi a vinculo irregularitatis solutus, media, & facultatem aliis quoque benefaciendi nactus fuerit: in reliquo ea huc, dum ad notorietatem publicam totius Cleri mei Agriensis, in cujus conspectu quotidie versatur, jam in quintum annum dedit præfatus Orator constantis emendationis vitæ specimina, ut gratia dispensationis, pro qua humillime iterum, iterumque instat eumdem dignum omnino censeam. Flectere potest EE. VV. ad preces ejus id quoque, quod antefatalem hunc casum exemplaris, & in vinea Domini sedulus operarius extiterit, cujus veluti in bona vegetat adhuc ætate constituti opera utiliter in cura animarum uti possem, maxime cum in ampla Diœcesi mea summa sit idoneorum subjectorum necessitas, alias intertentione Oratoris hujus jam omnibus vivendi mediis destituti,*

eadem

eadem Diœceſis mea fere abſque omni fructu, & utilitate privabitur.

Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 7. *de Ref.* voluntarium homicidium a caſuali diſtinguens hæc ſtatuit = *Qui ſua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri poſſit, nec illi aliqua beneficia Eccleſiaſtica etiamsi curam non habeant animarum conferri liceat, ſed omni ordine, ac beneficio, & officio Eccleſiaſtico perpetuo careat: ſi vero homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe comiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad Sacrorum Ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur comittatur loci Ordinario, qui diſpenſare poſſit.*

Quare Sacra Congregatio ubi actum eſt de homicidio voluntario fere nunquam diſpenſationem conceſſit, ut in *Biſacen. irregularitatis* 10. *Junii* 1741., *in Feretrana Irregularitatis* 22. *Januarii* 1757., *in Brixien. Irregularitatis* 19. *Januarii* 1765., *& in Agrigentina diſpenſationis* 30. *Januarii anni elapſi*, præſertim dum res fuit de Sacerdote promovendo, ut in *Lamacen. Irregularitatis* 13. *Septembris* 1738.. Contra vero ſumma benignitate, ac clementia diſpenſationem poſt debitam peractam pœnitentiam indulgere conſuevit in homicidio non ex propoſito, ſed tantum caſu, vel culpa admiſſo, ut in *Montis Faliſci* 6. *Junii* 1739., *in Imolen.* 28. *Januarii* 1741., *in Murana* 12. *Martii* 1763., *& in Terracinen.* 10. *Maii* 1766.

Ne autem vel nimii rigoris, vel indulgentiæ nimiæ fiat uſus in diſpenſatione vel deneganda, vel indulgenda plura perpendenda proponit *Fagnanus in cap. Henricus num.* 41. *de Cleric. pugnant. in duel.* = *An homicidium fuerit comiſſum per induſtriam, ſeu præmeditate, & per inſidias: an occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus: An tantum temporis exceſſerit a die patrati homicidii, ut illius memoria ſit obliterata in loco, & ſic ceſſet ſcandalum: Anve ab eo tempore Orator a Miniſterio Altaris abſtinuerit: rurſus an obtinuerit pacem a Parentibus, vel Conſanguineis defuncti: anve cum Fiſco concordaverit: item an eſſet alias bonæ conditionis, & famæ, & an poſt delictum ſemper laudabiliter vixerit ex litteris teſtimonialibus Ordinarii.*

Inquirendum eſt itaque, An prædictæ circumſtantiæ verificentur in Sacerdote Joſeph Redei Oratore. Etsi enim mors aurigæ tribui poſſet ictibus, quos in eum impegiſſe fatetur Orator, illam tamen non ex animi propoſito illatam fuiſſe, & per ſe conſtat, & nemo diffiteri poteſt. Jam vero ſpatio fere novem annorum Orator comiſſæ culpæ pœnam luit, certaque emendationis, optimorumque morum ſpecimina dedit. Maxime demum ſpectandum eſt judicium Epiſcopi,

qui

qui tum ob optimos Oratoris mores, ac idoneitatem, tum ob ejuſdem utilitatem, ac fere neceſſitatem in excolenda vinea Domini quam maxime Oratorem commendat, petitamque adjuvat diſpenſationem.

Eminentiſſimorum idcirco Patrum doctrina, æquitas, & clementia dijudicabit.

An ſit locus diſpenſationi ab irregularitate in caſu &c.

COMEN. Speciali ſan. mem. Gregorii XIII. delegatione cum Divus Carolus Borromæus anno 1583. ampliſſimis facultatibus donatus Apoſtolicam ageret viſitationem in nonnullis Oppidis ſitis in Helvetiorum dominio, & præ cæteris in Burgo Belinzonæ Comen Diœceſis, publici hujus Communitatis Rectores ei ſupplicarunt, ut eruditioni Puerorum proſpicere dignaretur inſtitutione Præceptoris, ſeu Ludi Magiſtri, quo locus ille carebat. Modum etiam inſinuarunt, quo facile poſſet haberi. Cum enim in Eccleſia S. Blaſii duo adeſſent beneficia, alterum *Monacaria* nuncupatum adnexum habens onus celebrationis Miſſæ ſingulis diebus feſtis, & feria ſexta cujuslibet hebdomadæ, alterum verò ſub titulo S. Mariæ Magdalenæ, & S. Catharinæ gravatum quatuor Miſſis qualibet hebdomada celebrandis; Rogarunt, ut duo hæc beneficia unirentur, & ex iis erigeretur Præbenda Magiſtralis, ſeu Scholaſtica, quam qui obtinuiſſet, Pueros erudire deberet, & onera beneficiis inhærentia impleret. Præterea-que animadvertentes, unico dumtaxat Ludi Magiſtro puerorum multitudini haud ſatis fore conſultum, petierunt etiam, ut aliud beneficium appellatum *de Cattaneis*, quod in Eccleſia S. Mariæ *del Ponte* fundatum erat, cum onere pariter celebrationis quatuor Miſſarum in quacumque hebdomada, erigeretur, & ipſum in Præbendam Magiſtralem Coadiutorialem, cujus Poſſeſſor, tanquam Coadiutor, auxilium Ludimagiſtro præſtare teneretur. *Seſſ. 22. cap. 4. de Reform.*

Hiſce piorum hominum votis annuendum cenſuit Divus Carolus, quapropter reſervato Communitati Patronatu, & jure præſentandi Scholaſticum, & Coadiutorem, factaque beneficiorum unione, atque erectione in Præbendam Magiſtralem: *Decrevit, & voluit, quod dictus Ludi Magiſter pro tempore exiſtens ſit in Sacerdotali dignitate conſtitutus, & ratione onerum celebrandi Miſſam eidem Monacariæ, & Capellaniæ SS. Catharinæ, & Mariæ Magdalenæ, & utrique earum incumbentium teneatur, & obligatus ſit celebrare Miſſam quotidianam in dicta Collegiata Eccleſia SS. Petri, & Stepha-*

ni. Quo verò ad coadiutorem ſtatuit, *quod Coadiutor quoque ſupradictus ſit Sacerdos, vel intra anni curriculum ad illam dignitatem promovendus; Si verò non erit Sacerdos, ſit ſaltem in aliquo Ordine Eccleſiaſtico conſtitutus, dictiſque Miſſas per alium ſuis ſumptibus celebrare faciat*. Illudque etiam addidit, *quod ſi ullo unquam tempore dicti Ludimagiſter, vel ejus Coadiutor in aliquam infirmitatem incideret, qua laborantes tribus menſibus continuis exercitium muneris ſui plenè obire non poſſint, quod tunc eo caſu teneantur, & obligati ſint unum ſuis ſumptibus ſufficere, qui munere docendi tantum ſuas partes ſuppleat, & in omnibus, infirmitate prædicta durante, ſatisfacere intelligantur, coganturque*.

Imminutis deinde ob temporum calamitates beneficii reditibus factum eſt, ut anno 1720., deducto Miſſarum onere, vix annua ſcuta quatuor ſupereſſent, qua de cauſa qui beneficium obtinebant, deſides quam maximè in implendo munere reperti fuerint. Huic malo occurrere volentes Communitas, & Homines Bellinzonæ, ſupplices adierunt ſan. mem. Clementem XI., exponentes, paratos ſe eſſe beneficii reditus augere ex propriis bonis merè laicalibus ad ſummam uſque ſcut. 100., dummodò tamen illud manuale, & ad nutum amovibile redderetur. Petitioni autem benignè indulgens Summus ille Pontifex, ſuis Litteris Apoſtolicis in forma Brevis ſub datum diei 14. Maii dicti anni 1720., imperavit, ut poſtquam beneficii reditus adaucti fuiſſent, *idem beneficium ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus manuale, & ad nutum, nunc, & pro tempore exiſtentium Communitatis, & Hominum dicti Oppidi amovibile exiſtat, perindè ac ſi illud uti manuale, & ad nutum amovibile fundatum fuiſſet*: Addita etiam lege, quod non ſolum in caſu vacationis Communitati, & Hominibus liberum eſſet *Presbyterum idoneum, ut antea præſentare, vel nominare*, ſed in caſu quoque negligentiæ beneficiati in implendo munere, illum amovere, *& alium Presbyterum idoneum in ejus locum præſentare, vel nominare libere, & licitè poſſint, & valeant*.

Beneficium hujuſmodi vacavit die 30. Aprilis anni præteriti. Complures ex Communitatis Decurionibus ad illud nominarunt Clericum Defendentem Molo annorum 21., cum clauſula tamen, *purchè ſia in tenore della fondazione, e Breve Pontificio*. Verum exiſtimantes alii ex eodem ordine, non Clericum, ſed Presbyterum fore eligendum, ſuſpenſa idcircò fuit præſentatio, donec judicium Sac. Congregationis ſub infraſcriptis dubiis exquireretur.

Qui putant Sacerdotem eſſe nominandum, ajunt ad I. dubium, Ordinem Sacerdotalem in ipſo actu Præſentationis, Inſtitutionis, vel collationis requiri, quoties verba fundationis Beneficii ipſum actum neceſſariò reſpiciunt *Fagnan. in Cap. ut Abbates de ætat.*, *& qualit. num.* 54., *Rot. in Fir-*

Firmani Beneficiorum 26. *Novembris* 1582. *coram Orano*, & 27. *Maii* 1587. *coram Litta*, & alibi. Rationem autem allegant, quia ſcilicet qualitas intelligenda eſt de tempore, quod per verbum indicatur *Leg. in delictis §. Extraneo ff. de noxial. act.*, *Leg. ſi Titius*, *ubi Bartolus ff. de teſtam. milit.*, ideſt in ipſo actus initio, *Abb. in Clement. Ut hi ſub num.* 18., *Pariſ. conſ.* 50. *num.* 12. *lib.* 4., *Rot. in Recen. deciſ.* 216. *part.* 2. *num.* 1., & *in Majoricen. Beneficii* 5. *Decembris* 1742. *§.* 5. *coram Calcagnino*.

Id autem adamuſſim verificari contendunt in fundatione, ſeu erectione Præbendæ Magiſtralis a Divo Carolo facta, tum quia verba illa = *Ludi Magiſter, pro tempore exiſtens ſit in Sacerdotali dignitate conſtitutus* = tempus præſens reſpiciunt; tum etiam quia onus eidem fuit impoſitum quotidie celebrandi per verba imperativa ibi = *Teneatur*, & *obligatus ſit celebrare Miſſam quotidie* = quæ quidem verba actualem Sacerdotis qualitatem volitam fuiſſe præferunt, *Fagnan. loc. cit.*, *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 31., *Ferraris in Biblioth. jur. Can. verb. Capellania num.* 34.

Addunt actualem hanc Sacerdotis qualitatem deprehendi etiam ex facultate Ludimagiſtro tributa celebrandi, atque adimplendi per alium onera, quatenus infirmitate aliqua detineretur. Arguunt enim è converſo, quod ſepoſito caſu infirmitatis, vel alterius impedimenti, celebrationem Miſſarum per ſemetipſum facere teneatur, *Monacell. part.* 2. *tit.* 13. *form.* 2. *num.* 55. Idemque inferunt quoque ex iis, quæ in erectione diſpoſita ſunt de Coadjutore, ut ſcilicet deberet eſſe Sacerdos, vel ſaltem infra annum ad Sacerdotium poſſet promoveri.

Rem magis confirmari putant ex Breve ſa. mem. Clementis XI., qui dum Præbendam ad nutum Communitatis amovibilem reddidit, eidem Communitati mandavit, ut *Presbyterum idoneum, ut antea, præſentare, vel nominare* deberet. Suſtinent autem qualitatem Sacerdotalem fuiſſe his verbis requiſitam in eo, qui præſentandus eſſet, tum quia ſemper in præteritum Sacerdotes actu, nunquam Clerici, vel Sacerdotes habitu fuerant præſentati; tum etiam quia præſentatio Presbyteri idonei non de alio verificari poteſt, niſi de eo, qui actuali Sacerdotis dignitate præfulgeat *Rocca diſp.* 190. *num.* 2., & *ſeq.*, *Rot. coram Molines deciſ.* 1124. *num.* 15.

Perperamque opponi dicunt, Breve Clementis XI. non de Præbenda Magiſtrali, ſed de Coadiutoriali eſſe intelligendum. Animadvertunt enim nullum habere, aut proferri poſſe veſtigium exiſtentiæ hujus Coadiutorialis Præbendæ; contra verò ſatis conſtare de exiſtentia Præbendæ Magiſtralis, deque præſentationibus illorum, qui Sacerdotali qualitate pollerent. Advertunt etiam, anno 1720. Præbendam hujuſmodi *Magiſtralem* appellatam fuiſſe non ſolum a

Communitate, ſed etiam a ſa. mem. Clemente XI., qui hoc præcisè nomine illam confirmavit. Ab eo autem tempore uſque ad præſens habitam communi opinione fuiſſe pro Præbenda *Magiſtrali*, & ſub hoc titulo in omnibus vacationibus factas fuiſſe præſentationes.

Ex his compertum eſſe ajunt, ſuſtineri nequaquam poſſe electionem Clerici Defendentis Molo, de qua quæritur in ſecundo dubio, cum præſentationis tempore vigeſimum primum ætatis annum, & menſes ſeptem non excederet, nec proinde de eo verificari poſſet, quod *ſit Sacerdos*, vel *intra anni curriculum ad illam dignitatem promovendus*, ut in fundatione diſpoſitum legitur, vel quod Communitas *Presbyterum idoneum*, *ut antea*, præſentaverit, quemadmodum ſa. mem. Clemens XI. mandavit. Addito etiam quod dictus Clericus idoneus dici non poteſt ad exercitium Ludi magiſtri, cum nondum completo ſtudiorum curriculo, adhuc in Seminario moretur, nec idcircò præferri debeat aliis, qui Presbyteri ſunt, & ad id munus idonei, quibus etiam de jure prælatio competit *Rot. deciſ.*607. *num.*1. *&* 2. *part.*18. *tom.*2.*Recen.*

Ex alia verò parte Clericus Molo, qui ſuam nominationem tueri præ viribus conatur, advertit primo, habitum ad hanc Sacram Congregationem fuiſſe recurſum a quatuor dumtaxat Conſiliariis diſſentientibus, cum alii undecim in ſui nominationem conſenſerint. Reiiciendum itaquè dicit, prorſuſque ſpernendum hujuſmodi recurſum, cum minor pars reprobare non poſſit quidquid a majori parte fuerit reſolutum, *Authen. Hoc jus porrectum*, *verſ. ſi verò Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.*, *Rot. coram Merlin. deciſ.*887. *num.*9., *& coram Criſpo deciſ.*28. *num.*24. Maxime quia Communitas non plures, ſed unum dumtaxat elegit, factaque ſemel nominatione, non amplius recedere, aut variare licet, *Cap. Cum autem*, *& cap. Quod autem de Jurepatr. Garz. de Benefic. part.*6. *cap.*9. *num.*214., *Piton. de controv. Patron. alleg.*100. *num.*354.

Deindè ſuſtinet, beneficia omnia ejus indolis jure præſumi, ut non Sacerdotibus tantum, ſed Clericis quoque conferri poſſint *Barboſ. in Jus Eccleſ. tit.*3.*cap.*5. *num.*3., *Rot. deciſ.*751. *num.*1. *coram Lancetta*. Id autem potiori ratione diiudicandum eſſe de Beneficio de Cattaneis, cujus erectio a Divo Caroſo facta noſcitur cum hac declaratione = *Quod Coadjutor quoque ſupradictus ſit Sacerdos*, *vel intra anni curriculum ad illam dignitatem promovendus*, *ſi verò non erit Sacerdos*, *ſit ſaltem in aliquo Ordine Eccleſiaſtico conſtitutus*, *dictaſque Miſſas per alium ſuis ſumptibus celebrare faciat* = Ait enim poſteriora hæc verba ſatis apertè demonſtrare, poſſe ſimplicem etiam Clericum præſentari.

Nullam autem vim fieri poſſe dicit in Apoſtolico Brevi ſa.me. Clementis XI., cum in eo per errorem tantum, & ex fal-

ſa

ſa expoſitione, expreſſum fuerit appellatione *Præbendæ Magiſtralis* Beneficium, quod nomine *Præbendæ Coadiutorialis* debuiſſet appellari. Errorem autem ex eo deprehendi, quod Beneficium de Cattaneis, de quo in relato Brevi fit mentio, nunquam a Divo Carolo in Præbendam Magiſtralem, ſed Coadiutorialem fuerit erectum: Inſuperque ex eo etiam deſumi contendit, quod in eodem Brevi exprimitur onus inhærens Præbendæ Coadiutoriali, non verò Magiſtrali. Nec exiſtimari poſſe, addit, Pontificem voluiſſe Præbendam Coadiutorialem in locum Magiſtralis non amplius exiſtentis ſubrogare, cum ſubrogatio hujuſmodi, mutationem qualitatum involvens, explicitam mentionem requiſiviſſet, *Rot. cor. Falconer. de Benef. deciſ. 5. num. 11.*, *& cor. Lancett. dec. 618. num. 2.*. Eo vel maxime, quia quamvis reditus adaucti fuerint a Communitate, nihil tamen adiectum fuiſſe dignoſcitur de oneribus, quæ Præbendæ magiſtrali inhærebant.

Nec ad ſuadendam actualem Sacerdotis qualitatem in eo, qui beneficium aſſequi deberet, proferri poſſe putat verba illa Brevis = *quod Communitas Presbyterum idoneum, ut antea, præſentare libere poſſit* = Suſtinens per hæc verba nullam fuiſſe inductam novam qualitatem, nec quidquam derogatum legi fundationis, quæ de ſimplicibus etiam Clericis eſt intelligenda. Immò obſervat, vigore ejuſdem Brevis redactum fuiſſe, tanquam manuale beneficium de Cattaneis, quod erat perpetuum, unde arguit Capellanias manuales, ſeu amovibiles nunquam eſſe Sacerdotales *Piton. diſcept. Eccleſ. 19. num. 16.*, *Garz. de Benef. cap. 2. num. 83.*, neque admittere prælationem Sacerdotis ſupra Clericum *Conſtantin. Vot. deciſ. 421. num. 34. tom. 3.*

Inutiliter demum recurri poſſe exiſtimat ad obſervantiam Clericorum excluſivam, cum non ſolum non probetur, ſed reijciatur etiam ex facto, quo conſtat, ſimplicem etiam Clericum poſt evulgatum Breve fuiſſe admiſſum. Cæterum quatenus etiam obſervantia hujuſmodi favore tantum Sacerdotum verificaretur, nihil tamen relevare poſſe affirmat, niſi ſimul probetur, Sacerdotum electiones non ex actibus facultativis proceſſiſſe, ſed coacte ad excludendos Clericos fuiſſe peractas *Rot. coram Criſpo deciſ. 115. num. 13. coram Falconer. deciſ. 7. tit. de Jurepatr. num. 3.*, *& in Piſcien. Beneficii 25. Junii 1753. §. final. coram Amadeo*.

Hinc ad II. dubium concludit Clericus Molo, ſuſtineri pro hac ſaltem vice præſentationem ſui favore canonicè factam a majori Conſiliariorum parte, qui bona fide Clericum quoque præſentari poſſe opinati ſunt. Præſertim quia nullus adeſt legitimus contradictor, nulluſque in concurſu Sacerdos, qui ſuam præſentationem tueatur.

Reſolutio præſentis cauſæ tota pendet a diligenti examine fundationis, & Brevis ſa. mem. Clementis XI. Inquirendum

dum est enim, an quæ ibidem exprimitur, & quæ hodie extat Præbenda, ea revera sit, quæ olim *Magistralis* appellabatur, & talis revera erat, seu potius sit Præbenda *Coadiutorialis* sub nomine, & titulo *Magistralis*, quæque proindè justa fundationis legem conferri etiam possit alicui, qui *sit saltem in aliquo Ecclesiastico Ordine constitutus*.

Coadiutorialem eam esse putat Episcopus Comensis, qui in sua relatione hæc ait = *Quid de principali Præbenda Scholastica erecta in bonis Monasterii S. Blasii, & Capellaniæ S.S.Mariæ Magdalenæ, & Catharinæ evenerit, ignotum est: Ejusdem Scholasticæ vestigia nulla extant inpræsentiarum; sola reliqua est Præbenda Coadiutorialis Scholasticæ erecta ex bonis Capellaniæ de Cattaneis, cui instituendæ Juventutis in minoribus litteris principaliter nunc cura incumbit.* = Cohæret etiam Nuncius Apostolicus apud Helvetios, qui de hoc requisitus asserit = *Piam hanc Divi Caroli institutionem ferè funditus destruxit, & evertit temporum calamitas, cum beneficia, quæ erecta erant in Præbendam Magistralem vetustate in totum dilapsa non amplius extarent, & vix de anno 1720. pauci supereſſent reditus alterius Præbendæ Coadiutorialis. Quapropter ille, qui tempore D. Caroli Coadiutor esse debebat, in locum Magistri succeſſit.*

Verum paulo post sermonem instituens de iis, quæ in præcibus sa. mem. Clementi XI oblatis expositа sunt, addit = *Quamvis autem hac occasione Communitas præfata de Magistrali Præbenda a S. Carolo erecta, & temporum calamitate dilapsa, verba minimè fecerit, nec petierit, ut Præbenda Coadiutorialis in locum dilapsi Beneficii subrogaretur; attamen, ut conjicere facile est, apprimè eruitur ex ipsa Apostolici Brevis narrativa, haud dubitarunt Oratores beneficium hoc derelicta primæva origine in Præbendam Magistralem transiisse, unde obliterato Præbendæ Coadiutorialis nomine, præfatum beneficium* Præbendam Magistralem *nominarunt, & de illius possessore, non tanquam Coadiutore, sed veluti Magistro verba fecerunt.*

Post hæc suam unusquisque aperit sententiam, & in eam Nuncius Apostolicus descendit, ut excluso Clerico, Sacerdos præferri debeat, quemadmodum EE. VV. deprehendent ex illorum relationibus, quæ inter monumenta causæ circumferuntur. Omnibus itaque asserta maturitate perpensis dijudicandum erit.

I. *An ad Beneficium Communitatis Bellinzonæ, de quo agitur, sit præsentandus Sacerdos actu, seu potius conferri possit simplici Clerico, in casu &c.*

II. *An sustineatur electio facta in personam Clerici Defendentis Molo, itaut danda sit eidem institutio in casu &c.*

Die Sabbathi 31. Martii 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

HAbent EE. PP. in præſenti Folio deſcriptas Cauſas, quæ vel ex poſtrema Congregatione indeciſæ remanſerunt, vel modò decidendæ proponuntur. Dignabuntur itaque Dubiis reſpondere.

REATINA JURIS TUMULADI. *Seſs. 25. cap. 13. de Reform.*

I. *An Patribus familias competat jus eligendi Sepulturam pro Infantibus ante ſeptennium morientibus, & reſpectivè tumulandi eorum Cadavera in Sepulchris gentilitiis abſque licentia Parochorum, ſeu potius illa ſepeliri debeant in Eccleſiis Parochialibus, in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè ad primam partem:

II. *An, & quæ emolumenta funeralia debeantur Parochis, in caſu &c.*

Ad I. Licere Patribus Familias tumulare Filiorum impuberum Cadavera in Sepulchris gentilitiis ſine licentia Parochorum, & amplius. Ad II. Affirmativè ad formam Synodalium Conſtitutionum, & amplius.

AGRIEN. IRREGULARITATIS. *Seſs. 14. cap. 7. de Reform.*

An ſit locus diſpenſationi ab irregularitate, in caſu &c.

Conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione.

COMEN.

I. *An ad Beneficium Communitatis Bellinzonæ, de quo agitur, ſit præ-* *Seſs. 22. cap. 14. de Reform.*

præsentandus Sacerdos actu, seu potius conferri possit simplici Clerico, in casu &c.

II. *An sustineatur electio facta in personam Clerici Defendentis Molo, itaut danda sit eidem institutio, in casu &c.*

Ad I. Præsentandum esse Sacerdotem actù idoneum, & in ejus defectù eum, qui infrà annum promoveri possit ad Sacerdotium, & iis omnibus deficientibus etiam simplicem Clericum. Ad II. Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. Diù acta disceptatio est in Sacra Congregatione inter Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Spiren., & Ædiles Margravii Badensis, ut declararetur, cui nam incumberet onus reædificandæ Parochialis Ecclesiæ Villæ Seelbach, & quia etiam sequestro submissæ fuerant decimæ ad Capitulum Spirense, uti Supremum in illis Locis Decimatorem, pertinentes, illud idcircò quæsitum etiam fuit, an decimæ hujusmodi essent per ipsos Ædiles restituendæ. Duo proposita fuere dubia *die* 30. *Maji* 1761., scilicet. *I. An, & ad quem spectet reædificatio Ecclesiæ Parochialis Oppidi Seelbacensis? II. An sit locus restitutioni decimarum, & a quo sint restituendæ, in casu &c.*; proditque responsum: *Ad I. Spectare primo loco ad reditus Fabricæ, secundo loco ad Populum, tertio ad Patronum; Ad II. Affirmativè, & esse restituendas à Regimine Badensi.* Certamine renovato *die* 17. *Septembris* 1768., jura sua tantum deducente Capitulo, perstitum est in decisis; quod & factum fuit, utraque Parte informante, etiam *die* 18. *Novembris anni mox elapsi*; addita etiam duabus hisce posterioribus resolutionibus clausula *& amplius*. Præstat benignè resumere folia jam distributa, & præsertim dierum 30. *Maji* 1761., *& 16. Septembris anni præteriti*.

Facta nihilominus est Badensis Margraviatus Regimini iterata venia jura sua deducendi; Quapropter dum res eadem hodie reproponitur, idem Regimen plura quoad 1. dubium tam in facto, quam in jure animadvertit. Ante omnia fuso calamo inquit, urgentem necessitatem in causa fuisse, cur a Parochiali de Rothenfels dismembraretur Ecclesia Seelbacensis; hoc manifeste conjici tum ex ambarum Ecclesiarum distantia ad unius horæ spatium, tum ex interjacentia Fluminis Murgg ripas non infrequenter superantis, tum

tum demum ex viarum aſperitate, quæ ob difficultatem aſcenſus æquè, ac deſcenſus, ob glaciei lubricum, aliaque impedimenta ferè impoſſibilem reddebant acceſſum. Convinci hæc a Teſtibus Rothensfeldenſibus, & Gaggenavenſibus, ex Peritorum depoſitionibus, ac ex Topographico delineato ſchemate.

Ut igitur ſpirituali animarum bono foret proſpectum, anno 1361. Comitem de Eberſthein tunc Loci Dominum Parochialem Eccleſiam in Seelbach, conſtituta dote pro Rectoris alimonia, erigi curaſſe, ob urgentes neceſſitates in litera fundationis expreſſas, reſervatis tamen Capitulo majoribus decimis, annuaque præſtatione loco mortuariorum, & oblationum. Hujuſmodi obventiones percepiſſe Capitulum abinde citra per longiſſimum temporis ſpatium abſque ullo impendio; at ſupervento inevitabili caſu an. 1754. reædificandæ Eccleſiæ Seelbacenſis, ne ſcandala orirentur, & ludibrio Acatholicorum Divina Miſteria exponerentur, aut Incolæ periculo ſubjicerentur declinandi a Fide, Fabricæ opus incæptum fuiſſe, erogata portione aliqua decimarum ad Capitulum pertinentium, ſciente tamen, & approbante Spirenſi Epiſcopo. Hoc etiam ſilentio ſuo probaſſe Capitulum, ſuoque facto Vicarium Rothensfelden., qui juſſu Epiſcopi novæ Eccleſiæ primum jecit lapidem; nec eorum aliquem ſurgenti Templo per tempus notabile contradixiſſe, aut jura reſervaſſe.

His in facto præmiſſis, in jure obſervat, quod cum diſtantia Eccleſiæ Seelbacenſis ab illa de Rothensfels, aliæque ſupra recenſitæ itineris difficultates, gravia præferrent damna ſpirituali animarum ſaluti, eaſque in maximo periculo conſtituerent, neceſſe fuerit ad novam Parochialis erectionem devenire, ex diſpoſitione *Text. in Cap. Ad audientiam il* 1. *de Eccleſ. ædific.* renovata à *Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *ca.*4. *de Reformat.*, ut notat *Fagnan. in eod. Cap. Ad audientiam num.*16. & 17., & cenſuit Sac. Congregatio *apud eundem*; Immò addit, quod etiamſi disjunctim extitiſſent eædem difficultates, juſtam tamen diſmembrationis cauſam præbuiſſent, *Fagn. loc. citat. num.*18., *Rot. in Recent. deciſ.*484. *num.*3 *part.*1., & Sac. Congregatio in *Lunen. Sarzanen. Erectionis Parochialis* 16. *Julii* 1712., *in Papien. diſmembrationis* 10. *Aprilis* 1717., *in Marturanen. diſmembrationis* 24. *Martii* 1736., & *in Firmana diſmembrationis* 15. *Decembris* 1759.

Nec obſtare ſuſtinet exceptiones, vel quod Eccleſia de Seelbach ad Parochialitatis honorem evecta fuerit impulsù Comitis tunc loci Baronis, vel quod ſervatæ non extiterint ſolemnitates Proceſſus conficiendi pro veri-

ficanda neceſſitate diſmembrationis. Ad primum enim reſpondet, Baronem ipſum aſſignaſſe dotem pro Rectoris ſuſtentatione, & apud Epiſcopum pro tali erectione inſtetiſſe, prout in actu fundationis impoſitum legitur, *Monacell. form. legal. tom.* 1. *for.* 3. *num.* 7.; Parochialem verò fuiſſe ab Epiſcopo erectam in Seelbach non jam intuitù ejuſdem Baronis, ſed ob urgentia damnorum pericula. Ad alterum regerit, formalem ob id Proceſſum non requiri *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæſt.* 28. *num.* 34., *aliique*; & inſuper advertit diuturnitatem temporis favorabilem inducere præſumptionem cujuſcumque adhibitæ ſolemnitatis, & neceſſariæ cauſæ, *Barboſ. de offic. Paroch. par.* 3. *cap.* 28. §. 2. *ſub num.* 16.

Ex his infert, Decimas ex Territorio Seelbacenſi percipi ſolitas, obligationem habere infixam manutentionis novæ Parochialis; Id negare non potuiſſe Capitulum in allegatione reſponſionis Sacræ Congregationi oblata; id patere etiam, ſi conſideretur, quod ſuper illis decimis noviter erecta Parochia fundatam in jure habeat intentionem, licet prius a Matrici Eccleſia perciperentur, ad *Text. in cap. ad Decimas de reſtit. ſpoliat. in* 6., *& in cit. cap. Ad audientiam de Eccl. ædific.*, *ibique Abb. n.* 14., *Fagu. n.* 55., *& alii plures*; maximè quia juſta diſmembrationis cauſa interfuit, *Barboſ. de offic. & poteſt Paroch. par.* 3. *cap.* 28. *num.* 16. *& ſeqq.*, *Leurex diſſert. canon.* 15. *n.* 41. *ſeq.*: ac demum ponderandum proponit, ad tramites *Concil. Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* Parochiales collapſas reficiendas eſſe in primis ex fructibus, & proventibus quibuſcumque ad eaſdem quomodocumque pertinentibus, quales certo ſunt decimæ. Concludit hæc omnia locum habere in præſentibus circumſtantiis, in quibus Capitulum Spiren. nullam aſſignavit dotem Rectori de Seelbach, ſicuti tenebatur, juxta diſpoſitionem *cit. Cap. Ad audientiam, & Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de Refor.*

Quod ſi ab hoc onere ſe exemit Capitulum, eximi tamen non poſſe dicit a ſubminiſtratione ſaltem decimarum, pro illius Eccleſiæ reædificatione, cum decimæ non tantum ad Miniſtrorum Dei alimoniam, ſed & ad Eccleſiarum conſervationem ſint ordinatæ *Text. in can.* 30. *&* 31. *quæſt.* 2. *cauſ.* 12., & præter alios *Leurex diſ. Canon.* 16. *num.* 39. *ſeqq.*

Addit huic juris diſpoſitioni derogatum non fuiſſe ex pacto in erectione appoſito, quia ibi tantum cavetur, ne Rector congruè alias proviſus majores fructus decimas percipiendo conſequatur. Accedere ad hæc, non poſſe ad reædificationem Eccleſiæ obligari Parochum, qui nil habet ultra honeſtam ſui ſuſtentationem,

nem; non reditus Fabricæ, qui non in erectione Parochiæ, ſed progreſsù temporis acquiſiti, pauciſſimi ſunt, non etiam Populum, qui deficientibus tantummodo decimis, aliiſque fructibus ſubſidiariè obſtringitur; non denique Margravium Badenſem, quia præter quam, quod ipſe Patronatu non gaudet, quod ſolum fuit reſervatum in fundatione favore Comitis de Erberſtein; inquit inſuper, col. latam a loci Baronem fuiſſe dotem Rectori, non autem emiſſam obligationem Eccleſiæ reſtaurandæ, ideoque in anteactis Cauſæ hujus diſceptationibus, EE. PP. declaraſſe tali oneri obſtrictum prius fuiſſe Populum, deinde Patronum.

Quum igitur unio Parochialis Rothensfeldenſis ſubſecuta fuerit diſmembrationem Eccleſiæ de Seelbach ab eadem Parochia, ut in facto probare nititur, ſuſtinet, decimandi jus ad Capitulum tranſiiſſe cum onere infixo reædificationis Parochiæ Seelbacen. ex firmatis per *Gloſs. in cap. Monachus* 16. *quæſt.* 1., *Lotter. de re benefic. lib. primo quæſt.* 13. *num.* 54.. Tali juris præſcripto conſonam eſſe exiſtimat conſuetudinem tum generalem Margraviatus Baden., tum etiam particularem Capituli, quod non renuit reparare Eccleſias Parochiales ſibi ſubjectas, & præcipuè cæteras Filiales, licet a Rothensfelden. olim ſeparatas æquè, ac iſta de Seelbach; eamque conſuetudinem jus certiſſimum conſtituere, & eſſe præ omnibus in hac materia attendendam, *Abb. in cap.* 1. *de Eccleſ. reædific.*, *Franc. de Eccl. Cathedr. ca.* 13. *num.* 112.. Nec probari poſſe longævum uſum Capitulo favorabilem aut negativum, aut affirmativum. Non primum, quia reſpectu Eccleſiæ Seelbacen. occaſio ſeſe antea non obtulit; neque ſecundum, quia ſacrarum Viſitationum actus in contrarium enunciati pugnant inter ſe, ideoque vim probationis non habent; & ex tenuiſſimis contributionibus unica vice factis a Populo de Seelbach pro reſtaurandis Curia, & Domo Parochiali non inducitur longè gravior obligatio reparandi Eccleſiam, maximè quum Parochiani per modum tantum eleemoſynæ, parum pecuniæ contribuerunt. Denique pauperrimam eſſe dicit Communitatem de Seelbach, ac proinde contrariam conſuedinem, ſi forſan inoleviſſet, omnino poſthabendam eſſe, per *Textum in cap. Aurum* 12. *quæſt.* 2., *Sperell. deciſ.* 68. *num.* 24.

Breviſſimè a II. dubio ſe expedit, inquiens, ex dictis profluere, decimas non eſſe reſtituendas, ſed ad ſummum reſervanda fore Capitulo jura ſua pro conſequutione valoris decimarum adverſus quoſcumque obligatos ad Parochialem Seelbacenſem reædificandam.

E'contrario nil novi repetit Capitulum unicè exorans pro benigna reaſſumptione Juriumi jam diſtributorum. Advertit tantummodo, poſt editum reſcriptum *diei* 18. *Novembris*

proximè elapſi, ſolemnem a Tribunali A.C. ſententiam latam fuiſſe ſuper executione reſolutionum Sac. Congregationis, mandatumque relaxatum pro decimarum reſtitutione, unde rem judicatam exortam fuiſſe contendit.

Omnibus itaque libratis per EE.PP., ac præſertim ſcientia, & conſenſu Epiſcopi in retentione Decimarum, maturo, quo ſolent, judicio definient

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Non propoſita, cum ſequentibus.

Seſſ. 24. cap. 3. de reform. Matrimon.

RAGUSINA. Accuſatus anno 1757. Elias Miloſcevich de ſtupro cum prægnantia commiſſo cum Anna Vocativo, ac in carcerem detruſus, ſententia Judicis Laici *diei 29. Decembris ejuſdem anni* damnatus fuit ad nubendum dictæ Annæ, *e non volendola prendere*, ad ſolvendum nummos aureos biſcentum, & ultra in dotis augumentum, de quibus ipſa etiam innupta libere diſponere poſſet, addita lege, quod *in caſo detto Elia ſcieglieſſe pagare detti zecchini cento*, poſt horum ſolutionem adhuc per aliud ſemeſtre in carceribus detineretur. Sententia hæc plene acceptata, & executa fuit, nam Elias ſolvit aureos nummos prædictos, & nonniſi completo ſemeſtri e carcere fuit dimiſſus.

Anno 1768. cupiens Elias alias inire nuptias, obſtitit Franciſcus Vocativo Annæ Frater, qui oppoſuit ſtuprum ab eo commiſſum ſub fide matrimonii. Re delata ad Curiam Eccleſiaſticam, prodiit die 14. Martii 1768. ſententia, qua declaratum fuit, *dictum Eliam non eſſe in ſtatu libero, eo quod tenetur ducere in Uxorem dictam Annam Vocativo*. Ab hac vero ſententia cum Elias reclamaverit, quæſtio hujuſmodi nunc proponitur, ipſo tantum inſtante, ac tacentibus Anna, ejuſque Conſanguineis.

Inquit itaque Elias, ſtupri crimen mixti eſſe fori, ac etiam a Judice laico cognoſci poſſe: Jam vero ob executam ſententiam Judicis laici anno 1757. latam, atque in auctoritatem rei judicatæ tranſactam a quavis obligatione, & onere ſolutum remanſiſſe: perperam idcircò nunc ex cauſa dicti ſtupri iterum moleſtias pati *Raynald. obſerv crim. cap. 1. §. 10. num. 44.*, *Julius Clar. lib. 5. ſent. §. final. quæſt. 57. num. 9.*, nec idem crimen etiam in Curia Eccleſiaſtica proponi amplius poſſe *Sacra Congregatio Immunitatis in Nucerina 8. Julii 1687.*

Addit arbitrium a jure ſtuprantibus concedi, vel ducendi in Uxorem quam cognoverint, vel ei dotem præſtandi *cap. 2. de adult.*, hocque ipſum arbitrium ſibi in ſententia Curiæ Laicalis conceſſum fuiſſe. Dum itaque ultra gravem corporalem pœnam, etiam dotem præſtitit, abunde onus ſuum impleviſſe, ſibique facultatem nubendi aliam, quam ma-

lue-

luerit, comparaſſe, *Pirhin. de adult. ſect.* 1. §. 2. *n.* 41., *Fagnan. in lib.* 5. *decret. cap. pervenit de adult. ſub num.* 2., *Gonzalez ibid. num.* 8., *Reifenſt. lib.* 4. *decret. tit.* 1. §. 4. *num.* 87., *Rot. cor. Emer. jun. dec.* 1285. *n.* 1.

Falſo vero excipi ſtuprum fuiſſe patratum ſub fide matrimonii, cum id concludentiſſimis probationibus evinci oporteret *Rota in Amerina Sponſalium* 22. *Novembris* 1737. §. 3. *coram Calcagnino*, *in Majoricen. Sponſalium* 6. *Martii* 1752. §. 3. *coram Amadeo*, & *in Pampilonen. Sponſalium* 28. *Junii* 1754. §. 3. *coram Borull*. Ad hoc autem probandum ineptos eſſe allatos Teſtes ſingulares, inconcludentes, gravibuſque exceptionibus obnoxios: nihilque item ſuffragari vulgatam præſumptionem habiti commercii ſub fide matrimonii, cum ea nec concludentis probationis vices ſuppleat, nec locum habeat, ubi illibata honeſtas deeſt, & res eſt de perſonis diſparis conditionis *Rot. in Amerina Sponſalium* 22. *Novemb.* 1737. §. 9. *cor. Calcagnino*, & *in Majoricen. Sponſalium* 6. *Martii* 1752. §. 4. *cor. Amadeo*.

Negat demum ſtupri crimen ſe patraſſe, aſſerens Annam nunquam illud faſſam fuiſſe, ſed inſtantibus tantum illius Parentibus, ac Conſanguineis judicium omne ſive criminale, ſive civile cæptum, ac perfectum fuiſſe. Hinc de falſitate, mendacio, aliiſque pluribus exceptionibus notat contrarios Teſtes; ac ſaltem advertit, ex longævo tredecim annorum ſpatio, omnem ex ſtupro actionem fuiſſe ſublatam, quum hæc quinque annorum ſpatio præſcribatur, *ad Text. in L. Mariti* §. *Sex menſium ff. ad L. Jul. de adult.* & *ſtupr.*, & *L. Adult.* 5. *Cod. eod.*

Ab alia parte diù expectata, nihil hactenus datum eſt. Archiepiſcopus omnia confirmans, quæ in facto expoſita ſunt, aſſerit ex ſententia, qua declaravit Eliam non eſſe in ſtatu libero, ſuam hac in Cauſa opinionem ſatis deprehendi.

Prætermiſſis variis pœnis à Jure civili inflictis iis, qui ſtuprum commiſerunt, de quibus in §. *Item lex Inſtit. de public. jud.*, *L.* 1. §. *ult. de extraord. crim.*, *Leg. Si quis* 38. *ff. de pœnis*, *L. Infames* 7. *de public. judic.*, *L.* 18. *de Teſtib.*, veteri Sacrorum Canonum jure id cautum fuit, *ut ſi quis ſeduxerit virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit Uxorem. Si vero Pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt*, ut in *cap.* 1. *de adult.* & *ſtupr.*

Verum D. Gregorius Magnus moderato antiqui juris rigore, hæc ſtatuit = *Pervenit ad nos, quod Felix quamdam virginem ſtupro decepit, quod ſi verum eſt, quamvis eſſet de lege pœna plectendus, nos aliquatenus legis duritiem mollientes, hoc modo diſponimus; ut aut quam ſtupravit Uxorem habeat, aut ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque*

que in Monaſterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia, ut legitur in *cap. 2. eod. tit. de adult. & ſtupr.*

Hinc apud omnes receptum eſt, defloratorem teneri vel ad ducendum in Uxorem, quam cognoverit, vel ad illam dotandam. Quia vero in *alternativis delictoris eſt electio, & ſufficit alterutrum adimpleri*, ut ex *Textu in cap. in alternativis 70. de Reg. Jur.*, & *in L. Plerumque 10. ff. de jur. dotium*; recepta ideo ubique eſt conſuetudo, & praxis omnium ferè Tribunalium, ut Stuprator non abſolutè cogendus ſit ad nubendum, ſed in ipſius arbitrio ſit, ſoluta dote ab omni onere, & obligatione ſe eximere *Fagnan. in cap. Pervenit de Adult. & Stupr.*, *ibique Barboſa num. 5.*, *Pirrhing. in jus canon. lib. 5. tit. 16. ſect. 1. num. 14. annot. ad deciſ. 1226. num. 3. cor. Emerix Jun.*

Alternativa tamen hæc dotandi, aut nubendi competit tantum ſimplici Stupratori, non ſic ei, qui ſtuprum qualificatum, nempe ſub promiſſione conjugii commiſerit: hinc conſtito de ſtupro paſſo uum accepta matrimonii fide, ab hujuſmodi nexu per ſimplicem oblationem dotis non eximitur Stuprator, ſed ad ineundum matrimonium opportunis juris remediis cogendus eſt, *Reinſenſt. ad lib. 4. decr. tit. primo de Sponſ. num. 115.*, *Pirrhing. in jus canon. de adult. num. 56.*, *Naglor. de Sponſ. part. 2. num. 4.*, *Rot. cor. Lancetta dec. 230. n. 19.*, *in Camerin. Sponſalium 12. Junii 1711. S. fin. cor. Priolo*, & *in Romana Sponſalium 24. Januar. 1738. S. Conſtabi. lito coram Nunez*.

Præcipua ideo nunc inſpectio eſt, an conſtet de ſtupro patrato ab Elia, & quatenus de eo conſtiterit, num ejus generis ſit, quod ejus damnum jam fuerit reparatum per ſolutionem aureorum biſcentum, & ultra in partem dotis, vel potius ejuſmodi ſit, ut eum adigat ad ineundum cum Anna Matrimonium.

Ambigi ſanè nequit, ſtuprum mixti fori eſſe, locumque fieri prævention coram Judice laico. At vero jam ab an. 1757. Franciſcus Annæ Pater querelam coram Judice laico contra Eliam inſtituit, *qualmente addietro tre anni in circa il detto Querelato avea dato fede all' Anna mia figlia di ſpoſarla, e con tal preteſto gli fece graviſſimi torti, ed ora perchè ricuſa di eſeguire a quanto avea come ſopra promeſſo, cioè di ſpoſarla per verba de præſenti, dimando giuſtizia*.

Hinc Elias in carcerem detruſus, & ſententia damnatus *die 29. Decemb.* 1757. per hæc verba = *Elia Mileſcovich ſentenziato debba prendere in Moglie per verba de præſenti Anna figliola di Franceſco Vocativo, e non volendola prendere come ſopra, debba dare, e pagare a dett' Anna in ajuto della ſua dote zecchini cento Venezian d'oro, e però &c., e che queſti debbano metterli a frutto, qual frutto debba andare in moltiplico*

della

della ſudetta dote. Però venendo il caſo di qualche grave biſogno, poſſino li detti Tutori dare a detta Anna gli frutti prævia la licenza dell' Eccellentiſſimo Minor Conſiglio, e che gli detti zecchini 100. *eſſa Anna anche non maritandoſi poſſa diſporre in morte a ſuo beneplacito. Ed in caſo eſſo Elia ſi eglieſſe pagare gli dd. zecchini cento, debba doppo lo sborzo dell'iſteſſi continuare a ſtare ſei meſi continui in prigione.*

Ab hac autem ſententia nemo reclamavit: hinc Elias eligens ſolutionem dotis, ſolvit ſtatutos aureos nummos, & per ſemeſtre carceris pœnam ſubiit. Perpendendum ideo, num poſt hæc fas ſit Eliæ negarè ſtuprum. Ponderandum deinde, an a quavis alia obligatione ipſe ex cauſa hujus ſtupri ſolutus remanferit, itaut idem crimen ſibi obeſſe amplius non poſſit in Curia Eccleſiaſtica, quominus litteras Teſtimoniales Status liberi obtineat, aliaſque nuptias contrahat. Viden. *Raynald. obſervat.crimin. cap-primo §.*10. *num.* 44., *Jul. Clar. lib.* 5. *ſentent. §. final. quæſt.* 57. *num.* 4.

Sacra Congregatio Immunitatis in una *Nucerina* 8. *Julii* 1687 declaravit = *Poſita præventione Curiæ Laicæ ſuper delicto mixti fori, v.gr. ſtupri, Curia Eccleſiaſtica abſtineat a procedendo, quamvis præcipitanter, & abſque ſufficientibus probationibus reus fuerit abſolutus* =, ut in *lib.Decret.Martelli pag.*130., quemadmodum refert *Ferrar. Biblioth. verb. Præventio n.*17. & 18.. Item in una *Peruſina* 30. *Septemb.*1704., cum quis abſolutus a Curia Epiſcopali ſuper ſtupris commiſſis, poſtea captus fuiſſet a Birruariis Curiæ Laicæ, & Tribunal Sacræ Conſultæ inſtetiſſet pro declaratione, an Curia Laicalis procedere poſſet in iiſdem Cauſis tanquam mixti fori, non obſtante prædicta abſolutione, eo quod non interveniſſet captura Rei in Curia Eccleſiaſtica, Sacra Congregatio Immunitatis cenſuit, bene fuiſſe abſolutum, & excarcerandum, & amplius non moleſtandum *lib. Decret. Vallemani anni* 1704. relat. a *Fatolil. Sect.*44. *de cognit.cauſ. mixt. fori.*

Emi PP. qua ornantur ſapientia, ac juris ſacri peritia definire dignabuntur

An conſtet de ſtatu libero Eliæ Milofcevich ad effectum contrahendi Matrimonium, cum qua maluerit, in caſu &c.

NEAPOLITANA MATRIMONII. Matrimonium inierat menſe Aprilis anni 1759. Vincentius Confalone Marchio Petinæ cum Catharina Bajona, & quinque menſes ambo ſimul condormientes convixerant, cum evenit, ut Catharina Viro inconſulto, ope, & conſilio Theologorum, & Confeſſarii, ſeſe receperit in Monaſterium S. Pauli, quod vulgò appellatur *delle Scorziate*. Hinc Vir Curiam adiens Archiepiſcopalem, petiit, ut Uxor ad

Seſſ. 24. *cap.* 6. *de Reform.Matr.*

ad reditum in Domum ſuam, & ad præſtanda obſequia matrimonialia cogeretur, Decretumque petitioni conſonum obtinuit. Tunc Catharina Viri impotentiam allegavit, addenſque ſævitias, ac turpia nonnulla, matrimonii nullitatem propoſuit. Omnia tamen negavit Marchio Vincentius, & Sacramenti religione affirmans, ſequutam matrimonii conſummationem, id ipſum iterum, ac tertio confirmavit, prolato quoque judicio quatuor Medicorum, ut aſſertam ſuam impotentiam excluderet,

Res ab anno 1763. obdormivit ad annum uſque 1768.. Tum demum Catharina inſtetit, ut ſuum corpus ab Obſtetricibus recognoſceretur, ac recognitione integra fuit renunciata; receptoque deinde ſeptimæ manus juramento, judicii exitus properabat, quum Marchio Vincentius ſuas retractans aſſertiones ſuper Matrimonii conſummationem antea factas, aſſeveranter dixit, Matrimonium ratum tantummodo fuiſſe, non conſummatum, proindeque facultatem poſtulavit ingrediendi Religionem. Hinc Curia Archiepiſcopalis ſententiam protulit petitioni conformem, a qua Matrimonii Defenſor appellavit, delataque Cauſa ad Sac. hanc Congregationem, definiendum modò proponitur dubium in calce tranſcriptum.

Ad faciliorem aperiendum aditum favorabili reſolutioni Patronus Conjugum Marchionis Vincentii, & Catharinæ duo in anteceſſum animadvertit. Primum, quod in præſenti caſu inquirendum non ſit de perpetua, atque abſoluta Viri imbecillitate, ſed ſicuti ante Matrimonii conſummationem liberum eſt unicuique ex Conjugibus Religionem ingredi *Cap. Verum* 2, *Cap. Ex publica 7. de converſ. Conjug.*, *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de Matrimon.*, ita ſatis ſit, ut Conjuges, quo tempore ſimul convixerunt conjugales actus non exercuerint. Alterum, quod ſepoſito probationum rigore, ſufficiat utriuſque Conjugis depoſitio, quo eorum cuique poteſtas fiat Religioni nomen dare *Card. Argenvillieres diſſert. apud Conſtantin. vot. deciſ. tom. 4. Vot. ult. num. 9.*

In eum finem inquit, magnam fidem adhibendam eſſe juratæ, ſæpiuſque repetitæ Conjugum confeſſioni *Glaſſ. in cap. 1. verb. probari de frigid, & malefic.*, *Card. Argenvillieres loco citat. num. 11.*, præſertim ſi aliis adminiculis fuerit roborata *Rot. in Romana diſſolutionis Matrimonii ad Ornat. Card. de Luca to. 2. lib. 14. dec. 10. num. 5.*: Adminicula autem hujuſmodi repetenda eſſe ex ſimulationibus, experimentis, aliiſque, quæ Vincentius tentavit, ac molitus eſt, ut nunquam ſequutam Matrimonii conſummationem occultaret, *Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſp. 94. num. 5.*, *Urſaya diſcept. Eccleſ. 12. n. 10. 55. & 145.*

Accedere etiam inſpectionem corporis Catharinæ factam a duabus Obſtetricibus à Judice electis, quæ poſt adhibita omnia

omnia artis remedia, illam intactam, ac virginem renunciarunt. Hac autem probatione firmiorem nullam, meliorem que proferri posse affirmat *Cap. Proposuissi* 4., *Cap. Causam* 14. *de probat.*, *& cap. Fraternitatis 6. de frigid., & malefic.*; Addens, quod si hujusmodi recognitio esset per se sufficiens, *Sanchez loco citat. disp.*109. *num.*8., *Gonzalez in* 2.*decret.tit.*19. *ad Cap. Proposuisti*, in multo majore pretio sit habenda, quod duplex etiam alterius Obstetricis, probæque Mulieris extrajudicialis recognitio illi superacceserit.

Præter hæc adstipulari quoque inspectionem corporis Viri factam a duobus Medicis, totidemque Chirurgis a Judice electis, qui, uno excepto aliquantulum dubitativè loquente, flocciditatem, & inertiam, & vitia consummationem impedientia agnoverunt. Sustinet autem, Peritorum judicium hac in re pro veritate ipsa haberi semper consuevisse *Zachias quæst.medicoleg.to.*2.*lib.*2.*tit.*3.*quæst.*3.*num.*6., *Vrsaya disceptat.*12.*num.*45.

Demum nec desiderari dicit juramentum septimæ propinquorum, vicinorumque manus, quod una cum juramento Conjugum integram, perfectamque probationem ad Matrimonii rati dissolutionem constituit *Can. Requisivisti caus.*33. *quæst.*1., *Cap.Laudabilem* §.*Si autem de frigid. & malef.*, *Vrsaya discept.*21.*n.*138.*tom.*3.*par.*2.

Licet autem non inficietur Conjugum Patronus, oculos, & manus Obstetricum sæpe decipi, ut habetur in *Can.Nec aliqua* 4. *caus.*27.*quæst.*1., negat tamen id accidere posse, quando omnes adhibitæ fuerint diligentiæ, omniaque experimenta, Balnea præsertim aquæ calentis *Hostien.in cap.Causam Matrimonii num.*4.*de probat.*, *Cap.Causam quæ de probat.*, *Rot. ad Ornat.Card. de Luca dec.*11.*num.*39.*tom.*2.*lib.*14.. Eo magis quia juxta communem recentiorum Physicorum opinionem læso semel virginitatis claustro, nullo potest remedio, aut arte fanari, *Neister compend.anatom.pag.m.*105., *Veinsavv exposit.anatom.*4. *num.*951., *Moyagn. adverss.anatom. tom.*1. *§.*29.. Plura item congerit ad eruendam probationem ex judicio Peritorum, de quibus animadvertit, necesse haud esse, ut omni certitudine physica deponant, sed satis sit, probabiliter tantum, & rationabiliter testentur *Sanchez loc.cit.disp.*113.*num.*13.*&* 15., *Rot.ad Ornat. Card.de Luca num.*13.

Nec obesse ait defectum juramenti septimæ manus propinquorum ex parte Viri, cum hoc non sit de judicii forma, sed suppleri possit, prout suppletum abundè remansit ex Testibus formiter examinatis, & ab Obstetricum, & Peritorum relatione *Sanchez ibidem disp.*107.*num.*3. *&* 7., *Vrsaya loco pariter cit. num.*85., *Rot. dicta dec.*11. *num.* 21. *ad Ornat. Card. de Luca tom.*2. *lib.* 14.. Contendit præterea nullam habendam esse rationem de priori Marchionis Vincentii

declaratione, cæteroquin ſubobſcura, & Matrimonii conſummationem non indicante, ſed poſteriorem potius attendendam eſſe, tum ratione temporis, & finis, quo emiſſa fuit, nimirum ad amplectendam vitam perfectiorem, tum etiam ratione adminiculorum, quibus roborata deprehenditur, examinis videlicet Teſtium, & relationis Obſtetricum, & Peritorum.

Tandem nihil officere aſſerit Catharinæ ſilentium ad quintum uſque menſem ab inito Matrimonio protractum, quia poſtquam conſtat ex utriuſque Conjugis confeſſione, Matrimonium tantummodo fuiſſe ratum, ac plures concurrunt probationes de non ſequuta illius conſummatione, liberum eſſe dicit Uxori, non obſtante quocumque temporis lapſu Viri impotentiam proponere, & Matrimonii diſſolutionem utiliter poſtulare *Sanch. loc. ſup. cit. diſp.* 109. *n.* 5., *Rot. d. dec.* 11. *ad Ornat. Card. de Luc. num.* 42.

Contra hæc Matrimonii Defenſor obſervat ex officio, ex ſola cohabitatione, & condormitione Viri juvenis cum Uxore juvene, quinque menſium ſpatio continuata, violentam reſultare, ac certam juris, & de jure præſumptionem ſequutæ conſummationis *Cap. Litteris* 12., *& Cap. Tertio loco de præſumpt.*, *Pignattel. tom. primo conſult. canon.* 148. *num.* 21., *Rot. coram Falconer. de Sponſal. dec.* 3. *num.* 13.. Et adverſus hanc præſumptionem non alias admitti probationes, niſi quæ pleniſſimæ ſint, & concludentes, omnemque ſuſpicionem removeant *Pignattell. ibidem num.* 15. *&* 22., *Card. de Luca de Matrim. diſc.* 7. *num.* 7., *Rot. dec.* 171. *num.* 5. *part.* 9. *tom. primo Recent.*. Præſertim quia Vir ab initio Matrimonium conſummaſſe affirmavit, ſuamque declarationem non ſolum juramento pluries firmavit, ſed Peritorum quoque teſtimonio comprobavit. Ex his infert minimè faciendas eſſe poſteriores contrarias illius declarationes, quia de jure prioribus magis deferendum eſt juratis depoſitionibus, quam poſterioribus ex intervallo emiſſis *Leg.* 2. *ff. de teſt.*, *Cap. in tua eodem tit.*, *Pax Jordan. lucubrat. canon. tit.* 18. *num.* 1214.

Plura inde animadvertit, ut proſternat inſpectionem corporis Mulieris ab Obſtetricibus factam, quam fallacem eſſe contendit non ſolnm ex ipſo Jure Canonico (*Can. Nec aliqua c.* 27. *quæſt.* 1., *Cap. Cauſam* 14. *de probat.*, *Gloſſ. in cap. Propoſuiſti verb. per aſpectum de probat.*, verum etiam ex conſtanti plurium Authorum ſententia, aſſerentium vel nulla per ſe dari certa virginitatis ſigna *Zachias quæſt. medicolegal. tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 2. *quæſt. prima num.* 4. *& ſeq.*, *Augen. epiſt. med. tom.* 2. *l.* 1. *cap.* 5., vel Matrimonii conſummationem perfici poſſe citra ullam virginalis clauſtri læſionem *Sor. in* 4. *diſtinct.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 4. §. *Cauſæ*, *Sanchez de Matrimon. diſp.* 21. *num.* 2. *lib.* 2., *Annæus Robert. lib.* 4. *rer. judic. cap.* 10. *pag.* 790.. Multo vero magis hujuſmodi inſpectionem

nem fallacem habendam esse in præsenti casu, quo Catharina adolescentula annorum septemdecim Viro conjuncta fuit, ejusque corporis recognitio non prius, quam post novennium fuit expleta; hoc etenim temporis spatio partes coalescere, glutinari, atque ad naturalem integritatem redire potuerunt, *Augen. in loc.cit.*, *Zachias loco pariter cit.*, *& quæst. 3. num.4. & seq.*, *Severin. Pæn. de not. virgin. lib.1. cap.6.*

Addit infirmissimum quoque esse argumentum depromptum ex inspectione corporis Viri, cum Periti dubitativè tantum loquuti fuerint de illius impotentia, quæ referri potius debet ad ingenitum cuique a natura pudorem, præsertim Viro nobili ingenitum *Augen.ibidem lib.10. pag 626.*, *Cabassut. Theor.pract. Jur.Canon. lib.3. cap.25. num.6.*. Maximè, quia ipse, Uxore in Monasterio jam degente, morbum contraxit, assertæ impotentiæ omninò repugnantem.

Minimi etiam faciendum esse dicit juramentum septimæ manus propinquorum, vicinorumque, cum non constet Mulieres ex parte Catharinæ ad id vocatas, propinquas, aut vicinas fuisse. Advertit insuper deesse simile juramentum septimæ manus ex parte Viri, quod tamen necessarium est, quando utrique Conjuges Matrimonii consummationem impugnent *Can. Requisivisti*, *Cap. Laudabile §. Si autem.*, *& Cap. final. de frigid.*, *De Just. de dispensat. lib. 2. cap.71. num.33.*

Quatenus tandem sententiam Curiæ Archiepiscopalis Neapolis confirmationem mereri posse censeatur concludit, præcavere sedulo oportere, ne liberum Mulieri sit ad alias nuptias transire, nisi post solemnem Viri professionem, juxta formam præscriptam a *Concil. Trident. sess.25.cap. 15. de Regular.*, *De Justis de dispensat.Matrimon. lib. 2. cap.34. num.85. & 86.*, *Clericat. de Sacrament.Matrimon. decis. 13. num.39. & seq.*

Duo in hac Causa sunt quæstionum capita, primum pertinet ad probationem Matrimonii rati, & non consummati, alterum ad tempus alterutri ex Conjugibus concessum ad deliberandum de ingressu in Religionem. Quoad primum, decrevit Cœlestinus III. in *Cap.Laudabilem 5. de frigid. & malefic.*, deferendum esse utriusque Conjugis juramento, cum septima manu propinquorum, ac vicinorum bonæ famæ. Inquit enim = *Si autem, quod nunquam se invicem cognoverint ambo fateantur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (si propinqui defuerint) tactis Sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quod valeant ad secundas nuptias convolare.* Idemque sancitum legitur in *cap.fin. eodem tit.*, *& can.Requisivisti can.33. quæst.1.*

Observant autem Doctores, juramentum septimæ manus propinquorum, ac vicinorum non esse de forma essentiali, sed etiam per Testes arbitrio Judicis suppleri posse. Hanc opinionem sequuta est Sac. Congregatio in alia *Neapolitana Matrimonii*, in qua licet septima propinquorum, vel vicinorum manus non adtuisset, cum quinque tantum illius Consanguinei juramentum præstitissent, nihilominus, quia aliæ aderant probationes Matrimonii consummationem excludentes, *die* 11. *Aprilis* 1761. rescriptum prodiit, quo Matrimonium illud ratum, sed non consummatum fuit declaratum. Quare inquirendum est in præsenti casu, an detectum septimæ manus ex parte Viri suppletum remanserit per Testes formiter examinatos, per judicium Obstetricum, aliasque Peritorum relationes.

Super hisce autem probationibus inquirendum est, quanti faciendum sit judicium Obstetricum, quæ non rarò fefellerunt, ut, experientia duce, refert *Augen. Epist. medic. to.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5., *Bajon. ad Clar.* §. *fin. quæst.* 4. *num.* 7.. Maximè si res sit de Puella adolescente, quæ post longum tempus a die initi Matrimonii recognita fuerit. Inquirendum præterea, quanta vis tribuenda sit relationibus Peritorum, si dubitativè deposuerint, & ex æquivocis tantùm signis Viri impotentiam desumpserint.

Quod autem respicit alterum quæstionis caput circa tempus Conjugibus concessum ad deliberandum de ingressu in Religionem, habetur in *Cap. Ex publico* 7. *de convers. Coniug.*, quod *si Vir Mulierem non cognovit carnaliter, & eadem Mulier . . . ad Religionem transire valuerit, recepta ab ea cautione, quod vel ad Religionem transire, vel ad Virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat &c.* Spatium verò duorum mensium computandum nonnulli censuerunt a die contracti Matrimonii, ut *Basil. Pont. de impedim. Matrim. cap.* 19. §. 2., *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disp.* 24. *num.* 21., *Barbos. in Cap. Ex publico* 7. *de conver. Coniug. num.* 9.. Ex communi tamen Canonistarum Sententia, computari debet a die præfixionis termini a Judice factæ, ut advertit *Fagnan. in d. cap. Ex publico n.* 26., *Piringh. in* 3. *decret. tit.* 32. *n.* 52. *not.* 4., *Reiffenstuel. ibid.*, *Schmalzgrueber ibid. n.* 5.

Idque deprehenditur ex ipso textu citati *cap. Ex publico*, quo Alexander III. mandat, ut Uxor, quæ a Viro jam diverterit, præstare debeat cautionem, vel ingrediendi infra duos menses Religionem, vel ad virum redeundi. Ex hoc namque patet, requiri ministerium hominis, proindèque terminum duorum mensium decurrere ipso jure non posse a die initi Matrimonii, sed a die præfixionis termini *Fagnan. ibid.*, *& in cap. cum sit eis n.* 45., *&* 46. *de ætat.*, *& qualit. Ordin.*, *aliique supra citat.* Inferunt idcircò Canonistarum plerique, quod si elapso bimestri, nullaque præstita cautione, Matrimonium nondum fuerit consummatum, li-

liceat, non obstante quocumque temporis lapsu, Religionem ingredi *Reiffenstuel. loc. cit. n. 5.*, *Schmalzgrueber loc. pariter cit. n. 9.*

His igitur opportunè perpensis, dignabuntur EE. PP. decernere.

An constet de Matrimonio rato, & non consummato, itaut liceat Marchioni Vincentio Consalone ingredi Religionem approbatam ad effectum in ea profitendi in casu &c.

CEPHALUDEN. DISTRIBUTIONUM. Edicto anni 1693. Episcopus Cephaluden. tertiam partem redituum quatuor Dignitatum Ecclesiæ Cathedralis nempe *Decanatus*, *Archidiaconatus*, *Cantoratus*, & *Theologalis Præbendæ*, convertendas jussit in quotidianas distributiones, easque = *in casu fallentiæ pro suo arbitrio, & successorum in posterum erogandas in fabricam Ecclesiæ quatenus ægeat, sin minus alteri loco pio*. Ægre id tulerunt Dignitates, aditoque sequenti anno 1694. Sacro hoc Tribunali, duo proposita fuerunt dubia I. *An prædictæ distributiones quotidianæ amissæ ob non interessentiam Episcopi arbitrio cedant, vel potius* II. *An ipsis interessentibus Dignitatibus accrescere debeant*, & prodiit responsum: *Ad I. Affirmative, Ad II. Negative*. *Sess. 21. cap. 3. de Reform.*

Nulla tamen ex post separata fuit portio in distributiones quotidianas convertenda, itaut Dignitates fructus integre, & sine ulla diminutione perceperint; Sed cum anno 1745. Episcopus omnes reditus, & fructus Dignitatum sequestratione obstrinxerit, ut exequutioni mandaretur rescriptum Sacræ Congregationis anni 1694., Dignitates iterum ad hoc Sacrum Tribunal confugerunt, ac proposito *An sit standum, vel recedendum à Decisis sub die 6. Martii* 1694. responsum fuit die 7. Julii 1749. *Dilata, & exhibeatur erectio Dignitatum, firmo remanente sequestro pro rata fallentiarum tantum*, ut in *Thesaur. Resol. tom. XVIII. pag. 39.*

Siluit huc usque quæstio omnis, atque interim Dignitates fructus omnes integre perceperunt. Verum curà, & vigilantia hodierni Episcopi expergefactæ dictæ Dignitates nunc iterum, transmissa erectione, postulant, ut prævio recessu a decisis sub annum 1694. declaretur, ut firma manente erogatione tertiæ partis redituum cujuscumque Dignitatis in quotidianas distributiones, harum fallentiæ dividantur proportionabiliter inter Dignitates præsentes, & interessentes.

Inquiunt distributiones quotidianas institutas fuisse ad augendum Ecclesiæ servitium, ut Dignitates, ac Canonici majori sollicitudine Divinis Officiis intersint tum timore earum

rum amminiſſionis, tum etiam allecti ſpe lucandi fallentias, quæ inter præſentes tantum dividendæ forrent: hinc juri conſonum eſſe, ut amiſſæ ab abſentibus accreſcant præſentibus, qui eorum vices, onera, & Officia ſupplent. Idque ipſum ſtatutum fuiſſe in ipſarum Dignitatum erectione, in qua cautum eſt, ut diſtributiones ex tertia redituum parte conflatæ inter præſentes, & intereſſentes repartirentur. Perperam idcirco anno 1693. Epiſcopum edixiſſe, fallentias abſentium Dignitatum applicandas fore Fabricæ, vel loco pio, contra juris diſpoſitionem, qua præſcribitur, illas Dignitatibus præſentibus accreſcere debere.

Ita quoque decretum fuiſſe a Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. *de Ref.* imperante diviſionem diſtributionum quotidianarum Dignitatum, Perſonatuum, & Canonicorum abſentium inter Dignitates præſentes, & cæteros divinis Officiis intereſſentes. Nec contrarium edicit in *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. *de Ref.*; nam ibi non de quotidianis agitur diſtributionibus, nec de onere intereſſentiæ Chori, ſed tantum de aliis oneribus vel ex lege fundationis, vel ex Epiſcopi decreto adimplendis.

Extollunt demum ampliſſimum votum hodierni Epiſcopi, qui ſpectato erectionis tempore, ac perpenſa indole, & natura diſtributionum quotidianarum, nec non Dignitatum ſervitio, ac Diœceſis conſuetudine cenſet, fallentias earumdem Dignitatum accreſcere debere aliis Dignitatibus intereſſentibus. Hinc concludunt, nefas eſſe ab ejuſdem Epiſcopi judicio recedere, cui Sacrum Concilium Tridentinum liberum dedit arbitrium de participatione earumdem diſtributionum, ac fallentiarum diſponendi.

Epiſcopus quam maxime adjuvat Dignitatum preces, & earumdem juſtitiam late vindicare ſatagit; ut ex ejuſdem Relatione, quæ inter monumenta cauſæ habetur. In erectione vero Dignitatum hæc habentur = *ita quod ſaltem tertia pars omnium fructuum tam Decanatus, quam Archidiaconatus, nec non Cantoratus, & Theologalis Præbendæ, quia Archidiaconatus, & Præbenda Theologalis competenter dotati exiſtunt, in diſtributiones quotidianas juxta formam Decretorum Concilii Tridentini omnino converti debeat.*

Nomina Beneficiorum, ac Præbendarum penitus incognita fuerunt prioribus Eccleſiæ ſæculis, cum bonorum, & redituum omnium Eccleſiaſticorum cura, & adminiſtratio ad ſolos pertineret Epiſcopos, a quibus ſtatis temporibus juxtam præſcriptam a Sacris Canonibus menſuram inter Clericos ſervitio Eccleſiæ adſcriptos dividebantur. Erectis vero poſtmodum Beneficiis, ac Præbendis cum ſeparatione redituum, opus fuit, ne Eccleſiæ ſervitium negligeretur, in quotidianas convertere diſtributiones certam partem redituum tantum repartiendam inter eos, qui præſentes, & intereſſentes eſſent.

Au-

Auctor harum distributionum renunciatur Ivo Episcopus Carnotensis, nam ex ejus *Epistola* 219. ita habetur = *Cum in qu ampluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ Regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas Canonicas deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam Præposituram, ut indefieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut quos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua Præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.*

Usum hunc tamquam utilem, ac necessarium quam maxime laudavit, & confirmavit tum jus Canonicum in *cap. licet de Præbend.*, *cap. olim de verb. signif.*, *& cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.*, tum Sacrum Concilium Tridentinum in *sess. 21. cap. 3. de ref.*, ubi *statuit Sancta Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, Portionum, & Officiorum separari debere, & in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes proportionabiliter juxta divisionem ab Episcopo etiam, tamquam Apostolicæ Sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione dividantur*, & in *sess. 24. cap. 12. de Ref.*

Ad tramites hinc hujus Conciliaris sanctionis Sacra Congregatio semper decrevit, distributiones quotidianas, non obstante contraria consuetudine, ex tertia parte fructuum cujusque Canonicatus singulis horis Canonicis ab Episcopo esse assignandas, quæ inter præsentes, & Divinis Officiis interessentes tantum essent dividendæ, ut in *Alexandrina lib. 3. Decr. pag. 22.*, *in Aquipendien. 29. Novembris* 1692., *in Civitatis Castellanæ Punctaturarum* 14. *Aprilis* 1614., *in Maurianen. 14. Februarii* 1625., *& 24. Maii* 1632., *in Guardien. 8. Maii* 1649., *in Albanen. Distributionum 9. Decembris* 1690., *in Carpentoraten. 21. Iunii* 1731., *& in Nullius, seu Terræ Pontiani Præcedentiæ, & Distributionum 26. Martii* 1735., sublata penitus sive Episcopo, sive Capitulo qualibet facultate eas remittendi, ac condonandi absentibus, ut in *Terracinen. 13. Ianuarii* 1624. *lib. 12. Decr. pag.* 149.

Indubii propterea nunc juris est, distributiones quotidianas ex tertia parte fructuum desumptas ab absentibus amissas præsentibus acquiriri, sive accrescere *Fagnan. in cap. Gravis num. 80. de restit. spoliat.*, *cap. de cætero num. 9. de Cler. non resid.*, *cap. licet num. 76. de Præb.*, *Passerin. cap. un. de Cler. non resid. in 6. num. 4.*, *& 28.*, *Scarfanton. ad Ceccop. part. 3. addit. 3. num. 2.*, *Panimol. decis. 20. annot. 3. num. 2.*, *Rot. cor. Bich. decis. 576. num. 1.*, *coram Merlin. decis. 139. num. 2.*, *& in*

& in Gerunden. diſtributionum 21. *Januar.* 1701. *coram Tremoille ;* Quapropter Sacra Congregatio in una *Aſculana* 5. *Junii* 1706. propoſito V. *An diſtributiones non interuenientium poſſint reponi in Maſſa communi , & dividi æqualiter , ſeu potius ad ratam ſervitii* , reſpondit : *Negative quoad primam partem , & quoad ſecundam affirmative .*

Equidem Sacrum Concilium ſtatuit in *ſeſſ.* 22. *cap.* 3. = *Epiſcopi etiam tamquam delegati Apoſtolici , ex fructibus , & proventibus quibuſcumque omnium Dignitatum , Perſonatuum , & Officiorum in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis exiſtentium, tertiam partem in diſtributiones eorum arbitrio aſſignandas dividere poſſint , ut ſcilicet,qui eas obtinent , ſi perſonaliter competens ibi ſervitium juxta formam ab eiſdem Epiſcopis præſcribendam quolibet die ſtatuto non impleverint , illius diei diſtributionem amittant , nec ejus quoquo modo dominium aquirant , ſed Fabricæ Eccleſiæ quatenus indigeat , aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur .*

Verum quidquid dixerint Canoniſtæ ad conciliandum hoc *cap.* 3. *ſeſſ.* 22. cum præcedenti *cap.*3. *ſeſſ.*21. , recepta modo interpretatio , ac conciliatio eſt , Decretum *ſeſſ.* 22. injungens applicationem amiſſarum diſtributionum favore Fabricæ Eccleſiæ , vel alteri loco pio loqui tantum de diſtributionibus extraordinariis , & impropriis , quæ de reditibus particularibus Dignitatum,Perſonatuum , & Officiorum aſſignandæ ſunt pro implemento particularium onerum , ac Officiorum eiſdem Dignitatibus, & Perſonalibus vel ex fundatione , vel ab Epiſcopo injunctorum, non vero de quotidianis diſtributionibus ex maſſa communi Capituli aſſumendis , & pro rata intereſſentiæ Divinis Officiis dividendis , de quibus jam edixerat in *ſeſſ.* 21. *cap.*3. Viden. *Fagnan.in cap. quia nonnulli de Cler.non reſid.num.*12., *& ſeqq.* , *Barboſ. ad Conc. Trid. ſeſſ.*22.*cap.*3. *num.*5. , *Benedictus XIV. lib. Inſtit. notif.*107. *§.*7. *num.* 41.

Emi PP. qua pollent juris ſacri peritia , ac rectæ interpretationis Sacri Concilii Tridentini ſcientia , ſententiam dicent .

An ſit ſtandum , vel recedendum a deciſis ſub die 6. Martii 1694. *in caſu &c.*

*Seſſ.*24. *cap.*13. *de Reform.*

CONSTANTIEN. DECIMARUM . Ad tuendum jus decimandi ex Novalibus Agrorum exiſtentium intra limites Parochiæ Seefeldenſis , quod Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Conſtantienſis adſcripſit Tranſactio poſt aliam vetuſtiorem inita anno 1581. inter ipſum Capitulum , & Monaſterium , atque Abbatem Salemitanum Ordinis Ciſtercien-

cienſis, ad quem pertinet memorata Parochia, imploravit idem Capitulum auctoritatem Sac. Congregationis; coram qua die 16. Decembris proxime præteriti propoſito Dubio = *An, & in qua ſumma debeantur Decimæ ex Novalibus Agrorum in Nuſdorff, & Burnau Parochiæ Seefeldenſis in caſu &c.* & diſputationi adeſſe non curantibus Monachis, ſequens prodiit reſolutio: *Affirmative ad formam Tranſactionis Anni* 1581.. Quamvis vero contra hanc Reſolutionem audiri impetrarint, moniti tamen ad deducendum jura ſua in proximo EE. PP. conſeſſu, nihil adhuc hactenus attulerunt; Quapropter reſtat modo, ut decernatur.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

CONSTANTIEN. JURISDICTIONIS. Sæpe numerò Epiſcopi Conſtantienſes conqueſti ſunt de turbata ab Abbate Monaſterii Salemitani Ordinis Ciſtercienſis Epiſcopali juriſdictione, quoad Monaſteria Monialium, perſonas, ac loca eiſdem Monaſteris ſubjecta. Ad omnes itaque perpetuo eliminandas, dirimendaſque controverſias *Emus D. Cardinalis de Rodth* hodiernus Epiſcopus Conſtantienſis maximo, quo ducitur, zelo ſervandæ Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Pontificiarum diſpoſitionis, tuendæque Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cunctas in XXVI. capita diſtinctas nunc judicio Eminentiſſimorum Patruum ſubmittit, Abbate adhuc ſilente, ac jura ſua non deducente. Cum autem plenum otii foret, ac maximi tædii EE. VV. ſingula referre ab Emo Epiſcopo in ſuo libello adducta, breviter idcirco tantum addam, quæ ex Apoſtolicis Conſtitutionibus, vel ex Reſponſis Sacræ Congregationis lucem ad tot Dubia reſolvenda afferre poſſunt. *Seſſ. 24. cap. 11. de Reform.*

Ad I. Gregorius XV. in notiſſima Conſtitutione incip. *Inſcrutabili* ſtatuit = *Confeſſores vero ſive ſæculares, ſive Regulares quomodocumque exempti tam ordinarii, quam extraordinarii ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus exemptarum, audiendas nullomodo deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Idque ipſum confirmarunt Urbanus VIII. in *conſt. 92. Bull. nov. tom. 4.*, Clemens X. in *Conſt. Superna*, *eod. Bull. tom. 6. num. 7.*, & præſertim Innocentius XIII. in *Conſt.* incip. *Apoſtolici Miniſterii* §. 18. = *Meminerint quoque Regulares, ſe excipere non poſſe Confeſſiones Monialium, tametsi eorum regimini, & gubernio ſubiectæ ſint, niſi ultra licentiam ſuorum Prælatorum Regularium, præcedat examen coram Epiſcopo Diœceſano faciendum, ejuſque ſpecialis, quoad confeſſiones dictarum*

Monialium approbatio, remota quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

Hinc Sacra Congregatio in *Cadurcen.* 12. *Julii* 1658. *ad II. Dub.* respondit = *Confessarios etiam extraordinarios Monialium, etiam Regularibus subjectarum, post Constitutionem Gregorii XV. hac de re editam, nullatenus posse earum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbentur, non obstante quacumque contraria consuetudine.*

Et in præcisis terminis Regularium Ordinis Cistercienſis in *Pharaonen. jurisdictionis* 14. *Novembris* 1733., ubi proposito III. = *An idem Emus Ordinarius possit inhibere Regularibus, ne sine prævia ejus approbatione excipiant confessiones Monialium, etiam subjectarum regiminis ipsorum Regularium, non obstante asserto Brevi Urbani VIII., atque prætensa consuetudine?* respondit *Affirmative*. Et in *Vvormatien. jurisdictionis* 9. *Julii* 1746.

Idemque responsum datum etiam fuit de omnibus Regularibus cujuscumque Ordinis Diœcesis Constantiensis, in *Constantiensi* 13. *Junii* 1744., & in *Olumucen.* 7. *Junii* 1755. *ad Dub. XI.*, in qua proposito = *An Confessarii ab Episcopo approbati ad audiendas Confessiones fidelium utriusque sexus possint sine speciali approbatione Episcopi, in confessarios Monialium exemptarum a superioribus Regularibus destinari*, responsum fuit: *Negative*, cujus Rescripta Apostolica Constitutione Benedicti XIV. incip. *ad solium Justitiæ* plene confirmata fuerunt, spreto quolibet privilegiorum, vel contrariæ consuetudinis prætextu allato a Monachis Præmonstratensibus, Cistercienſibus, & Benedictinis.

Ad II., edixit Clemens X. in *Const.* 7. incip. *Superna* §. 4. = *Religiosos generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere, quoad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

Quare in dicta *Olomucen. anni* 1755. ad propositum Dub. XII. = *An saltem dicti Confessarii Regulares pro audiendis confessionibus unius Monasterii Monialium exemptarum, vel pro una vice approbati, censeri debeant approbati semper, & pro omnibus Monasteriis Monialium?* responsum fuit: *Negative*.

Ad III., & IV., statutum fuit a Gregorio XV. in d. Constitutione *Inscrutabili* §. 5. = *Liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque administratores amoveant, iisque Superioribus id facere detrectantibus*

tibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem, prædicto s Confeſſores, & adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit.

Verum poſt hanc Bullam Gregorianam variis exortis quæſtionibus propoſito XII. = *Cum in eadem Conſtitutione ſtatutum ſit, ut liceat Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confeſſores Monialium, atque adminiſtratores bonorum ad earumdem Monialium Monaſteria pertinentium, an hujuſmodi cauſam Epiſcopus ſignificare teneatur*, & Sacra Congregatio reſpondit, *Non teneri hujuſmodi cauſam ſignificari Superioribus Regularibus, ſed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Epiſcoporum, quorum conſcientias Sacra Congregatio ſerio oneravit, ne facultate ſibi in hac parte tributa quoque modo abutantur, ejus rei in diſtricto Dei judicio rationem reddituri = Tambur. de Monial diſp. 26. quæſt. 3.*

Ad V., cautum eſt in Bulla Gregoriana §. 5. = *Sed, & adminiſtrantes bona ad ejuſmodi Monaſteria Sanctimonialium etiam Regularibus ſubjectarum pertinentia ſive Regulares extiterint, ſive ſæculares quomodolibet exempti, Epiſcopo Loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant.*

Hinc Sac. Congregatio in una *Neapolitana exactionis rationum* 11. *Martii* 1673. propoſito dubio = *An non obſtante prætenſo non uſu, liceat Emo Archiepiſcopo ad formam Conſt. Gregorii XV. exigere rationes adminiſtrationis bonorum Monialium Regularibus ſubjectarum?* reſpondit *Affirmative.*

Et in terminis Regularium Ordinis Ciſtercienſis in una *Pharaonen. juriſdictionis* 14. *Novemb.* 1733., in qua propoſito = *An liceat eidem Emo Ordinario petere rationes adminiſtrationis bonorum ipſorum Monaſteriorum*, prodiit reſponſum: *Affirmative*, & in *Papien.* 16. *Martii* 1743., *in Vvormatien. juriſdictionis* 9. *Julii* 1746. *ad III. Dub.*, & *in dicta Olomucen. anni* 1755. *ad X. Dub.*

Neceſſe tamen eſt ad formam dictæ Bullæ Gregorianæ interpellare Superiores Monaſterii, ut declaravit Sac. Congreg. in *Hieracen. viſitationis* 26. *Jan.* 1692., in qua diſceptato dubio = *An poſſit Epiſcopus adminiſtratores redituum Monaſterii exempti ad redditionem rationis compellere non vocatis Superioribus Monaſterii, eoſque adminiſtratores amovere, quatenus iidem Superiores interpellati id renuant facere*, reſponſum fuit = *Quoad primam partem negative, quo vero ad ſecundam affirmative, lib. 42. Decret. pag. 46.*

Ad VI., ſtatuit eadem Bulla Gregoriana §. 5. = *ac ſimiliter poſſit Epiſcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorumdem Monaſteriorum quocumque nomine appellentur, electionibus vel per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere abſque ulla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.*

Unde in una *Conimbricen. diei* 16. *Julii* 1639. Sacra Congregatio ad IV. Dub. rescripsit = *Episcopum præsidere debere ad præscriptum Constitutionis Gregorii XV. electioni Abbatissæ, vel Priorissæ Monasteriorum Monialium etiam exemptorum a jurisdictione ipsius Episcopi*: idemque constanter semper respondit, ut in *Hieracen. visitationis* 26. *Janu.* 1692. *ad Dub. VIII.*, *in d. Pharaonen. jurisdictionis* 14. *Nov.* 1733., *in Vvormatien. jurisdictionis* 9. *Julii* 1746. *ad II. Dub.*, & *in d. Olomucen. jurisdictionis anni* 1755. *ad Dub. IX.*

Ad VII., Sacra Congregatio in una *Suessonen.* 16. *Septembris* 1662. respondit *ad Episcopum pertinere voluntatem virginum ad Regularem habitum, aut ad professionem etiam in Monasteriis exemptis admittendarum explorare*. Item in una *Papien.* 16. *Martii* 1743. proposito = *An liceat Abbatibus SSmi Salvatoris, & Sanctorum Spiritus, & Galli Ordinis Cassinensis admitti facere puellas in Capitulo Monialium Monasteriorum Sanctæ Mariæ Theodoræ pro acceptatione ad habitum, antequam exploretur ab Episcopo illarum voluntas*; responsum fuit: *Negative*.

Et speciatim de Monasteriis Ordinis Cisterciensibus in *Olomucen. jurisdictionis* 11. *Julii* 1655., in qua disceptato XI. Dub. = *An possint Cistercienses absque solito examine Ordinarii puellas inducere, ac pariter ad professionem faciendam admittere*, responsum fuit *Negative*: & in *Vvormatien jurisdictionis* 9. *Julii* 1746., in qua proposito IV., = *An eidem Emo Ordinario competat jus explorandi voluntatem puellarum admittendarum tam ad habitum, quam ad professionem in dicto Monasterio?* prodiit responsum *Affirmative*; & in d. *Olomucen. jurisdictionis anni* 1755., ubi proposito IX. = *An possit Episcopus inhibere Regularibus præsertim Cistercienses, & Benedictinus, ne sine examine Ordinarii puellas ad habitum, & professionem admittant*, rescriptum fuit *Affirmative*.

Ad VIII., XIX., & XX., notissima est Constitutio Innocentii X. incip. *Instaurandæ* in qua sic habetur = *Omnes, & singulos Conventus, in quibus ob parvum numerum Religiosorum Regularis disciplina servari non potest, perpetuo extinguimus, supprimimus &c. illosque ab omni dominio, superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus, ac totaliter liberamus, & omnem Conventualitatem in eis perpetuo extinguentes ad statum sæcularem illos reducimus*; Quod etiam confirmavit in posteriori Constitutione *Ut in parvis*.

Pro recta autem harum Constitutionum interpretatione varia proposita fuerunt dubia in Sacra Congregatione Episc., & Regul., inter quæ III. = *An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis; IV. an Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in iis, quæ Regularem disciplinam concernunt. V. An Ecclesiæ dictorum Conventuum, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Conversi prò*

agro-

agrorum cultura ab Episcopo visitari possint. VI. An ipsæ Granciæ, & Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi? ad quæ responsum fuit = *Ad III. posse compelli, ad IV. posse, ad V. posse, ad VI. subesse*, ut penes *Fagnan. cap. authoritate de Censib. in fin.*

Hinc Sacra Congregatio in una *Lycien. visitationis, & Censurarum*, in qua quæstio erat de Ecclesia sita in Oppido Galliani, sed unita, ac subjecta Monachis Olivetanis Monasterii Lycien., proposito = *An Ecclesia ruralis S. Mariæ Galliani sit subjecta jurisdictioni, & visitationi Episcopi in casu &c.* respondit die 29. Janu. 1724. *Affirmative*: Repropositaque causa sub die 23. Junii 1725. rescripsit = *in decisis jure tamen delegato*. Viden. Resolutiones in *Placentina* 17. *Aug.* 1726., & 11. *Janu.* 1727., & *in Montis Regalis* 13. *Martii* 1727.

Ad IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XVII. XVIII., decernit S. Synodus *sess.* 24. *cap. XI. de Ref.* = *quoniam privilegia, & exemptiones, quæ variis titulis plerumque conceduntur, hodie perturbationem in Episcopali jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur, decernit S. Synodus &c. subjecti existant, exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut militiis actu serviunt, & intra eorum septa, ac domos residents, subque eorum obedientia vivunt*.

Hinc Sacra Congregatio in *Barchinonen. jurium Parochialium* 21. *Januarii* 1713. propositis = *I. An hebdomadarius Clericus, Pistor, Olitor, & spenditrix habitantes in cortili Monasterii Monialium SS. Antonii, & Claræ Orainis S. Benedicti habeant requisita Concilii; II. An iidem sint exempti ab exercitio jurium Parochialium Parochi Ecclesiæ S. Mariæ de Mari*, respondit *ad utrumque Negative, & amplius*, & in *Ulyxbonen. occidentalis* 22. *Novemb.* 1721.

Speciatim quoad festa edixit S. Synodus *sess.* 25. *cap.* 12. *de Regul.* = *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus serventur*, & Sac. Congregatio, in una *Vulturarien. jurisdictionis*, in qua res erat de Oppido Alberonæ subjecto Religioni Hyerosolimitanæ, proposito inter cœtera dubio. *An Episcopus etiam providere possit in visitatione circa mores populi, in festorum dierum custodia, in contractibus usurariis, in futurorum conjugum inhonesta conversatione, in Sacramentorum frequentia, & similibus*, Sacra Congregatio respondit *die 9. Febr.* 1732. = *Episcopus interim utatur jure suo in exercitio jurisdictionis ordinariæ*.

De supplicationibus vero Sacrum Concilium *sess.* 25. *cap.* 13. *de R. gul.* edixit = *Exempti autem omnes tam Clerici sæculares, quam Regulares, quicumque etiam Monachi ad publicas processiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt*.

Et Sacra Congregatio in una *Albanen.* 23. *Septembris* 1617. respondit = *Monachos S. Hieronymi, ut proponitur, ab Ordinario*

nario vocatos teneri, ac potuiſſe compelli etiam pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis ad Rogationum D. Marci, aliaſque publicas Proceſſiones accedere = lib. 11. *Decret. pag.* 201., & in *Limana* 16. *Aprilis* 1633. reſpondit = *in illis caſibus, in quibus Epiſcopis comiſſa eſt executio diſpoſitionis Regulares comprehendentis, poſſe eoſdem Regulares, ſi inobedientes extiterint, etiam per cenſuras ad illius obſervationem compellere =, & in Neapolitana* 18. *Novembris* 1724.

Verum eadem Sacra Congregatio in una *Ferrarien.* 23. *Septembris* 1709., *& dic* 28. *Novembris* 1709. his verbis reſpondit = *Sacra &c. ſæpius declaravit, publicas Proceſſiones, ad quas exempti ab Epiſcopo vocati accedere tenentur ex Decreto cap.* 13. *ſeſſ.* 25. *de Reform. ejuſdem Concilii, eas eſſe intelligendas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, vel publico honore*, & rurſus *Sacra &c. cenſuit publicas Proceſſiones, de quibus Concilium ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regul. loquitur, intelligi ſolitas, & conſuetas, necnon eas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, publicove honore.*

Ad XV. Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* ſtatuit = *Ad hæc Cauſæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam viſitando, ſed Epiſcopi dumtaxat examini, & juriſdictioni relinquantur.*

Idque ipſum ſemper confirmavit Sacra Congregatio, & præſertim in *Nullius, ſeu Aquilana juriſdictionis* 4. *Maii* 1726., in qua propoſitis Dub. XVII. = *An jus cognoſcendi Cauſas Matrimoniales dictorum Locorum exemptorum ſpectet ad Epiſcopum, ſive ad dictum Archipresbyterum;* XVIII. *An liceat dicto Archipresbytero dare atteſtationes ſtatus liberi pro Matrimoniis per ſuos Parochianos extra Diœceſim Aquilanam contrahendis,* reſpondit *ad* XVII. = *ſpectare ad Epiſcopum, donec ab Archipresbytero doceatur de immemorabili =, ad* XVIII. *ut ad proximum.*

Ad XVI. Titulus *Ordinarii* privativus, ac proprius eſt Epiſcopi ſignificans abſolutam poteſtatem Epiſcopo competentem in ſua Diœceſi; hinc Sacra Congregatio de anno 1696. 5. Decembris ad Dub. = *An Abbas poſſit ſe nuncupare Ordinarium locorum Abbatiæ*, reſpondit *Negative*, ſecus vero eſt de alio titulo *Iudicis Ordinarii*, ut in *Burgi S. Sepulcri juriſdictionis* 20. *Auguſti* 1698. *ad Dub. VI.*, de qua late *Piton. diſcept. Eccleſ.* 20. *num.* 20. *& ſeqq.*

Ad XXI. In dicta *Olomucen. anni* 1665. diſcuſſo III. Dub. = *An Parochi Regulares etiamſi ſint Abbates poſſint a Superioribus Regularibus ad Curam Animarum deſtinari, illamque exercere ſine approbatione Epiſcopi*, reſcripſit *Negative*.

Ad XXII. Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione incip. *Firmandis* 20. *Novembris* 1754. poſt renovatas antiquas ſanctiones Concilii Tridentini, & Gregorii XV. de jure Epiſcoporum viſitandi quaſcumque Eccleſias Curatas, ac Parochos curam Animarum exercentes in iis, quæ ad curam Ani-

ma-

marum pertinent, licet quomodolibet exemptas, ſubdit = *Sed cum de aliis Eccleſiis unitis taceant Conciliaria Decreta, neque porro eadem ratio honoris &c. locum habeat in aliis Parochialibus iiſdem Monaſteriis unitis, quod pluries Sacra Congregatio cenſuit, hujuſmodi ſcilicet Eccleſias unitas minime exemptas eſſe a juriſdictione, & viſitatione Epiſcopi, quamvis illæ a Parochis Regularibus adminiſtrentur, idipſum nos prædictæ Congregationis reſolutionibns inhærentes decernimus, & conſtituimus.*

Et revera cæteris miſſis, in dicta *Olomucen. anni* 1665. propoſitis I. *An Epiſcopus, ſeu Viſitator ab Epiſcopo deputatus poſſit viſitare Parochos etiam Regulares Monaſteriorum Ordinis Ciſtercienſis, S. Benedicti, Charthuſianorum etiam, quamvis exemptorum, qui exercent curam Animarum perſonarum Sæcularium in Parochiis in ſua Diœceſi exiſten., licet illæ Monaſteriis exemptis ſint annexæ, aut de jurepatronatus, non obſtantibus privilegiis dictorum Monaſteriorum.* II. *An Monachi prædictorum Monaſteriorum, quamvis exemptorum, intra limites Diœceſis ad curam Animarum Sæcularium expoſiti ſubeſſe debeant juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, quoad dictam Curam*, reſpondit Sacra Congregatio, ad I. *Affirmative*, ad II. *Subeſſe*.

Item in dicta recentiori *Olomucen. anni* 1755. diſcuſſo I. Dubio = *An Parochi Regulares cujuſcumque Ordinis illi ſint, & præſertim Præmoſtratenſes, Ciſtercienſes, & Benedictini exercèntes curam Animarum Perſonarum Sæcularium, & non comenſalium in Parochiis in Diœceſi Olomucen., licet illæ Monaſteriis exemptis ſint unitæ, & annexæ, ſive ſint de jurepatronatus, etiamſi cura Animarum reſidere dicatur in Abbatibus, viſitationem Epiſcopi ſu ire teneantur in iis, quæ pertinent ad curam Animarum ſive Epiſcopus viſitet per ſe, ſive per alium, non obſtantibus privilegiis dictorum Monaſteriorum*, prodiit reſponſum: *Affirmative*.

Ad XXIII. Decretum Alexandri VII., necnon declarationes Sacræ Congregationis Rituum diei 2. Septembris 1659. per extenſum habentur penes *Ferrar. Bibliotech. verbo Abbas num.* 31. Sacra autem Congregatio in dicta *Olomucen. anni* 1755. ad propoſitum XV. Dub. = *An dicti Abbates, & Prælati teneantur ſervare Decretum ab Alexandro VII. editum circa uſum reſtrictum Pontificalium Prælatis inferioribus conceſſum*, reſponſum dedit *Affirmative*.

Ad XXV. Advertendum eſt, quod licet indubitati juris apud omnes ſit, non poſſe Epiſcopum reſervare perpetuam penſionem ſuper Beneficiis in eorumdem collatione, gravis tamen inter Canoniſtas quæſtio eſt, an ſaltem Epiſcopus poſſit imponere temporariam penſionem ad vitam Beneficiati: aliqui affirmativam ſententiam tenent concurrente juſta, ac rationabili cauſa, alii vero negativæ adhærent, itaut ſemper Apoſtolicæ Sedis auctoritas requiratur.

Ad

Ad XXVI. Sacra Congregatio in *Viennatien. jurisdictionis* 9. *Iulii* 1746. post varia discussa Dubia, proposito etiam = *An præfati Regulares, & Moniales cogi possint per mulctas pecuniarias in casibus præditis*, respondit *Affirmative*.

Hisce præhabitis, id adhuc modo ponderandum supereset, an Abbati Salemitano assistat vel peculiare privilegium, vel immemorabilis consuetudo, vel demum vera qualitas Nullius, seu Territorii separati, itaut aliud judicium in præsens sit ferendum. Verum quid juris modo Abbati competat, ignotum est, imo ejusdem jura late reiiciuntur, ac conflictantur ab Eminentissimo Episcopo in suo libello.

Dignentur itaque Emi Patres, qua ornati sunt justitia, ac sapientia, responsum dare.

I. *An Episcopus Constantiensis, ejusque Vicarius Generalis possint inhibere Abbati, & Monachis Abbatiæ Salemitanæ, & quibuscumque aliis Regularibus Ordinis Cistercienſis, ne sine prævia, & speciali ejus approbatione excipiant Confessiones Monialium in* Diœcesi *Constantiensi existentium, illarumque etiam, quæ ejusdem sunt Ordinis? in casu &c.*

II. *An quilibet Confessarius tam Ordinarius, quam Extraordinarius semel, vel pluries à Superiore Regulari pro tempore deputatus, vel deputandus ad audiendas Confessiones Monialium cujusdam Monasterii Ordinis Cistercienſis, teneatur novam approbationem ab eodem Ordinario petere, & impetrare quoties eumdem, vel ad aliud, vel ad idem interpolato tempore contigerit deputari? in casu &c.*

III. *An possit Ordinarius Constantiensis admonere tam mediatos, quam immediatos Monialium Superiores, ut amoveant Confessarios, atque Administratores Bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium pro tempore deputatos, seu deputandos? in casu &c.*

IV. *An Superiore Regulari, vel alio quocumque, ad quem pro tempore spectat, negligente deputare bis, aut ter anno quolibet Confessarios extraordinarios Monialium, eos deputare valeat Episcopus Constantiensis? in casu &c.*

V. *An eidem Ordinario Constantiensi, salvo jure Advocatiæ favore illorum, quibus competit, liceat petere rationes Administrationis Bonorum Monasteriorum Monialium Ordinis Cistercienſis? in casu &c.*

VI. *An eidem Ordinario Constantiensi competat jus interessendi, & præsidendi electioni Abbatissarum ejusdem Ordinis? in casu &c.*

VII. *An eidem Ordinario Costantiensi competat jus explorandi voluntatem Puellarum tàm ad habitum, quàm ad Professionem in Monasterio supradicti Ordinis? in casu &c.*

VIII. *An Capellæ ab Ecclesia Monasteriali separatæ & dissitæ, atque sives per se stante, sive Domibus, & Arcibus jure proprietatis ad Monachos Salemitanos pertinentibus, apud quas tamen, vel nulli residenti Regulares, vel nonnisi unus, aut duo, illi-*

illique ſolummodo ad curandas Res Dynaſtiales, aut Oeconomicas, & publicum habentes acceſſum, ſint cum ipſis Domibus, aut Arcibus a Parochorum, intra quorum Diſtrictus ſituantur, & Epiſcopi juriſdictione exemptæ? in caſu &c.

IX. *An Officiales Laici, Domeſtici, Famuli, & Coloni, qui extra ſepta Monaſterii, vel Clauſuræ degunt, exempti ſint a juriſdictione Epiſcopali, & Parochiali, itaut teneantur a Parocho recipere Sacramenta omnia, & præſertim Matrimoniorum? in caſu &c.*

X. *An iidem Officiales, Domeſtici, & Famuli teneantur ſervare Feſta tam ab Epiſcopo præſcripta, quam conſuetudine recepta, iiſque diebus ab Operibus ſervilibus æquè, ac ab omni ſtrepitu Iudiciali abſtinere? in caſu &c.*

XI. *An iidem Officiales, Domeſtici, & Famuli teneantur intereſſe ſupplicationibus ex cauſis ab Epiſcopo præſcriptis? in caſu &c.*

XII. *An cum eiſdem Officialibus Abbas Salemitanus in jejunio diſpenſare, vel ſi Epiſcopus diſpenſaverit, eoſdem ad jejunium obligare poſſit? in caſu &c.*

XIII. *An præfatus Abbas iiſdem Officialibus &c. pro lucrando Iubilæo aliud tempus, quam Epiſcopus præſcripſerit, determinare valeat? in caſu &c.*

XIV. *An ſæpefatus Abbas Monialibus ſui Ordinis pro lucrando Iubilæo ſpeciale tempus determinare valeat, ſeu potius tempori ab Epiſcopo determinato in tota Diœceſi ſe conformare debeat? in caſu &c.*

XV. *An Abbas Salemitanus Cauſas Matrimoniales ſæpedictorum ſuorum Officialium, Domeſticorum, Famulorum, & Colonorum decidere valeat? in caſu &c.*

XVI. *An eidem Abbati Salemitano reſpectu eorumdem ſuorum Officialium &c. competat Titulus Ordinarii? in caſu &c.*

XVII. *An ſi Epiſcopus quemdam ex hiſce Officialibus, Famulis, & Domeſticis in quacumque Cauſa Eccleſiaſtica ad ſuum Tribunal citaverit, is comparere debeat, alias cogi poſſit quibuſcumque neceſſariis juris remediis? in caſu &c.*

XVIII. *An ſi Epiſcopus, vel ejus Curia indigeat teſtimonio juratæ alicujus Subditi Sæcularis Monaſterii Salemitani, & Monialium ejuſdem Ordinis poſſit hunc propria auctoritate ad ſuum Tribunal citare, & reluctantem quoque per cenſuras compellere? in caſu &c.*

XIX. *An Domus, Cappellæ, Arces proprietatis jure ad Monaſterium Salemitanum pertinentes, in quibus tamen, aut nullus, aut unus dumtaxat, alterve Religioſus, & quidem in ordine tantum ad adminiſtranda* Negocia *temporalia, & Dynaſtialia reſidet, gaudeant exemptione ipſi Monaſterio Salemitano conceſſa? in caſu &c.*

XX. *An Religioſi in his Domibus, Arcibus ſic, ut præmittitur, expoſiti ſubſint juriſdictioni Parochi &c.; itaut ſi forte decumbant, Sacrum Viaticum, & extremam Unctionem de manu Parochi, intra cuius Diſtrictum ſitæ ſunt hæ Domus, ſuſcipere, at-*

que ab eodem, si ex hac vita discedant, sepeliri debeant, idque etiam obtineat quoad Officiales, Famulos, & Colonos ibi habitantes? in casu &c.

XXI. *An si fortasse Abbas contenderet jus habere deputandi aliquo in loco Parochum, debeat hic Episcopo præsentari, ab eodem examinari, atque adprobari? in casu &c.*

XXII. *An Episcopo competat jus visitandi quascumque Capellas prædicti Ordinis, simulque Religiosos Curam Animarum in ea administrantes, juxta Constitutionem, quæ incipit=Firmandis? in casu &c.*

XXIII. *An Abbas Salemitanus in Ecclesiis Sæcularibus, quæ tamen quoad Temporalia jurisdictioni subjectis, sine licentia Episcopi possit uti Pontificalibus, vel an etiam in his teneatur servare Decretum ab Alexandro VII. editum? in casu &c.*

XXIV. *An Abbas Salemitanus à Clericis sui Patronatus possit exigere juramentum fidelitatis? in casu &c.*

XXV. *An idem Abbas impedire possit, ne Possessoribus Beneficiorum Monasterio Salemitano adnexorum Clericis Sæcularibus gravi, & justa ex causa imponatur Pensio ad Successorem non transitura, & ex congrua ipsius Beneficiati solvenda, si non obstante hac Pensione eidem adhuc sufficiens ad honestam substentationem Congrua superstit? in casu &c.*

XXVI. *An Episcopus Abbatem, Monachos, & Officiales quoscumque Monasterii Salemitani ad observantiam eorum, quæ in expositis Dubiis resolventur per Mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, aliasque pœnas, necnon etiam per Ecclesiasticas Censuras compellere possit? in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima Mensis Augusti, etiam unica.

Die

Die Sabbathi 28. *Aprilis* 1770. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

DE Cauſis, quæ ex præcedenti Congregatione decidendæ ſuperſunt, deque aliis in hoc folio relatis quid ſentiendum ſit, Eminentiſſimi PP. ſapienti judicio dijudicabunt.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. *Seſs. 22. cap. 7. de Reform.*

An ſit ſtandùm, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In deciſis, & amplius, & ad Emum Præfectum juxta mandatum.

RAGUSINA. *Seſſ. 24. cap. 7. de Refor. Matrim.*

I. *An conſtet de ſtatu libero Eliæ Miloſcevich ad effectum contrahendi Matrimonium cum qua maluerit, in caſu &c.*

II. *An potius teneatur ducere in Uxorem Annam Vocativo, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. proviſum in primo.

NEAPOLITANA MATRIMONII. *Seſſ. 24. cap. 6. de Refor. Matrim.*

An conſtet de Matrimonio rato, & non conſummato, itaut liceat Marchioni Vincentio Conſalone ingredi Religionem approbatam ad effectum in ea profitendi, in caſu &c.

Negativè.

Seſſ. 25. cap. 13. de Reform.

CEPHALUDEN. DISTRIBUTIONUM.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 6. Martii 1694. in caſu &c.

Prævio receſsù a deciſis ſub die 6. Martii 1694., diſtributiones amiſſas a non intereſſentibus, dividi debere inter præſentes.

Seſs. 24. cap. 13. de Reform.

CONSTANTIEN. DECIMARUM.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Dilata, & proponatur in prima Menſis Auguſti, etiam unica.

Seſs. 24. cap. 11. de Reform.

CONSTANTIEN. JURISDICTIONIS.

I. *An Epiſcopus Conſtantienſis, ejuſque Vicarius Generalis poſſint inhibere Abbati, & Monachis Abbatiæ Salemitanæ, & quibuſcumque aliis Regularibus Ordinis Ciſtercienſis, ne ſine prævia, & ſpeciali ejus approbatione excipiant Confeſſiones Monialium in Diœceſi Conſtantienſi exiſtentium, illarumque etiam, quæ ejuſdem ſunt Ordinis? in caſu &c.*

II. *An quilibet Confeſſarius tam Ordinarius, quam Extraordinarius ſemel, vel pluries à Superiore Regulari pro tempore deputatus, vel deputandus ad audiendas Confeſſiones Monialium cujuſdam Monaſterii Ordinis Ciſtercienſis, teneatur novam approbationem ab eodem Ordinario petere, & impetrare quoties eumdem, vel ad aliud, vel ad idem interpolato tempore contigerit deputari? in caſu &c.*

III. *An poſſit Ordinarius Conſtantienſis admonere tam mediatos, quam immediatos Monialium Superiores, ut amoveant Confeſſarios, atque Adminiſtratores Bonorum ad earumdem Monialium Monaſteria pertinentium pro tempore deputatos, ſeu deputandos? in caſu &c.*

IV. *An Superiore Regulari, vel alio quocumque, ad quem pro tempore ſpectat, negligente deputare bis, aut ter anno quolibet Confeſſarios extraordinarios Monialium, eos deputare valeat Epiſcopus Conſtantienſis? in caſu &c.*

V. *An eidem Ordinario Conſtantienſi, ſalvo jure Advocatiæ favore illorum, quibus competit, liceat petere rationes Adminiſtrationis Bonorum Monaſteriorum Monialium Ordinis Ciſtercienſis? in caſu &c.*

VI. *An eidem Ordinario Conſtantienſi competat jus intereſſendi, & præſidendi electioni Abbatiſſarum ejuſdem Ordinis? in caſu &c.*

VII. *An*

VII. *An eidem Ordinario Conſtantienſi competat jus explorandi voluntatem Puellarum tàm ad habitum, quàm ad Profeſſionem in Monaſterio ſæpedicti Ordinis? in caſu &c.*

VIII. *An Capellæ ab Eccleſia Monaſteriali ſeparatæ & diſſitæ, atque ſive per ſe ſtantes, ſive Domibus, & Arcibus jure proprietatis ad Monachos Salemitanos pertinentibus, apud quas tamen, vel nulli reſident Regulares, vel nonniſi unus, aut duo, illique ſolummodo ad curandas Res Dynaſtiales, aut Oeconomicas, & publicum habentes acceſſum, ſint cum ipſis Domibus, aut Arcibus a Parochorum, intra quorum Diſtrictus ſituantur, & Epiſcopi juriſdictione exemptæ? in caſu &c.*

IX. *An Officiales Laici, Domeſtici, Famuli, & Coloni, qui extra ſepta Monaſterii, vel Clauſuræ degunt, exempti ſint a juriſdictione Epiſcopali, & Parochiali, itaut teneantur a Parocho recipere Sacramenta omnia, & præſertim Matrimoniorum? in caſu &c.*

X. *An iidem Officiales, Domeſtici, & Famuli teneantur ſervare Feſta tam ab Epiſcopo præſcripta, quam conſuetudine recepta, iiſque diebus ab Operibus ſervilibus æquè, ac ab omni ſtrepitu Iudiciali abſtinere? in caſu &c.*

XI. *An iidem Officiales, Domeſtici, & Famuli teneantur intereſſe ſupplicationibus ex cauſis ab Epiſcopo præſcriptis? in caſu &c.*

XII. *An cum eiſdem Officialibus Abbas Salemitanus in jejunio diſpenſare, vel ſi Epiſcopus diſpenſaverit, eoſdem ad jejunium obligare poſſit? in caſu &c.*

XIII. *An præfatus Abbas iiſdem Officialibus &c. pro lucrando Iubilæo aliud tempus, quam Epiſcopus præſcripſerit, determinare valeat? in caſu &c.*

XIV. *An ſæpefatus Abbas Monialibus ſui Ordinis pro lucrando Iubilæo ſpeciale tempus determinare valeat, ſeu potius tempori ab Epiſcopo determinato in tota Diœceſi ſe conformare debeat? in caſu &c.*

XV. *An Abbas Salemitanus Cauſas Matrimoniales ſæpedictorum ſuorum Officialium, Domeſticorum, Famulorum, & Colonorum decidere valeat? in caſu &c.*

XVI. *An eidem Abbati Salemitano reſpectu eorumdem ſuorum Officialium &c. competat Titulus Ordinarii? in caſu &c.*

XVII. *An ſi Epiſcopus quemdam ex hiſce Officialibus, Famulis, & Domeſticis in quacumque Cauſa Eccleſiaſtica ad ſuum Tribunal citaverit, is comparere debeat, alias cogi poſſit quibuſcumque neceſſariis juris remediis? in caſu &c.*

XVIII. *An ſi Epiſcopus, vel ejus Curia indigeat teſtimonio jurato alicujus Subditi Sæcularis Monaſterii Salemitani, & Monialium ejuſdem Ordinis poſſit hunc propria auctoritate ad ſuum Tribunal citare, & reluctantem quoque per cenſuras compellere? in caſu &c.*

XIX. *An Domus, Cappellæ, Arees proprietatis jure ad Monaſterium Salemitanum pertinentes, in quibus tamen, aut nullus, aut unus dumtaxat, alterve Religioſus, & quidem in ordine*

tan-

tantum ad administranda Negocia *temporalia, & Dynastialia resident, gaudeant exemptione ipsi Monasterio Salemitano concessa? in casu &c.*

XX. *An Religiosi in his Domibus, Arcibus sic, ut præmittitur, expositi subsint jurisdictioni Parochi &c.; itaut si forte decumbant, Sacrum Viaticum, & extremam Unctionem de manu Parochi, intra cujus Districtum sitæ sunt hæ Domus, suscipere, atque ab eodem, si ex hac vita discedant, sepelliri debeant, idque etiam obtineat quoad Officiales, Famulos, & Colonos ibi habitantes? in casu &c.*

XXI. *An si fortasse Abbas contenderet jus habere deputandi aliquo in loco Parochum, debeat hic Episcopo præsentari, ab eodem examinari, atque adprobari? in casu &c.*

XXII. *An Episcopo competat jus visitandi quascumque Capellas prædicti Ordinis, simulque Religiosos Curam Animarum in ea administrantes, juxta Constitutionem, quæ incipit=Firmandis? in casu &c.*

XXIII. *An Abbas Salemitanus in Ecclesiis Sæcularibus, quæ tamen quoad Temporalia jurisdictioni subjectis, sine licentia Episcopi possit uti Pontificalibus, vel an etiam in his teneatur servare Decretum ab Alexandro VII. editum? in casu &c.*

XXIV. *An Abbas Salemitanus à Clericis sui Patronatus possit exigere juramentum fidelitatis? in casu &c.*

XXV. *An idem Abbas impedire possit, ne Possessoribus Beneficiorum Monasterio Salemitano adnexorum Clericis Sæcularibus gravi, & justa ex causa imponatur Pensio ad Successorem non transitura, & ex congrua ipsius Beneficiati solvenda, si non obstante hac Pensione eidem adhuc sufficiens ad honestam subsistentationem Congrua superfit? in casu &c.*

XXVI. *An Episcopus Abbatem, Monachos, & Officiales quoscumque Monasterii Salemitani ad observantiam eorum, quæ in expositis Dubiis resolventur per Mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, aliasque pœnas, necnon etiam per Ecclesiasticas Censuras compellere possit? in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima Mensis Augusti, etiam unica.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

SABINEN. PARTICIPATIONIS. Legatis scutis quingentis, pia mulier *Magdalena Aspasia Philippi* anno 1618. novum erigi jussit Canonicatum in Ecclesia Collegiata Collis Veteris; *Qual nuovo Canonico pro tempore vuole, che sia di residenza, e non altrimenti, quale sia tenuto, ed obligato a far la sua Ebdomada, ed anche tutto quello, che fanno gl'altri Canonici nella suddetta Chiesa, con il peso di tre Messe la settimana.* In cæteris autem bonis hæredem ex asse instituit dictam

ctum Eccleſiam Collegiatam ; *cioè il Signor Arciprete , e gli RR. Signori Canonici , compreſoci anche il nuovo Canonico da eriggerſi , come ſopra ; quali tutti , tanto il Signor Arciprete , quanto li Signori Canonici debbano avere la loro parte ugualmente , e pro æquali portione delli frutti da cavarſi da detta ſua Eredità .*

Monumentum canonicæ erectionis hujus Canonicatus inter antiquitatis tenebras deliteſcit : Convenit tamen eam fuiſſe peractam . Verum cum ob redituum tenuitatem conqueſtus fuerit Prothaſius Coſtantini de onerum gravitate , Sacra hæc Congregatio *die 6. Auguſti 1695.* benigne commiſit Viſitatori Eminentiſſimi Epiſcopi Sabinen , ut , *deleto ſervitio Chori* , onera Miſſarum ad rationem manualis eleemoſynæ reduceret , firmo tamen remanente onere Miſſæ Conventualis a ſe ipſo , vel ab alio per Turnum celebrandæ .

In noviſſima Suffraganei Epiſcopi Viſitatione de hujuſmodi Canonicatu proviſus fuit Clericus Antonius Clavelli cum omnibus oneribus in fundatione expreſſis . Nulla tunc fuit a Capitulo data exceptio , nullumque in reſtaurando Canonicatu diffidium . Unica tamen quæſtio orta eſt , an Proviſus participare deberet de legatis , diſtributionibus quotidianis , aliiſque emolumentis , de quibus alii Canonici participes ſunt . Hæc quæſtio eſt , quæ nunc EE. VV. ſapientiſſimo judicio definienda proponitur .

Inquit Canonicus Clavelli , ſe legitimum eſſe Canonicatus *Philippi* poſſeſſorem : hunc a Capitulo purè , liberè , ſine ulla conditione , vel reſtrictione acceptatum fuiſſe , atque unum , idemque Capituli corpus indiſcriminatim conſtituere . Sibi proinde cum aliis Capitularibus communem eſſe debere participationem omnium largitionum , & legatorum Capitulo factorum , nullo habito diſcrimine , an eadem legata ſui Canonicatus erectionem præceſſerint , vel ſubſecuta fuerint , *Rot. Recent. dec. 364. num. 9. par. 3.*

Onus idem ſibi a Fundatrice datum fuiſſe reſidentiæ , aliorumque , quæ cæteri ſuſtinent Canonici : Primum idcircò ſui Canonicatus poſſeſſorem æquè , ac cæteros Canonicos de dictis emolumentis participaſſe : Hæc propterea , tamquam merces meri laboris , & ſervitii , deneganda ſibi non eſſe , cum æquale ſubeat cum cæteris Canonicis onus , ac ſervitium ex clara Fundatricis voluntate , cui conſentiens fuit ſubſecuta obſervantia .

Contra inquit Capitulum , rem eſſe de Eccleſia Collegiata erecta cum certo Canonicorum numero , qui nonniſi Apoſtolica auctoritate augeri poterat : Ob hujus idcircò defectum nonniſi mere honorarium cenſeri Canonicatum Philippi : Maxime quia ex peculiaribus bonis Fundatoris erectus fuit , eſt de Jurepatronatus laicali , illius Poſſeſſor

nec

nec vocem habet in Capitulo, nec arcam, nec massam communem, & demum numquam de antiquorum Canonicorum emolumentis particeps fuit. Simplicem ideo receptionem hujus Canonicatus a Capitulo factam tantum jura honorifica ei dedisse, non vero jura veræ, & formalis Canoniæ, *Monet.de distrib.quotid.par.2.quæst.1.num.11.,Barbos.de Canon. cap.3.num.15.*

Addit quamcumque novi Canonicatus admissionem nullum jus tribuere ad emolumenta, ac legata antea Capitulo quæsita *Gratian. discept. cap.867. num.39., Tondut.resolut. benefic. cap.68. num.13., Card. de Luc.de Canon. disc.6.num.13., & Scarfanton.ad Ceccoper. lib.1. tit.14. num. 59.* Quærendum itaque tantum esse de legatis, ac emolumentis Capitulo ex post quæsitis: Verum rectè posse Capitulum novos Canonicos in erectione ab iis arcere; ex ipsa autem observantia, quæ ignotæ fundationi præsumitur conformis, apertè constare, Canonicos Philippi numquam de hisce legatis, ac emolumentis factos fuisse participes, nec ad eorumdem onera subeunda fuisse admissos. Nefas verò esse ab hac inveterata observantia recedere, quæ vices fundationis supplet, illiusque locum tenet *L.si de interpretatione ff.de legib., Gratian.discept.for. cap.867.num.43.*

Eminentissimus Episcopus, post accuratissimum quæstionis examen, concludit: *Quare cum Capitulum Collegiatæ Terræ Collis Veteris admiserit Canonicum Philippi in suum gremium, sine ulla præservatione jurium, & probetur, hunc Canonicum votum habuisse cum cæteris in Capitulo, non video, quomodo eidem interessenti Choro ad Divina munia obeunda, quotidianæ distributiones negari possint.*

Ambigi nequit, in erigendis novis Canonicatibus requiri Capituli consensum, *Felin. in cap.Cum accessisset 15. de Constit., & cap.18. num.18. de Præbend.*, aliàs enim erectio penitus nulla, & irrita est, *cap.Sicut 28. de elect.* Hinc Sac.Congregatio in una *Aquinaten. 20.Februarii 1677.* proposito: *I. An possit Episcopus erigere Præposituram secundam Dignitatem in dicta Collegiata? II. An in eadem, in qua non est præfinitus numerus Canonicorum, possit erigere Canonicatum?* Respondit; *Ad utrumque Affirmativè de consensu Capituli, lib. Decret.29. pag.371.*: Et in una *Sabinen. Erectionis Archidiaconatus*, proposito: *An erectio Archidiaconatus facta sine consensu Capituli sustineatur?* rescripsit *die 14.Aprilis 1696.*: *Negativè, & erectionem sine consensu Capituli non sustineri, lib. Decretor. 46. pag. 162., & in Firmana erectionis Canonicatuum 13. Septembris 1734.*

Ubi autem Capitulum contradicat, & consensum deneget novæ erectioni, id inquiritur, an justa, vel injusta sit dissensio; Si enim justa, invitum non obligatur Capitulum ad admissionem Socii, sed potius voluntatis Fundatoris fit commutatio, ut in *Aretina Capellaniæ, seu Canonicatus 29. Novem-*

vembris 1698. *lib.* 48. *Decret. pag.* 567., *& in Maceraten. commutationis voluntatis* 30. *Auguſti* 1704.. Sin verò injuſtus ſit diſſenſus, tunc Capitulo etiam reluctante, decernitur erectio, ut in *Cæſenaten. erectionis Archipresbyteratus* 6. *Maji* 1723., & in *Firmana erectionis Canonicatus* 12. *Septemb.* 1734.

At Capitulum novæ conſentiens Canonicatui erectioni, ſi conditiones adjiciat juſtas, hæ planè ſuſtinentur, & Sacra Congregatio eas perpetuò approbavit: Juſtam autem ſemper cenſuit conditionem, quod novus Canonicus nec activam, nec paſſivam habeat vocem in negotiis ad intereſſe pertinentibus antiquorum dumtaxat Canonicorum, vel quod non participet de legatis, anniverſariis, bonis, aliiſque juribus jam in præteritum ad Capitulum ſpectantibus, ut in *Aretina erectionis Canonicatuum* 5. *Maji* 1703., *in Alatrina* 8. *Februarii* 1727., *& in Tolentina Archipresbyteratus* 1. *Februarii* 1766.

Sin verò Capitulum nullis adjectis conditionibus, ſed purè, & liberè novi Canonicatus erectioni aſſenſum præbuit, non eadem eſt Canoniſtarum opinio de quæſtione, num novus Canonicus ad omnia emolumenta, & legata Capitulo relicta indiſtinctè ſit admittendus. Negant aliqui ob legalem juris præſumptionem, quod admiſſio ab antiquis Canonicis facta cenſeatur ſine ulla proprii juris diminutione, ac detrimento, ideoque magis æquitati congruum, ut novus Canonicus ea non lucretur, quam ut antiqui Canonici ea perdant *Tondut. quæſt. benefic. cap.* 68. *num.* 13., *Rot. coram Dunozet. Junior. deciſ.* 563. *num.* 11. Præſertim, ſi res ſit de novis Canonicis, qui propriam Præbendam, diſtinctoſque fructus habeant *Card. de Luc. de Canonic. diſc.* 6. *num.* 13., *& Piton. alleg.* 64. *de Controv. Patron. num.* 5.

Advertunt alii, novos Canonicos duplicis ſpeciei induci poſſe; alteram eſſe illorum, qui vocantur Canonici ſupranumerarii omninò diſcreti ab antiquis, quique non ſunt verè Canonici, ſed ſola fruuntur honorifica denominatione; hos verò ſentiunt, non participare de maſſa diſtributionum, aliiſque, quæ percipiuntur per Canonicos numerarios, nec per illorum admiſſionem augeri antiquum numerum, & ſemper ſalvum, integrumque manere jus Canonicorum, qui ſunt numerarii, *Rot. in Senogallien. Succeſſionis* 30. *Junii* 1738. *cor. Nunez*, *in Vercellen. Functionum* 14. *Junii* 1738. *cor. De Vais*, *& S. Congregatio in Urbinaten. particitionis* 16., *& 30. Januarii* 1762.

Speciem verò alteram illorum eſſe, qui verè, & propriè aggregantur ad Capitulum, & de ejus corpore fiunt cum omnibus privilegiis, & honoribus, per quorum admiſſionem antiquus numerus augetur, & de his cenſent, ipſos nihil differre ab antiquis, itaut tam novi, quam antiqui in omnibus habeantur uniformes activè, & paſſivè tam in oneribus, quam in honoribus, ſinguliſque ſemper æqualis debeatur

omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum erectione cautum expresse fuerit, *Card. de Luc. de Canon discur. 37. num. 2.*, *Pammoll. decis. 98. annotat. 1. num. 6.*

Demum alii distinguunt legata, & emolumenta, quæ ante erectionem novi Canonicatus jam Capitulo quæsita fuerant, a cæteris, quæ post illius erectionem accesserunt. Excludunt autem novum Canonicum ab illorum participatione, ne deterior antiquorum Canonicorum conditio fiat, neve detrimentum his inferatur; Admittunt verò ad emolumenta post erectionem obvenientia, quia cum Capitulum constet ex veteribus, & novis, ideo quidquid Capitulo relictum est, æquè inter omnes dividi debeat, *Castren. consil. 170. tom. 1. §. Super secundo*, *Card. de Luc. de Canon. discur. 6. num. 12.*, & *Piton. de controvers. Patronor. allegat. 65. num. 27.*, *Scarfanton. elucubr. Canonic. lib. primo tit. 14. num. 60.*

Sacra Congregatio in una *Narnien. Servitii*, & *Punctaturarum* 14. *Aprilis* 1714., in quo quæstio erat de novis Canonicis, purè Capitulo aggregatis, ac contendentibus æqualem cum antiquis emolumentorum participationem, proposito: *An Canonici secundæ erectionis debeant admitti ad participationem omnium emolumentorum extra Massam consistentium, sive in eleemosynis Communitatis, Societatum Rosarii, & Sanctissimi Sacramenti, pro Missis cantatis, & Processionibus, sive in relictis Benefactorum favore Capituli, seu pro Funeribus, Anniversariis, & Missis Cantatis etiam de Requie ex pietate fidelium provenien.?* Respondit: *Negativè, quoad provenientia ex dispositionibus relictis Capitulo ante erectionem Canonicatuum recentiorum; & Affirmativè, quoad relicta Capitulo post dictam erectionem, & quoad emolumenta manualia eidem Capitulo in dies largienda.*

Item in una *Nullius, seu Terræ Pontiani Præcedentiæ, & Distributionum* 26. *Martii* 1735., in qua Canonici purè, & liberè noviter admissi petierant participationem legatorum, ac emolumentorum, quæ ante novam Canonicatuum erectionem Canonicis antiquis relicta fuerant, proposito: *II. An, & cui debeantur distributiones, & emolumenta, de quibus agitur?* Respondit: *Ad II. Distributiones, & emolumenta provenientia ab exercitio Curæ Animarum, & a legatis relictis ante erectionem novorum Canonicorum deberi Canonicis antiquis.*

Verum regula omnis penitus conticescit, quando vel expressè, vel ex conjecturis aliud ex mente Testatoris colligi possit, *Leg. Pater Filium 38. §. 6. ff. de legat. 3.*, & *Leg. Civilibus 2. ff. de reb. dub.*. Sanè, si novi Canonicatus Fundator voluerit suum Canonicum admitti ad participationem omnium emolumentorum Capitulo relictorum, idque vel expressis verbis, vel ex conjecturis, & argumentis conjicia-

fiatur, admisso purè a Capitulo facta non aliter interpretanda foret, nec a Fundatoris voluntate esset recedendum, a qua Capitulum clarè non recessit. Potissima hinc inspectio est, an *Magdalena* Fundatrix vel expressè, vel tacitè voluerit suum Canonicum ad emolumenta omnia ad instar antiquorum Canonicorum admitti.

Fundatrix distinctam dotem assignavit erigendo Canonicatui, & novo Canonico hanc tantum legem dedit: *Che sia di residenza, e non altrimenti, qualesia tenuto, ed obligato a far la sua Ebdomada, ed anche tutto quello, che fanno gli altri Canonici nella sudetta Chiesa, con il peso di tre Messe la settimana.* Hæredem item instituit Ecclesiam Collegiatam, non quidem jubens, ut novus erigendus Canonicus de omnibus Capituli emolumentis particeps esset, sed tantum, ut is ex fructibus suæ hæreditatis æqualem cum cæteris Canonicis portionem haberet. Perpendendum hinc, an ex hac expressa æquali participatione fructuum excludatur animus æqualiter eumdem admittendi ad participationem aliorum emolumentorum, & legatorum Capitulo antea quæsitorum.

Ponderandum maxime est Decretum Sacræ Congregationis *6. Augusti* 1695., quo instante Prothasio Constantini ejusdem Canonicatus possessore pro reductione Missarum, & exemptione a Chori servitio, *benignè commisit Visitatori Eminentissimi Episcopi Sabinen., ut veris existentibus narratis, & vocatis, si qui fuerint vocandi, deleto servitio Chori præfatum onus Missarum juxtà proportionatam extantium reddituum quantitatem ad rationem eleemosynæ mannalis inspecto regionis more pro suo arbitrio, & conscientia gratis moderetur, atque reducat. Ita tamen ut Orator cum præfato reditu Missam Conventualem per se ipsum, vel per alium per Turnum celebrare teneatur, & si quando augeantur reditus, augeri quoque debeat numerus ipse Missarum, quod in actu præsertim Visitationis inspicere curæ esse debebit Ordinario pro tempore.*

Emi PP. cuncta, ut solent, maturo judicio perpendent, ac definire dignentur

An possessor Canonicatus nuncupat. Philippi participare valeat de legatis, distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis, de quibus participant alii Canonici, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

REATINA JUBILATIONIS. Jubilationis indultum, quo Ludovico Perini Camarda Ecclesiæ Cathedralis Reatinæ Canonico venia data est quotidianas percipiendi distributiones, *perinde ac si Choro, & Divinis Officiis personaliter interesset*, causam præbet disputationi, num eidem debeatur quoque participatio fallentiarum, aliorumque emo-

Sess. 21. cap. 3., sess. 22. cap. 3., & sess. 24 cap. 12. de Reform.

emolumentorum, quæ percipiuntur ex Anniversariis, Processionibus, communiis, aliisque similibus. Hoc sane ipse affirmat; contra vero negat Capitulum.

Observat primum Canonicus Camarda, punctaturas esse pœnas a jure inflictas Canonico absenti; eisque proinde non subjici Canonicum Jubilatum, qui ex Indulto, tanquam Choro præsens habetur, prout a Sac. Congregatione pluries resolutum asserit. Idem quoque procedere dicit, quoad Anniversariorum emolumenta, quæ inter fructus, & distributiones Canonicales recensentur, cum omnes hujusmodi fructus, & distributiones ex ipso Indulto sibi vindicet Canonicus Jubilatus, atque hoc etiam a S. Congregatione dennitum affirmat.

Multiplici deinde ex capite suadere conatur, desumi nequaquam posse ex libris punctaturarum contrariam consuetudinem, respectu Ecclesiæ Cathedralis Reatinæ, tum quia libri hujusmodi privati sunt, & apud acta non producti, & proinde ignorari, an revera existant, & an vitio careant; tum etiam quia in illis adnotata tantum esse possunt illorum nomina, qui sine justa causa indebitè absunt a Choro, quod non obesset Canonico Jubilato, qui interesse minimé tenetur.

Addit consuetudinem in isto casu concludentissimam poscere probationem, quia opponeretur Sacræ hujus Congregationis decretis, quæ vim habent legis *Fagnan. in cap. Quoniam num.* 8. *& seq. de Constit.*, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 81., *Rot. decis.* 74. *num.* 4. *de Miscellan. coram Falconer.*. Nec contra legem expressam quamlibet sufficere generica consuetudinem, sed eam requiri, quæ in contradictorio judicio fuerit probata *Rot. in Romana, seu Florentina Reintegrationis Locorum Montium* 2. *Aprilis* 1756. *§.* 5. *coram Eminentissimo Paracciano, & in Majoricen. Deputationis Sacerdotis* 28. *Junii* 1756. *§* 6. *coram Eminentissimo Elephantutio*. Multoque minus hanc consuetudinem probari posse sustinet ex libro Infirmorum, in quo Canonici, licet infirmi, olim punctabantur, cum hic liber semel, atque iterum a Capitulo deletus fuerit, annis scilicet 1657., & 1713., nec proinde punctari in eo potuerint Canonici jubilati Anniversariis non interessentes.

Inquit insuper, anno 1692. concessam ab hac Sacra Congregatione fuisse Canonico Jubilato participationem fallentiarum, cum clausula = *dummodò non obstent Constitutiones particulares, & consuetud. Ecclesiæ*; Atque ex hoc probationem deducit consuetudinis exclusivam, conjiciens Sacram Congregationem apposituram non fuisse hujusmodi clausulam, si revera tunc temporis agnovisset contrariam aliquam consuetudinem in Cathedrali Reatina viguisse.

Nihil præterea obstare putat, si unus fortasse, aut alter ex Canonicis Jubilatis fallentias, & Anniversariorum emo-

Ju-

lumenta non perceperit, cum Prædeceſſorum negligentia ex remiſsione proprii juris, officere Succeſſoribus non poſſit *Rot. in Brictinorien.* 14. *Martii* 1735. §. *Verum coram Creſcentio*, & *in Ravennaten. Immiſſionis* 29. *Aprilis* 1744. §. *Cæteris coram Peralta*. Et cæteroquin Prædeceſſorum negligentiam excludi ex facto Canonici Innocentii, qui licet Jubilatus, anno tamen 1713. ad majorem taxam fuit admiſſus, ſive, ut ajunt, primarium punctum inter alios percepit, quia tunc temporis Infirmorum liber jam fuerat a Capitulo ablatus.

Denique contendit aſſertam conſuetudinem, etſi aliquo modo probatam, omninò rejici debere, utpotè legi, & rationi contrariam. Ac legi quidem, ſcilicet decretis Sacræ Congregationis, quibus declaratum ſæpè fuit, fallentias, & Anniverſariorum emolumenta Jubilatis deberi. Rationi verò adverſam, quia in Cathedrali Reatina fructus omnes in quotidianas diſtributiones ſunt partiti, & una eſt communis Maſſa, ex qua omnes ſive Nocturnorum, ſive Anniverſariorum diſtributiones depromuntur. Inquit itaque, quod ſi ab iſtorum participatione Canonicus Jubilatus excluderetur, carere cogeretur ſui Canonicatus reditibus, ideoque expleto laudabili quadragenario ſervitio, deterioris eſſet conditionis reliquis Canonicis, atque Indultum Jubilationis quoad ipſum inefficax omninò evaderet. Concludit proinde deſpiciendam eſſe injuſtam conſuetudinem, quam etiam in his circumſtantiis deſpexit Sac. Congregatio *in Romana Jubilationis* 28. *Auguſti* 1752.

Contra verò Capitulum deneganda eſſe contendit Canonico Camarda prætenſa emolumenta, tum ex juris diſpoſitione, tum ex littera Indulti Jubilationis, tum ex mente Sacræ Congregationis, tum demum ex immemorabili conſuetudine in Cathedrali Eccleſia Reatina vigente. Et primò quidem ex juris diſpoſitione animadvertit, fallentias accreſcere debere tantummodò intereſſentibus, qui ob aliorum abſentiam majorem ſubeunt in Choro laborem *Pignattel conſult.* 19. *tom.* 3. *num.* 6., *Rot. in Gerunden. Prioratus* 19. *Martii* 1700. §. *Nec vis cor. dell'Olmo*. Idemque potiori jure procedere quoad emolumenta Anniverſariorum, Proceſſionum, aliorumque ſimilium, quæ ex præſumpta Teſtatorum voluntate relinquuntur Capitularibus actu intereſſentibus, qui pro Animabus Benefactorum preces fuderint *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 2. *tit.* 10. *num. primo*, & *ſeq.*, & *tit.* 12. *num.* 23. *tom. primo*, & *ſeq.*, *Piton. diſceptat.* 1. *num.* 35.

Neque obſtare dicit Indultum Jubilationis, quod Canonico Jubilato tribuit *fructus omnes*, & *diſtributiones quotidianas*. Animadvertit enim nomine diſtributionum intelligi tantummodo emolumenta, quæ tanquam fructus Canonicatus die-

dictim lucratur Canonicus ratione ſervitii, & laboris *Barboſ. de Jur. Eccleſ. cap.* 18. *num.* 4., *& de Canon. cap.* 21. *num.* 3.; non autem comprehendi punctaturas, & Anniverſariorum emolumenta, cum punctaturæ non ſint fructus Canonicatus, ſed tanquam præmium intereſſentibus debeantur; Anniverſaria verò ſint pia legata a titulo, & Præbenda Canonicali ſejuncta, *Fagnan. in Cap. Licet num.* 2. *de Præb.*, *Piton. diſcept. Eccleſ.* 1. *num.* 35.

Non diffitetur tamen Capitulum, Sacram Congregationem hujuſmodi etiam emolumenta Jubilatis quandoque conceſſiſſe, ſuſtinet tamen, aliquando ea denegaſſe; Et hanc varietatem non aliundè repetendam credit, quam a varietate Statutorum, & conſuetudinum Eccleſiarum, quibus Jubilati inſervierunt. Id ex eo deprehendi, quod ferè ſemper hac, vel ſimili formula uſa fuerit = *dummodo non obſtent Conſtitutiones particulares, & conſuetudo Eccleſiæ* = vel = *juxta conſuetudinem Eccleſiæ* =, ut in *Reatina diſtributionum* 19. *Aprilis* 1692., *in Aquipendii Jubilationis* 23. *Martii* 1697., *in Tranen. Jubilationis* 13. *Januarii* 1703.

Subdit poſt hæc indubium eſſe vigore Statutorum, & conſuetudinis in Eccleſia Reatina vigentis, abſentes ex quacumque cauſa, aut privilegio excludi a participatione fallentiarum, aliorumque emolumentorum provenientium ex Anniverſariis, Proceſſionibus, manualibus, & his ſimilibus. Quoad fallentias ait adeſſe ſtatuta annorum 1584., & 1675.: Quo verò ad Anniverſaria in medium profert Statuta annorum 1455., & 1584.; Ac demum quoad Proceſſiones, & Manualia ſe refert ad Statuta annorum 1617., 1618., 1657., 1689., 1715., & 1672.. Horum Statutorum vim, & efficaciam reſultare ex ipſa confeſſione Canonici Camarda in ſuis precibus Sac. huic Congregationi oblatis, nec non ex Epiſcopi relatione: Eamque inſuper deprehendi ex teſtimonio omnium Canonicorum, & Clericorum Beneficiatorum Cathedralis Eccleſiæ Reatinæ; Ac præterea ex depoſitione quatuor Canonicorum, qui Punctatoris munere functi ſunt; Et demum ex re judicata Sac. hujus Congregationis, quæ anno 1665. Archidiacono Cappelletti ex ſpeciali gratia petenti Indultum Jubilationis cum participatione emolumentorum, quæ ab Exequiis, Anniverſariis, Nocturnis, Communiis, & hujus generis aliis retrahi ſolent, nil aliud indulſit, quam jus percipiendi *fructus omnes, & diſtributiones quotidianas ſui Canonicatus*.

His omnibus conſonam eſſe ſuſtinet ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ conſuetudinem, cujus vigore neque Capitulares infirmi, tempore infirmitatis a Choro abſentes, admittuntur ad participationem emolumentorum, quæ inter præſentes, & actu intereſſentes partiri ſolent. De hac verò conſuetudine conſtare, ait, ex jurata omnium Canonicorum,

rum, & Beneficiatorum depositione anno 1768. edita, & ab ipso quoque Canonico Camarda propria subscriptione firmata. Infert autem iniquum esse, quod Canonici Jubilati potiori jure gaudeant, magisque absurdum, quod Canonicus Camarda eam legem servare recuset, quam olim, quoad alios probavit *Leg.* 1. *ff. quod quisque Jur. in alium Statuit.*

Nullioque in pretio habenda esse censet decreta Capitularia annorum 1663., & 1713., quibus cautum fuit, *Infirmos haberi pro præsentibus, ac si personaliter in Choro omnibus horis diurnis interessent, quibuscumque non obstantibus.* Advertit enim primo, hujusmodi decreta respicere tantummodò Infirmos, non verò Jubilatos, qui ab emolumentorum, quæ relata sunt, participatione fuerunt perpetuò exclusi: Notat insuper eadem decreta fuisse revocata: Ac demum addit, Capitulari decreto anno 1716. cautum fuisse, ut Infirmi, Jubilati, aliique privilegium habentes, eorumdem emolumentorum participes fieri non possent; hoc ipsum ad hanc usque diem inviolabiliter servatum fuisse, quod satis est ad legitimam præscriptionem inducendam.

His omnibus accedere, quod consuetudo, & observantia, cui Capitulum innititur, mirifice cohæreat cum Litteris Apostolicis sa. mem. Nicolai V. datis anno 1453., quibus Præbendæ omnes Cathedralis Reatinæ in communem Massam redactæ fuerunt, ut in commodum eorum dividerentur, qui personaliter horis Canonicis interessent.

Cum nihil hac de re in jure cautum reperiatur, operæ pretium erit nonnulla referre Sac. Congregationis decreta, quæ variis temporibus prodierunt, dum actum est de exemptione Canonico Jubilato competente: Plurimum enim ad præsentis Causæ resolutionem conferre posse videntur. In *Novarien.* 2. *Octobris* 1677. propositum fuit dubium = *An duo Canonici Jubilati Collegiatæ S. Gaudentii Civitatis Novariæ frui deberent emolumentis Anniversariorum, quæ fiunt intra annum, licet non assisterent* = Et responsum fuit = *Affirmativè* = Cumque iterum actum esset de viribus istius resolutionis, die 29. *Novembris* 1681. prodiit rescriptum = *In decisis quoad Anniversaria fixa, & in quibus non est cautum a Testatoribus, ut interessentes tantum participare deberent* = ut habetur in *lib.* 32. *decret fol* 44.

In *Lunen. Sarzanen. Jubilationis* quæsitum fuit = I. *An vigore Jubilationis, de qua agitur, debeatur Canonico, licet non intervenienti, portio emolumentorum provenientium ex Anniversariis fixis,* = II. *An debeatur portio emolumentorum provenientium ex Funeralibus, & Anniversariis incertis, & extraordinariis* = III. *An etiam in casu, quo a Testatore dispositum reperiatur, nihil lucrari debere eos, qui non sint præsentes* = Et die 30. *Septembris* 1684. rescriptum fuit = Ad I. *Affirmativè.* Ad II., & III. *Negativè.*

In-

Insuper in *Romana Jubilationis* 24. *Martii* 1703. proposito dubio = *An Jubilato debeantur emolumenta Processionum, etsi illis non interfuerit* = Sac. Congregatio rescripsit = *Affirmativè* = Et in *Burgi S. Donnini Jubilationis* 19. *Aprilis* 1704. disputatum fuit = *An Indultum Jubilationis concessum Razzino suffragetur pro participatione omnium fructuum, & distributionum, etiam extraordinariarum, & contentarum in decreto bo. mem. Episcopi Pallavicini* = Et responsum est = *Affirmativè* = ut in *lib.* 54 *decret. pag.* 182.

Ulterius in *Patavina Jubilationis* 9. *Junii* 1714. censuit Sac. Congregatio, *quod ultra distributiones quotidianas Canonicus Jubilatus admittendus sit ad participationem Anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter præsentes*, quemadmodum legitur in *lib.* 64. *decret. pag.* 217.; Et in *Aquipendii Indulti* 1. *Aprilis* 1719. disputata sunt hæc dubia = I. *An Canonicus Serafini vigore Indulti Jubilationis, si Choro non interfit participare debeat de punctaturis, seu fallentiis in casu &c.* = II. *An idem participare debeat de emolumentis adventitiis Anniversariorum, & Associationum Cadaverum, si functionibus non interfit in casu &c.* = Rescriptumque fuit = Ad I. *Affirmativè, & amplius* = Ad II. *Affirmativè ad primam partem, dummodò non obstet voluntas Testatoris, vel dantis, ad secundam partem negativè* =

Contra verò in aliis casibus contrariam sententiam sequuta est Sac. Congregatio, & pluribus prætermissis resolutionibus, quæ afferri possent, sufficit perpendere, quod in *Neapolitana Indulti* 20. *Februarii* 1677. quatuor proposita sunt dubia, videlicet = I. *An Canonico Regna debeantur integræ distributiones quotidianæ, & omnia, quæ loco distributionum quotidianarum succedunt.* II. *An emolumenta intereſſentium Anniversariis* III. *Funeralibus.* IV. *Missis* = Iisque omnibus responsum fuit in hæc verba = *Affirmativè quoad distributiones, in reliquis Negativè* =

In *Romana distributionum* 5. *Martii* 1678. censuit Sac. Congregatio = *Fallentias non deberi Canonico Jubilato non intereſſenti Choro* = ut in *lib.* 30. *decret. fol.* 16., *& 36.*. Ac demum in *Bituntina Anniversariorum* perpendens hæc dubia = I. *An capitularibus Jubilatis, quamvis non interſint, debeantur vigore Indulti emolumenta Anniversariorum* = Et quatenus Negativè = II. *An Indultum prædictum veniat ampliandum ad dicta Anniversariorum emolumenta?* Responsit *die prima Julii* 1679. = *Ad utrumque Negativè.*

Hæc autem resolutionum diversitas non aliundè repetenda est, quam ex variis casuum circumstantiis, ex diversis conditionibus a Testatoribus appositis, & ex peculiaribus cujusque Ecclesiæ Statutis, & consuetudine, ut optimè advertit sa. mem. Benedictus XIV., qui munere Secretarii Sac. hujus Congregationis tanta cum laude functus est, in Folio Causæ, cui titulus *Aquipendii Indulti* 18. *Martii* 1719., idque

idque ipſum ex mox recenſendis reſolutionibus apertiſſimè eruitur.

In *Reatina diſtributionum* 19. *Aprilis* 1692. propoſitum eſt dubium = *An Canonico Jubilato vigore Indulti Jubilationis debeantur diſtributiones, & fallentiæ Canonicorum abſentium, etiamsi Choro non interſit* = & reſcriptum fuit = *Affirmativè, dummodo non obſtent Conſtitutiones particulares, & conſuetudo Eccleſiæ* = *lib.*42. *decret.pag.*117.; ſimiliter in *Aquipendii Jubilationis*, tertium, inter alia dubia, his verbis conceptum erat = *An idem Canonicus Jubilatus participare poſſit de diſtributionibus, quas ponunt in Maſſa cæteri Canonici, ſive ipſe ſit præſens, ſive abſens a Choro* = cui die 28. *Martii* 1697. reſponſum eſt = *Affirmativè etiam quoad fallentias, niſi obſtet Statutum, ſeù conſuetudo* = *lib.*47. *decret. pag.*85., & 111.

Præterea in *Tranen. Jubilationis* ad dubium, quod die 13. *Januarii* 1703. propoſitum fuit = *An Archipresbytero Oratori tempore Infirmitatis debeantur omnes, & quæcumque Diſtributiones quotidianæ, & ſignanter Mortuaria, & Anniverſaria* = reſcriptum fuit = *Affirmativè juxta conſuetudinem Eccleſiæ* = Atque etiam in *Aquilana Indulti*, cum ageretur de Indulto conceſſo cuidam Canonico abeſſendi ab Eccleſia, dubitatum eſt = *An, & quibus emolumentis perfrui debeat* = Die autem 16. *Junii* 1745. ſequens prodiit reſolutio = *Deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quæ ſive ex diſpoſitione Teſtatoris, ſive ex Statuto, & conſuetudine Eccleſiæ debentur tantum actu inſervientibus, & amplius.*

Ac tandem in *Leodien. Indulti* 28. *Auguſti* 1751. quæſitum eſt= *An vigore Indulti abeſſendi, de quo agitur, debeatur Canonico Thomæ Philips, licet non intervenienti, portio emolumentorum provenientium ex Anniverſariis tam fixis, quam incertis, & extraordinariis in caſu &c* = Et Sacra Congregatio reſpondit = *Affirmativè juxta ſolitum* =

Tanti autem ſemper fecit Sac. Congregatio conſuetudinem in Eccleſiis vigentem, ut eam obſervandam, eique adhærendum exiſtimaverit, quamvis earumdem Eccleſiarum ſtatutis opponeretur. Exemplum eſt in una *Tudertina*, in qua caſus expoſitus fuit his verbis = *Eſt antiqua Conſtitutio in dicta Eccleſia, ut Canonici, qui infirmantur, durante eorum infirmitate percipiant fructus tam Præbendæ, quam quotidianarum diſtributionum, ſed conſuetudo introducta eſt, ut ipſi infirmi fructus tantum Præbendæ conſequantur, non autem quotidianas diſtributiones: Quæritur in hoc caſu an conſtitutio, vel potius conſuetudo ſit ſervanda?* = Sequens verò data eſt reſponſio = *Conſuetudinem ſi legitimè præſcripta eſt, tollere conſtitutionem* = ut in *lib.* 1. *decret. pag.*86.

His ergo opportunè præmiſſis, tota præſentis diſputationis indago pendere videtur ab examine Statutorum, & conſuetudinis in Cathedrali Eccleſia Reatina vigentis; Perpendendum etiam an, præter ea, quæ circumferuntur mo-

numenta de peculiaribus illius Ecclesiæ Statutis, ac de consuetudine ex Testium depositione desumpta quidquam conferat ad Causæ resolutionem Breve sa. me. Nicolai V., qui Præbendas omnes Canonicales, & Beneficiales Reatinæ Ecclesiæ suppressit, earumque reditus omnes in unam communem Massam coegit, ea conditione, ac lege, ut *nullus Canonicorum, & Præbendatorum ejusdem præsentium, & futurorum cujuscumque Status, gradus, dignitatis, vel conditionis existant, aliquid de hujusmodi fructibus, redditibus, atque proventibus, nisi personaliter ejusdem Canonicis horis interfuerit, vel corporali infirmitate gravatus eidem Ecclesiæ deserviendo ægritudinem ipsam incurrerit, percipere, neque eidem personæ illos quique, aliterque, ut præfertur, ministrare præsumat.*

Episcopus in sua relatione confirmat jura Capituli, ac testatur de antiquissima illius Cathedralis Ecclesiæ consuetudine, quam satis deprehendi affirmat tum ex veteribus exemplis, tum etiam ex libris punctaturarum in Archivio Capituli asservatis; proindèque de Canonico Camarda censet, *præfatum Canonicum post obtentam jubilationem solummodo admittendum esse ad integram participationem eorum fructuum, ac redituum, quæ ratione sui Canonicatus ex servitio, ac functionibus Chori cuique Canonico acquiruntur, nullimodò verò cum aliis Canonicis participem fieri debere aliorum emolumentorum, quæ vel ex distributionibus quotidianis ab absentibus amissis, interessentibus accrescunt, vel ratione aliarum functionum extra Chori obligationem persolvendarum, nempè Anniversariorum, Processionum, Nocturnorum &c., cujusque Canonici præsentiam, & personalem laborem requirunt.*

Omnibus itaque perpensis, quæ huc usque exposita sunt, Emi PP. dijudicabunt.

An Canonicus Ludovicus Perini Camarda vigore Indulti Jubilationis, si Choro non interfit, participare debeat de punctaturis, seu fallentiis, nec non de emolumentis Anniversariorum in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

TERRACINEN. Inter Canonicos Cathedralis Ecclesiæ Terracinæ numeratur Gregorius Rossetti, qui munus ibi exercens Organistæ, & emolumentum percipit rubrorum quatuor frumenti eidem Officio assignatum, & quotidianas consequitur distributiones, acsi Choro præsens interesset. Absonum id existimantes nonnulli ejusdem Cathedralis Canonici preces Sac. Congregationi obtulerunt, ut dictus Canonicus Rossetti dimisso munere, Choro interesse compelleretur. Hoc est præsentis disputationis subiectum, quod duobus dubiis in calce transcriptis comprehensum est.

Sustinent ad primum dubium Canonici recurrentes, eam esse præcipuam Canonicorum obligationem, ut Choro interfint

fint *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.*. Huic autem oneri non ſatisfacere Canonicum, qui pulſandis organis dat operam, dum Divinæ laudes perſolvuntur, & offertur Sacrificium, cum de eſſentia reſidentiæ ſit, ut præcisè, & corporaliter in Choro adſit, & Divinas pſalmodias concinat *Piton. diſcept. Eccleſ.* 1. *num.* 25. Organi verò pulſationem tunc ſolum ad lucrandas diſtributiones corporali præſentiæ æquipollere, quando nullum ſtipendium percipiatur *Clericat. deciſ.* 37. *num.* 37. *de Sacrif. Miſ. tom.* 1/, Sac. Congregatio in *Sancti Severini* 15. *Decembris* 1659., *in Nullius Putignani* 6. *Maii* 1741. *ad IV. Dub.*, & in *Ferentina* 7. *Junii* 1760.

Nec obeſſe Capituli acquieſcientiam, quum tempore præterito neceſſe fuerit æquo animo ita ferrè, cum nullus adeſſet, qui muſicam artem calleret, quæ quidem ratio nunc locum amplius non habet. Cæterum obſervant, Capituli conſenſum, validam, honeſtamque reddere non potuiſſe conſuetudinem tribuendi diſtributiones abſentibus, contra expreſſam legem *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*, cui adhæſit Sac. Congregatio in *litteris datis Epiſcopo Ruben.* 24. *Aprilis* 1593., & in *Sypontina Servitii Eccleſiæ* 6. *Februarii* 1734.

Minuſque relevare putant, duodecim adeſſe in Cathedrali Terracinenſi Canonicos, qui Choralia munia poſſint obire, & quatuor tantummodò, aliis diſſentientibus, nunc reclamare. Reſpondent enim non raro evenire, ut nonnullis vel gravi morbo, aut alia legitima cauſa impeditis, tres tantum ad canendas Veſperas, & Sacram complendam pſalmodiam in Choro ſint præſentes. Addunt que, quod etsi Canonicorum numerus ad Divina peragenda ſufficiens eſſet, permitti nihilominus non poſſet, ut Canonicus Roſſetti ad pulſandum organum a Choro recedat, ut extrinſecum Organiſtæ ſtipendium lucretur, & nihilominus, quaſi præſens eſſet in Choro, quotidianas diſtributiones percipiat; reliqui verò totum onus Chori ſubire cogantur.

Denique advertunt mirum haud eſſe, quod plures ex Canonicis hodiernæ diſputationi non adhæſerint, cum id tribuendum ſit vel timori, vel conſanguinitati, aut familiaritati cum Canonico Roſſetti, qui munere præterea fungitur Vicarii Generalis. Satis autem eſſe, quatuor tantum recurrentes Canonicos Capituli jura proponere, cum id unicuique de gremio permiſſum ſit, quemadmodum unicuique de Populo datum eſt Communitatis jura tueri *Lotter. de re benef. lib.* 2. *quæſt.* 21. *num.* 65.

Ad II. gradum facientes, ajunt, cautum jure eſſe, ut Canonici Choro non intereſſentes punctaturis ſubiiciantur, ſed hanc pœnam libenter ſubiturum Canonicum Roſſetti, qui ex organi pulſatione ſtipem conſequitur longè excedentem fallentiarum quantitatem. Inquiunt propterea aliter

consulendum esse in hac hypothesi illius coactioni ad interessendum Choro, si non sufficiat sola pœna punctaturarum, quæ ordinaria est *Barbos. de Canon.*, & *Dignit. cap.* 22. *num.* 44., & *seqq.*; aliamque proinde extraordinariam, & arbitrariam constituendam esse, quum agatur de Canonico, qui voluntariè suum munus pessumdat in solemnioribus etiam Festivitatibus, non sine Divini cultus detrimento, & Populi scandalo. In his itaque terminis infligendam existimant pœnam vel privationis omnium fructuum, vel aliam arbitrio Sac. Congregationis, ut jam resolutum fuit in *Brixien.* 26. *Novembris* 1611.

Maximè quia Sacrum hoc Tribunal gravibus pœnis mulctandos decreverat Canonicos è Choro discendentes tempore Divinorum officiorum, Missam privatam celebrandi causa tempore Missæ Conventualis, ut in *Ortonen.* 27. *Februarii* 1706., in *Oriolen.* 27. *Martii* 1732. in *Salernitana Editorum* 27. *Septembris ejusdem anni ad IX.*, & *X.*; Quare putant, severiori pœna puniendum esse Canonicum Rossetti, qui causa pulsandi Organum Chorum deserit, & Altare, ideoque mulctandum pœna etiam pecuniaria, ultra amissionem distributionum, quemadmodum actum est in citata *Ferentina* 7. *Junii* 1760. *ad II.*

Ex alia verò parte Canonicus Rossetti ait, ex duodecim Cathedralis Canonicis, digniorem partem sibi non contradicere, sed quatuor tantum, absque ullo Capituli mandato, sese contradictores præbere: Ex his autem Canonicum Bottiglieri a decennio decumbentem ratione infirmitatis, sanum ferre haud posse judicium. Sustinet præterea festis quibusque diebus choro adesse novem, aut decem Canonicos, præter tres Capellanos Chorales, & octo Beneficiatos Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis, qui diebus solemnioribus Cathedrali interesse tenentur. Hinc infert nullum Ecclesiasticis functionibus præjudicium afferri, si ipse ad pulsandum organum absit: Præcipuè quia postquam decantatæ sunt laudes in Festis primæ classis, & post Missam sollemnem, & Vesperas, quando cum cantu persoluuntur, statim Choro se restituat, ibique diuturniori temporis spatio cum aliis assistat, ac laudabilius etiam præstet servitium iis diebus, quibus Organum non pulsatur.

Pressius dein loquendo de propositis dubiis, affirmat ad I. nil aliud esse Chorum, quam multitudinem Concinentium *Rot. decis.* 84. *num.* 2. *part.* 1. *Recen.*; ideoque Canonicum pulsantem Organum, censeri cum aliis Dei Laudes persoluere, & in Divinis convenire, atque etiam proprio oneri satisfacere, quin opus sit, ut materialem præsentiam in loco, qui Chorus dicitur, assiduè præstet *Bonac. de iis, quæ ad Divin. Off. &c. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. §. 3. *num.* 3. In præsenti verò casu accedere mandatum Episcopi, cui in id auctoritas est *Cap. cum super his de major.*, & *obed.*, *ibique DD.*

Ad-

Advertit etiam ex longæva ipſius Cathedralis conſuetudine a quadraginta, & ultra annis permiſſum eſſe alicui ex Canonicorum gremio munus Organiſtæ obire. Hanc verò conſuetudinem Epiſcoporum placitis probatam, non poſſe a quatuor tantùm Canonicis labefactari, maximè quia major Canonicorum pars non conſentit *Leg. quod ſemel placuit ff. de Reg. Jur.* Mentem autem Sacrarum Congregationum eam fuiſſe, ut cujuſque Eccleſiæ conſuetudines intactæ ſervarentur, quando Divinis legibus non obſiſterent *Rot. deciſ.* 102. *num.* 28. *part.* 10., *& dec.* 560. *num.* 7. *part.* 19. *tom.* 2. *Recen.*

Quò verò ad II. contendit, ipſum privari non poſſe quotidianis diſtributionibus, quæ ex conſtanti conſuetudine tribuuntur Canonicis aliquibus dumtaxat horis intereſſentibus, licet in reliquis abſint *Monet. de diſtrib. part.* 2. *quæſt.* 3. *num.* 43., *& ſeq.*, *& quæſt.* 12. *num.* 42., præcipuè quando Ordinarii licentia interceſſerit, *Nicol. in floſc. p.* 318. Eamdemque conſuetudinem eo minus ullum Eccleſiæ Terracinenſi afferre præjudicium, quia Choro interſunt Capellani, qui hac ipſa de cauſa ex fructibus avulſis a bonis Canonicorum emolumentum percipiunt. Concludit conſuetudinem hanc introductam fuiſſe tum ob utilitatem, tum ob neceſſitatem Eccleſiæ: quarum cauſa eidem organi pulſationi operam danti, quamvis a Choro abſenti, diſtributiones non ſunt denegandæ, cum cæteros præſertim omnes in muſicis artibus antecellat *gloſſ. in cap. Relatum verb. Prælat. de Cler. non reſiden. in 6.*, *Rot. in Lycien. Fructuum* 2. *Aprilis* 1603. *cor. Pamphil.*

Epiſcopus poſtquam nonnulla retulit tum de Chori ſervitio, quod nihil ex abſentia Canonici Roſſetti imminui aſſerit, tum de ejuſdem Peritia in muſicis artibus ſupra cæteros, qui in Civitate Terracinæ ſunt, ſatis dilucidè illius favore ſuam aperit ſententiam.

Quemadmodum Sac. Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*, renovando diſpoſitionem *Cap. unic. de Cleric. non reſiden. in 6.* a diſtributionibus quotidianis non repellit Canonicos eos, quos aut infirmitas prohibet, aut juſta, & rationabilis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas impediunt, quominus Choro intereſſe valeant, ita plures prodierunt Sac. Congregationis reſolutiones, quæ in caſibus abſentiæ propter evidentem Eccleſiæ utilitatem non indignum renunciarunt Canonicum abſentem, qui particeps fieret diſtributionum quotidianarum. Inter hos caſus juxta rerum circumſtantias habitus eſt quandoque ille pulſationis Organi. Pro regula tamen ſtatutum eſt, Canonicum abſentem cauſa pulſandi organum, diſtributiones lucrari, ſi nullum ſtipendium accipiat, ſecus verò ſi mercedem conſequatur. Ita in *S. Severini*; nam cum Epiſcopus expoſuiſſet, unum ex Canonicis Cathedralis Muſicis artibus eruditum a Choro ſolemnioribus quibuſdam diebus abeſſe, ut Or-

Organum pulsaret, & ideo quæsivisset = *An præditus Canonicus sit punctandus ob ejus è Choro absentiam, an vel ejus intersessentia in Organis pro servitio Ecclesiæ sit reputanda ad effectum percipiendi ipsas distributiones* = Sac. Congregatio *die* 15. *Novembris* 1659. censuit *gaudere, si stipendium pro Musica non accipiat*, ut in *lib.* 21. *decret. pag.* 802. Et in *Nullius Putignani* 6. *Maij* 1741. cum quæreretur IV. = *An idem Abbas possit expunctare, tanquam absentes Sacerdotes illos, qui tempore Divinorum Officiorum vel Confessionali assistunt, vel pulsant Organum* = respondit = *Pulsantes Organum absque stipendio, & audientes Confessiones ex deputatione non amittere distributiones.*

Si verò ex deficientia unius Canonici Divino cultui, & Ecclesiæ decori aliquid decedat, tunc vetita semper fuit absentia, injunctis etiam gravioribus pœnis contra inhobedientes. Hoc ipsum Sac. Congregatio declaravit in *Brixien.* 26. *Novembris* 1611, his verbis = *Canonicum non debere ullum etiam minimum Chori servitium prætermittere causa Organum pulsandi, & si prætermiserit, præter amissionem fructuum, ac distributionum, etiam aliis pœnis esse coercendum* = Similiter in *Ferentina*, cum Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Agathæ Terræ Proxeudi, quod præter Archipresbyterum, sex tantum Canonicis, & duobus Beneficiatis constabat, petiisset = I. *An Canonicus Joannes Baptista Petucci teneatur ad intersessendum in Choro, seu potius permittenda sit tempore Divinorum Officiorum ejus intersessentia in Organo pro servitio Ecclesiæ.* II. *An, & quomodo sit cogendus in casu &c.* = rescriptum est *die* 7. *Maii* 1760. = *Ad I. Affirmativè ad primam partem, & negativè ad secundam, & amplius. Ad II. esse cogendum aliis pœnis pecuniariis arbitrio Ordinarij* = Ac renovato examine super secundo dubio *die* 2. *Augusti* ejusdem Anni, perstitum fuit *In decisis.*

Animadvertendum tamen, quod si nullus alius, præter unum de gremio Capituli reperiatur per totam Diœcesim in pulsandis Organis peritus, non ex hoc videtur Ecclesiæ servitio præjudicium inferri, si alternatim cum aliis in Organo psalmos decantaverit. Siquidem Episcopo Adjacen., qui inter alia nonnulla dubia Sac. Congregationi proposita, unum his verbis exposuerat = IV. *An Canonicus, qui solus in arte per totam Diœcesim in Cathedrali tempore solemnium Officiorum Organum pulsat, & aliquando etiam Psalmos cantat alternatim cum aliis Canonicis existentibus in Choro, punctaturis subiaceat, ac si non interfit?* responsum fuit *die* 11. *Julij* 1671. = Ad IV. *Negativè, dummodò non habeat salarium.*

Omnibus itaque maturè perpensis, vestrum erit EE. PP. declarare.

I. *An liceat Canonico Gregorio Rossetti abesse a Choro tempore Divinorum officiorum causa pulsandi organum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit cogendus ad intersessendum Choro, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 12. *Maji* 1770. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

HÆ ſunt, quæ ſapienti Eminentiſſimorum Patrum judicio ſubjiciuntur Cauſæ partim ex præcedenti folio deſumptæ, partim in præſenti fuſius relatæ. De omnibus itaque quid juris definire dignabuntur.

SABINEN. PARTICIPATIONIS.

An Poſſeſſor Canonicatus nuncupat. Philippi participare valeat de legatis, diſtributionibus quotidianis, aliiſque emolumentis, de quibus participant alii Canonici, in caſu &c. *Seſs.25.cap.13. de Reform.*

Affirmativè, dummodo reſideat, & inſerviat in omnibus ad formam aliorum Canonicorum, & conferat tertiam partem pro diſtributionibus.

REATINA JUBILATIONIS.

An Canonicus Ludovicus Perini Camarda vigore Indulti Jubilationis, ſi Choro non interſit, participare valeat de punctaturis, ſeu fallentiis, nec non de emolumentis Anniverſariorum, in caſu &c. *Seſs.21. cap.3. ſeſs.22. cap.3.,& ſeſs. 24. cap.12. de Reform.*

Quoad fallentias negativè, & amplius, in reliquis negativè.

TERRACINEN.

I. *An liceat Canonico Gregorio Roſſetti abeſſe a Choro tempore Divinorum Officiorum cauſa pulſandi organum, in caſu &c* *Seſs.24. cap.12. de Reform.*

II. *An, & quomodo ſit cogendus ad intereſſendum Choro, in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè ad formam juris, & amplius.

REA-

Seſſ.7. cap. 8. de reform.

REATINA MEDIÆ ANNATÆ. Eccleſia Cathedralis Reatina a fundamentis erecta anno 1109. ab Epiſcopo Benincaſa, ob temporum injuriam adeo tatiſcens dignoſcitur, & pluribus indigens reparationibus, ut non minori, quam ſcutorum mille impenſa, juxta Peritorum relationem reparari poſſit. Ubi primum anno 1726. Benedictina prodiit Conſtitutio de mediis annatis, non deſtitit ejuſdem Cathedralis Capitulum Canonicum Camerarium ad illas exigendas deputare; ſed exactio brevi intermiſſa fuit, nec de illa amplius cogitatum: Quare Capitulum, ut ſuo muneri non deeſſet, & futura averteret mala, inſtaurandum denuò cenſuit opportunum, ac neceſſarium ſolutionis mediæ annatæ remedium, & hac de cauſa infraſcripta dubia exhibet reſolvenda.

Ad Primum inquit, locum eſſe illius ſolutioni ex clara diſpoſitione Conſtitutionis Benedictinæ incipien. *Ius*, & *Miſericors*, neque obſtare poſſe contrariam conſuetudinem illam non ſolvendi, etiamſi centenaria foret, tum quia Conſtitutio munita eſt clauſula *Sublata*, & decreto irritanti *Rot. deciſ.572. num.11. coram Cerro*, *deciſ.9. num.38. coram Pœnia*, & *in Gerunden. Canonicatus 3. Martii 1727. §. 30. coram Calcagnino*; tum & maximè quia poſt editam Conſtitutionem, electus a Capitulo fuit Camerarius, qui medias Annatas exigeret, quique revera illas aliquando exegit. Hinc infert, ipſum ea exactione poſſeſſionem juris exigendi quæſiviſſe, & in ea eſſe manutenendum, etiamſi poſtea exactionem intermiſerit *Rot.deciſ. diverſ.139.num.12.*

Immeritò autem excipi, Cathedralem Eccleſiam ab immemorabili tempore ex maſſa Capitulari fuiſſe reſtauratam, cum id neque in jure, neque in facto ſubſiſtere affirmet. Non quidem in jure, quia Sacri Canones primarium onus manutenendi, ac reparandi Eccleſias Cathedrales in Epiſcopos refundunt *Can. Quatuor 12. quæſt.2.*, *Can. De reditibus 12. quæſt.2.*, *Lotter. de re benefic. lib.1. cap.13. num.50.*, *Rot. cor. Anſaldo deciſ.407. num.28. tom.4.*. Neque in facto, quia Reatinam Eccleſiam opera, & ſumptibus Epiſcoporum reſtauratam teſtatur *Ughell.Ital.Sac.de Epiſcopis Reatinis* §§.18. & 31.

Addit, quod etiamſi onus manutentionis, & reparationis Eccleſiæ Capitulo incumberet, id tamen exactionem mediæ Annatæ non excluderet, cum Benedictus XIII. in citata Conſtitutione non ſolum proſpicere voluerit iis Eccleſiis, ad quarum reparationem nemo tenebatur, ſed iis etiam, quarum reſtaurandarum onus a jure impoſitum erat Epiſcopo, & Capitulo, ac Beneficiatis; eis tantummodo excentis Diœceſibus, & Locis, *in quibus onus, ſeu obligatio reparandi, reſtaurandi, & conſervandi Eccleſias reſidet penes Communitates Locorum, vel adſunt dictarum Eccleſiarum Patro-*

troni. Advertit insuper laudatum Pontificem, certo, ac indubitato remedio prospicere voluisse Ecclesiarum Cathedralium necessitatibus, quod quidem remedium inspecta Beneficiorum tenuitate, & quantitate expensarum pro manutentione, ac restauratione Cathedralis Ecclesiæ Reatinæ frustraneum redderetur, & omninò in præsenti casu deficeret, si onus hujusmodi in Capitulum refunderetur.

Negat autem ullos extare Fabricæ reditus, qui ex Bulla Nicolai V. in communem Capituli Massam coaluerint. Ait enim istorum redituum existentiam, atque unionem nullimodè probari; Immò contrarium evinci ex mente Pontificis, & ex litera Bullæ, in qua nulla fit mentio redituum Fabricæ, sed tantum Præbendarum; neque alia de causa unio facta exprimitur, nisi ut qui Chori servitio addicti erant ad Divinas horas persolvendas fierent solertiores. Advertit insuper Fabricæ reditus in nulla unione, aut bonorum Ecclesiæ dispositione comprehensos censeri, nisi de illis specialis, & individua mentio habeatur *Rot. in Constantien. unionis* 12. *Martii* 1736. §. *Verum coram Nunez*, cum reditus hujusmodi diversæ sint qualitatis, & distinctè debeant administrari, *Rot. in Constantien. Unionis* 4. *Maji* 1739. §. 8. *coram Canilliac*, ac de illis ratio singulis annis Episcopo reddi debeat *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.*, eorumque cura ad Episcopum potissimum pertineat, *Card. de Luc. in Miscell. disc.* 35. *num.* 11., *Card. Petra ad Constitut.* 1. *Avastasii V. sect.* 2. *num.* 35.

Ad solutionem verò mediæ Annatæ, de qua in altero dubio quæritur, teneri omnino sustinet Canonicos, Beneficiatos, & Clericos Beneficiatos Ecclesiæ Cathedralis, idque ex ipsa Benedictina Constitutione satis deprehendi: Atque idipsum ex eo etiam desumi, quod deficientibus Mensæ Episcopalis reditibus, Canonici, & Beneficiati Cathedralis ad ejus manutentionem, & restaurationem ex juris dispositione adiguntur, *Cap. Quicumque* 1. *de Eccles. ædific.*, *Bellett. disquisit. Cleric. num.* 19. *part.* 1., *Francesi. de Eccles. Cathedr. cap.* 13.

Neque obstare, quod Canonici, cæterique de gremio Capituli nullam propriam habeant Præbendam, nec peculiares reditus, sed quotidianas tantùm distributiones accipiant, & lucrentur. Observat enim Benedictinam Constitutionem indistincte de Beneficiis loqui, ac de Canonicatibus, eosque omnes oneri solutionis mediæ Annatæ subjicere. Et quamvis exceperit Parochiales Ecclesias reditum annuum scutorum centum non excedentes, nihilominus ad constituendam istius reditus quantitatem, emolumenta etiam incerta supputari voluisse. Infert idcircò perperàm prętextu incertarum distributionum à Canonicis, cæterisque Capitularibus exemptionem prætendi: Maxime quia ad Ecclesiæ manutentionem de jure tenentur Canonici ex di-

ſtributionibus contribuere *Franceſ. de Eccleſ. Cathedral. cap.* 13. *num.* 42., *Rot. in Gadicen Diſtributionum* 21. *Octobris* 1577. *relat. in part.* 2. *Recent. deciſ.* 325. Addita animadverſione, quod communis Maſſa Capituli Cathedralis conſtituta fuit tum ex Præbendis Canonicalibus, tum etiam ex Beneficiis, & Capellaniis ſuppreſſis, quæ proinde idem onus ſubire debent, quod præbendæ ipſæ antea ferebant *Barboſ. axiom.* 213. *num.* 3., *Rot. coram Dunozett. deciſ.* 650. *num.* 12.

Multo minus obſtare putat, Benedictinam Conſtitutionem loqui de media Annata *fructuum*, nam quum Canonicales reditus conſiſtant omnes in diſtributionibus, fructuum nomine quotidianæ etiam diſtributiones comprehenduntur, *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæſt.* 39. *num.* 27., *Barboſ. de Canon. cap.* 21. *num.* 8. *Rota coram Puteo deciſ.* 239. *num.* 3. *lib.* 4. Atque immeritò etiam opponi dicit, in collatione hujuſmodi Canonicatuum, & Beneficiorum nullam Datariæ Apoſtolicæ mediam Annatam rependi; Contendit enim maximum intercedere diſcrimen inter mediam annatam, quæ Datariæ ſolvitur, & illam, quæ pro fabrica Eccleſiæ præſtatur, ut obſervat *Lotter. de re Benefic. lib.* 3. *quæſt.* 20. *num.* 1.

Denique ſuſtinet Canonicos, & Beneficiatos mediam annatam pro fabrica ſolventes oneri ſibi inhærenti manutenendi, ac reſtaurandi Eccleſiam Cathedralem ex parte ſaltem adimplere: Nec deeſſe exempla aliarum contributionum pro bono Diœceſis impoſitarum, ut ſunt taxæ pro Seminario, vel decimarum Papalium pro Eccleſiæ, & Religionis Catholicæ neceſſitatibus, quibus omnibus ſubjecta quoque fuerunt beneficia, quæ in quotidianis diſtributionibus conſiſtebant, quæque a ſolutione mediæ Annatæ Datariæ Apoſtolicæ exempta fuerant, ut refert *Card. de Luca in adnotat. ad Concil. Trident. diſc.* 25. *num.* 14.. Ac demum non deeſſe res judicatas, quibus obſtricta ad ſolutionem mediæ annatæ pro Fabrica renunciata fuerunt Beneficia, quorum reditus ex quotidianis tantùm diſtributionibus conſtabant.

Hæc Capitulum animadvertenda proponit; contra vero nihil hactenus deductum eſt. Epiſcopus tamen Reatinus in ſua relatione nonnulla refert, quibus mediæ Annatæ ſolutionem indebitam opinatur. Argumentum primò ex eo deſumit, quod vigore Conſtitutionis Nicolai V. anni 1453. reditus omnes beneficiorum Reſidentialium Cathedralis Eccleſiæ ad communem Maſſam redacti, in quotidianas diſtributiones converſi fuerunt ad ratam præſtitæ ab unoquoque intereſſentiæ Choro, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus: Remque ex eo confirmat, quod hac de cauſa Capitulum exemptum fuit ab onere ſolvendi mediam Annatam Datariæ Apoſtolicæ in collatione Beneficiorum; Atque hinc infert eadem quoque de cauſa eximi debe-

re

re a ſolutione mediæ Annatæ pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis, cum major pro Eccleſia Cathedrali, quam pro Sede Apoſtolica militare non debeat ratio, & favor.

Addit Benedictinam Conſtitutionem demandantem mediæ annatæ ſolutionem ex Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum fructibus intelligendam eſſe de illis fructibus, qui ex certis Præbendis ſponte, ac veluti gratuitò promanant, non autem de iis, qui ex quotidianis diſtributionibus pendent, ex ſtipendio ſcilicet diuturni laboris, quo quis congruam ſibi ſubſtentationem comparaverit.

Inquit præterea, admodum veroſimile eſſe, ut in communem Capituli maſſam, quæ ex omnibus, & quibuſcumque fructibus fuit conſtituta, coaluerint peculiares, ac proprii ipſius Eccleſiæ reditus, atque huic idcircò jus fuiſſe quæſitum retinendi quidquid ad ipſius Eccleſiæ manutentionem neceſſarium foret: addictis fructibus reliquis in diſtributiones, juxta congruam cuique Ordini aſſignatam portionem inter Canonicos, Beneficiatos, alioſque inſervientes, ut eam perciperent ad ratam quotidianarum diſtributionum. Ex quo colligit Eccleſiæ Cathedralis Fabricæ abundè proviſum eſſe, proindeque ex ipſa Benedictina Conſtitutione, mediæ Annatæ ſolutionem excludi.

Hiſce ergo ex cauſis factum exiſtimat, ut a quadraginta, & amplius retro annis, a quo tempore Benedictina prodiit Conſtitutio, nunquam exequutioni demandata ea fuerit pro Beneficiis vel intra, vel extra Cathedralem erectis: & quamvis unus fortaſſe recenſeri poſſit caſus ſequutæ ſolutionis mediæ Annatæ, advertit tamen, nec id legitimo documento probari, nec pecuniam fortaſſe ſolutam, in uſus a Conſtitutione præfinitos fuiſſe erogatam.

Hæc Epiſcopus, ex cujus ſententia nullo mediæ annatæ onere Beneficia gravari poſſunt.

De Eccleſiis ædificandis, reſtaurandiſque in Jure Canonico *Cap. Quicumque* 1. *de Eccleſ. ædifican.*, *& reparan.* edicitur = *Quicumque Beneficium Eccleſiaſticum habent, ad tecta Eccleſiæ reſtauranda, vel ad ipſas Eccleſias emendandas omninò adjuvent, & nonam, & decimam reddant* = Et in *cap. De his eodem tit.* habetur = *De his, qui Parochiales Eccleſias habent, decimas reſpondendum, quod ad reparationem, & inſtitutionem Eccleſiarum cogi debent, cum opus fuerit de bonis, quæ ſunt ipſius Eccleſiæ, ſi ei ſuperſint, conferre, ut eodem exemplo cæteri invitentur* = Ex quibus infertur, teneri ad contributionem expenſarum pro Eccleſiæ reſtauratione omnes, qui in ea beneficium poſſident, dummodò non adſit ſtatutum, aut conſuetudo hujuſmodi onus in alios transferens *Barboſ. in dicto cap. Quicumque*, *Klock. de contribut. cap.* 10., *Laufredin. reſponſ. Eccleſ.* 32., vel dummodò non adſint certi reditus pro fabrica deſtinati *cap. Placuit* 1., *cap. Priſcis* 2. *cap. Unio*

zelo divini honoris ductus perficias, itaut relatione administrationis annuæ, quam absolutè desideramus a te accepta S. Sedi Apostolicæ de Statu hujus Ecclesiæ a Deo nobis concreditæ peritiorem, ac pleniorem rationem suo tempore reddere valeas.

Supereſt modò, ut Emi PP. dijudicent.

An Præpositus in Clarholtz confirmationem Episcopalem reportare teneatur pro exercitio prætensæ jurisdictionis Archidiaconalis in Paræciis de Beelen, & Lette in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Novembris* 1769. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

NOn dedignentur Eminentiſſimi PP. ex folio præcedentis Congregationis diei 16. Septembris, atque ex alio pro hodierna die diſtributo, Cauſas cognoſcere, quæ ipſorum ſapienti judicio decidendæ proponuntur.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ.
An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

In Deciſis, & amplius.

HILDESIMEN.
I. *An tales Confeſſiones licitæ ſint, in caſu &c.*
II. *An ignorante Epiſcopo validæ fuerint.*
III. *An Epiſcopo ſciente, & contradicente in poſterum peragendæ validæ futuræ ſint, in caſu &c.* *Seſs. 23. cap. 15. de Reform.*

Negativè in omnibus, & amplius.

MONASTERIEN. CONFIRMATIONIS.
An Præpoſitus in Clarholtz confirmationem Epiſcopalem reportare teneatur pro exercitio prætenſæ juriſdictionis Archidiaconalis in Paræciis de Baelen, & Lette, in caſu &c. *Seſſ. 24. cap. 3. de Reform., & Seſs. 25. cap. 11. de Regular.*

Affirmativè.

ROMANA, SEU ALBINTIMILIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. In ſupremis tabulis anno 1701. obſignatis pia Mulier Franciſca Bartolacci Barberi nonnulla bona reliquit Ven. Archiconfraternitati SS. Stigmatum de Ur- *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

tis coaluerit ex peculiaribus reditibus pro Ecclesiæ Fabrica olim destinatis, itaut censeri possit Fabricæ Ecclesiæ fuisse sufficienter provisum. Præstat hac super re perscrutari verba Constitutionis s.m.Nicolai V.,quæ inter monumenta Causæ recensetur.

Omnibus autem maturè pro more perpensis, Eminentissimi PP. definient

I. *An sit locus solutioni mediæ annatæ favore Ecclesiæ Cathedralis Rèatis, in casu &c.*

II. *An ad solutionem ejusdem mediæ annatæ in futurum teneantur Canonici, Beneficiati, & Clerici Beneficiati ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius. Ad II. Affirmativè ad formam Constitutionis Benedictinæ, & amplius.

Sess.22. cap.8. & 9. de Reform.

ANCONITANA CAPELLANIÆ. Supremo suæ voluntatis elogio anno 1741. *Sacerdos Joannes Franciscus Cerqua* Plebanus Ecclesiæ Siroli Anconitanæ Diœcesis tres erigi jussit Capellanias laicales, quibus distinctam dotem ex suis bonis assignavit. Capellanis vero jus tribuit propria auctoritate capiendi possessionem bonorum, quæ unicuique Capellaniæ assignaverat, eorumque singulis perpetuum onus injunxit *farmi celebrare, o celebrare* in suæ animæ expiationem binas Missas singulis hebdomadis, nec non bina Anniversaria. Defectis autem Capellanis ab ipso Testatore nominatis, dedit *la voce, e jus di poter nominare altri nuovi Cappellani di dette Cappellanie*, cum dicto onere Missarum, & Anniversariorum, *Josepho Cerqua*, ejusque descendentibus per lineam masculinam, quibus subsstituit primùm lineam masculinam *Hyeronimi Baroni*, ac deinde *Communitatem Siroli*.

Vacavit anno 1766. tertia ex dictis Capellaniis, ac fratres *Nicolaus*, & *Joannes* descendentes a dicto *Josepho Cerqua* ad eam nominarunt *Vincentium* fratrem, & Compatronum, qui laicus est, nullaque Tonsura initiatus, imo statui conjugali intentus. Anceps de vi hujus nominationis fuit opinio tum Patronorum, tum etiam Episcopi; Rectissimum idcirco de ea re exquiritur EE. VV. judicium, idemque *Vincentius Cerqua* a Patronis nominatus, supplicat, ut in vim suæ capacitatis saltem ex speciali gratia eadem Capellania nunc sibi adjudicetur, & duo dubia exhibet resolvenda.

Ad I. inquit, Testatorem fundasse Capellanias mere laicales; nullibi Ordinarii auctoritatem imploràsse, sed imo facultatem Capellanis dedisse propria auctoritate, àc vigore tantùm nominationis capiendi bonorum Capellaniarum pos-

poſſeditionem, ac etiam indixiſſe pœnam privationis Capellaniæ, qui moleſtias aliis intuliſſet Capellanis. Clare ideo conſtare, rem eſſe de Capellania mere laicali, ſeu legato pio cum onere Miſſarum *Cap. Ad hæc de Relig. Domibus*, *Gloſſ. in Clement.* 2. *verbo ſi Beneficiorum de judic.*, ideoque nihil obſtare, vel hujuſmodi legatum Capellaniæ nomine fuiſſe appellatum, & onus Miſſarum injunctum fuiſſe, ac certam Dotem conſtitutam, & ad certum Altare factam erectionem *Caſtil.contr.jur lib.*8. *cap.*7. *n.*14., vel executionem fuiſſe Epiſcopo commiſſam *Clem.* 1. *de Teſtament.*

Perperam vero opponi, Dotem dictarum Capellaniarum ex cumulo redituum Parochialis Eccleſiæ Siroli fuiſſe comparatam. Advertit enim Fundatorem propriis bonis abunde fuiſſe ditatum, ac tot, tantaſque ſummas in Eccleſiæ, & pauperum comodum erogaſſe, ut longe Parochiæ reditus abſumpſerit. Addit in Diœceſi Anconitana ſpolia Rev.Cameræ Apoſtolicæ ex compoſitione perſolvi in annuis ſc.30. atque idcircò beneficiatum quemcumque de bonis etiam ex reditibus Eccleſiæ aquiſitis poſſe pro libito diſponere.

Hinc concludit, dictas Capellanias Laicales, tamquam pia legata cum onere Miſſarum recte a Laicis acquiri, ac retineri poſſe *Rot. in Romana*, *ſeu Leodien. Immiſſionis 6. Juni* 1755. §.5. *ad* 8. *coram clar.mem. Card. Caprara*, & Sacra Congregatio *in Romana Capellaniæ* 12. *Julii* 1721.. Nec obeſſe vel quod Fundator fuerit Sacerdos, vel quod Sacerdotes fuerint primi Capellani ab eo nominati, quia ad dijudicandam Capellaniarum naturam, non qualitas Fundatoris, nec Capellanorum, quos ipſe prima vice elegerit, ſed verba fundationis unice ſunt perpendenda *Formoſin.alleg.Fiſe.*20.*num.*10.*ad*12.*par.*2.,*Caſtil.contr. jur.lib.*8.*cap.*7.*num.*14.

Poſtulat demum ad II., ut vacans Capellania, ſibi ſaltem ex gratia concedatur, donec aliquis ſuperveniàt ex ſuis filiis, qui capax ſit eam aſſequendi, impletis interim per alium oneribus Miſſarum. Advertit Teſtatorem in Capellaniarum erectione maxime reſpexiſſe comodum, & ſubſidium deſcendentium a Joſepho Cerqua. Probat, ipſum deſcendentem eſſe, ac Compatronum, nec non ab aliis Compatronis nominatum, pauperem quoque ſecundum ſuum gradum, & conditionem, unde ſive juſtitiæ, ſive æquitatis titulo petitam gratiam ſibi non eſſe denegandam.

Eminentiſſimus Epiſcopus rationum momenta hinc inde militantia diſertiſſime exponit, maturoque judicio perpendit, & quæſtionem omnem ſapientiſſimo EE. PP. oraculo definiendam relinquit.

Proponitur in præſenti Cauſa tamquam fundamentum petitionis indoles Capellaniæ Laicalis. Hoc præcipuum inter-

tercedit discrimen inter Capellanias Ecclesiasticas, & Laicales, ut illæ Ordinarii auctoritate erectæ sint, hæ vero canonica erectione sint destitutæ *Cap. Ad hæc de Relig. Domib.*, *Garzias de Benefic. part.1. cap.2. num.231.*, & Sac.Congregatio *in Ferentina Capellaniarum* 22 *Augusti*, & 19.*Novembris* 1750.. Deest autem in casu canonica dictarum Capellaniarum erectio, quin imo Testator voluit Capellanias esse Laicales, ac nominatis Capellanis potestatem fecit propria auctoritate absque ulla institutione, vel decreto capiendæ bonorum Capellaniæ possessionis.

At licet dictæ Capellaniæ laicales sint, non exinde necessario sequitur, ut laici eas possidere valeant. Non enim repugnat, Capellaniam esse *mere Laicalem*, & nihilominus personas nominandas esse debere Ecclesiasticas,itaut Laici, infantes, ac Mulieres inhabiles sint, qui ad illas nominentur. In *Auximana Capellaniarum* 16.*Decemb.*1702. proposito = *An dictæ Capellaniæ reputari debeant ad instar hæreditatis mere prophanæ, sintque ita Laicales, ut ad illas nominari etiam possint Laici, Mulieres, & Pueri*; responsum est= *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam*, *lib.52 decret. pag.449.*

In *Romana Capellaniæ*, in qua agebatur de Capellania erecta cum declaratione, *qual Cappellania debba riputarsi, ed essere mera, pura Laicale, e non Benefizio Ecclesiastico*; quæsitum est = *An Capellania, de qua agitur, retineri possit in statu conjugali per Capellanum à Testatore nominatum*; & rescriptum fuit die 20.Septembris 1707. *Negative*.

Item in *Firmana Capellaniæ* 18. *Aprilis* 1711., in qua res erat de Capellania mere Laicali, & nulla Ordinarii auctoritate erecta, disputatum fuit dubium = *An Clericus Joannes Baptista Rettinus in statu Clerici conjugati possit retinere Capellaniam, de qua agitur*; & rescriptum prodiit *Negative*, *lib.61.decret.pag.176.*

Ac demum in una *Civitatis Castelli* 24.*Aprilis* 1751. cum quæreretur = *An Capellania, de qua agitur, sit mere Laicalis, ita ut retineri possit ab Oratore in statu conjugali* = S. Congregatio respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam*.

Controverti tamen non potest, Capellanias Laicales, quæ tamquam mera legata pia cum onere Missarum considerari debent, posse retineri a quibuscumque Laicis, & etiam a Mulieribus, & Infantibus *Navarr.consil.5.num.1.*, *Gonzalez ad Regul.8. Cancell. gloss.5. §.5. num.25.*, *Card.de Luc. de benefic. disc.80. num.18.*, *Rot. cor. Manzanedo dec.334.per tot.*, *& in Urbevetana Capellaniæ* 17. *Junii* 1726. *§. Maximè cor. Ratto*.

Hinc Sac.Congregatio in *Romana Capellaniæ* 12. *Julii* 1721., in qua Dominicus Roncalli contendebat se etiam in statu conjugali retinere posse Capellaniam, cui onus inhærat

Missæ

Miſſæ quotidianæ, propoſito dubio = *An Capellania, de qua agitur, ſit Laicalis, ſeu potius Eccleſiaſtica, in caſu;* reſcriptum fuit = *Affirmative ad primam partem, & negativè quoad ſecundam.*

Et in *Civitatis Caſtelli* 1. *Febr.* 1766., in qua Paulus Bonviſa puer annorum ſex nominatus fuerat ad binas Laicales Capellanias, diſputatum fuit = *I. An Paulus Nicolaus Bonviſa ſit capax conſequendi Capellanias, ſeu legata pia ordinata à Comite Montemarte, & quatenus negative. II. An ſit locus diſpenſationi;* & prodiit reſcriptum: *Ad I. Affirmative. Ad II. Proviſum in præcedenti.*

Quare ab hac inconcuſſa regula tunc demum recedere oportet, cum expreſſa, vel tacita Fundatoris voluntas repugnat *Card. de Luc. de Benefic. diſc.*61. *num.*4., *& diſcur.* 69. *num.*5.,*& Rot.in Hydruntina Capellaniæ* 9.*Maii* 1698.*§. Quamvis cor.Pio.* Tota itaque diſceptatio conſiſtit in interpretanda mente *Sacerdotis Joannis Franciſci* Fundatoris, quæ ex verbis teſtamenti deſumenda potiſſimum eſt.

Sic ipſe juſſit, *ſe ne debbano formare, ed eriggere, conforme con queſt'ultimo mio Teſtamento formo, ed eriggo tre Capellani Laicali, delle quali una ne conferiſco al Signor D. Antonio Cerqua mio pronipote &c. un'altra la conferiſco al Signor D. Carlo Cerqua altro mio pronipote &c., e l'altra Capellania la conferiſco al Signor D. Giuſeppe Lupì mio Capellano.* Onus inde Capellanis dedit *farmi celebrare, e celebrarmi in ſuffragio dell' Anima mia per ſempre, ed in perpetuo ſei Meſſe alla ſettimana frà tutti tre, cioè due Meſſe per ciaſcun Cappellano; ed in oltre farmi celebrare due Officj all'anno di ſei Meſſe, cioè uno nel giorno del mio Anniverſario di ciaſcun' anno, e l'altro alli* 28. *di Gennaro parimenti d' ogni anno giorno di mia naſcita.*

Vetuit item ſingulis Capellanis ſub pœna privationis, ne moleſtias ſibi invicem inferrent; eiſque jus tribuit propria auctoritate capiendi poſſeſſionem bonorum Capellaniæ, ac demum dedit *la voce, e jus di poter eleggere, e nominare altri nuovi Signori Cappellani con il ſudetto peſo di Meſſe, ed offizj in perpetuo, Joſepho Cerqua*, ejuſque deſcendentibus per lineam maſculinam, quibus ſubſtituit deſcendentes ex linea maſculina *Hyeronimi Baroni*, ac demum in ſubſidium vocavit *la Communità di Sirolo in perpetuo.*

Diſpenſatio autem facile conceditur a Dataria Apoſtolica, quando agitur de paſſive vocato, ut teſtatur *Corrad. in Prax.diſpenſ. lib.*4. *cap.* 2. *num.* 8., *Piton. diſcept. Eccleſ.* 13. *num.*42.. Nec ſolet etiam quoad Beneficia a Sac.Congregatione denegari, ut in *Lucana Beneficii, ſeu Capellaniæ* 17. *Maii* 1749., *in Aſculana Capellaniarum ſuper diſpenſatione* 22. *Aug.*1750., *in Parmen. Diſpenſationis* 7.*Junii* 1760., *& in Calaguritana Diſpenſationis* 8.*Aug.*1761.

Dignentur itaque Eminentiſſimi PP. definire

I. *An Capellaniæ, de quibus agitur, ſint Laicales, ita ut poſſideri poſſint etiam à Laicis in caſu &c., & quatenus Negative*

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro gratia ſuſpenſionis unius, ſeu tertiæ ex dictis Capellaniis, donec ſuperveniat unus ex filiis Vincentii Cerqua unius ex Patronis capax illam obtinendi cum facultate dicto Vincentio percipiendi fructus, illoſque ſuos faciendi, adimpletis interim per alium oneribus, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam. Ad II. Negativè.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

LEODIEN.. In Collegiata Eccleſia B. M. V. Tungren. Diœceſis Leodien. ſex erecta erant Beneficia nuncupat. *altaria S. Salvatoris, B. Mariæ in Capella de Merlemont, SS. Petri, & Pauli, S. Lamberti, S. Annæ, & S. Gervaſii*, quorum collatio, dum ceſſarent Apoſtolicæ reſervationes, & diſpoſitiones, ad Decanum, & Capitulum dictæ Collegiatæ ſpectabat. Anno 1444. *ſan. mem. Eugenius IV.* ad preces ejuſdem Capituli, in augumentum miniſtrorum Eccleſiæ indulſit, *altaria prædicta, & illorum quodlibet per ipſos Decanum, & Capitulum, vel majorem partem ex eis, prout ipſi inter ſe concordaverint, authoritate ordinaria libere, liciteque conferri, & de illis provideri, ac diſponi poſſe, perinde in omnibus, & per omnia, ac ſi Apoſtolica ſive Sedis, vel Legatorum ejus litteræ, ſeu reſervationis prædictæ nullatenus emanaſſe invenirentur, vel fierent pro tempore præcedente.*

Statuit item, *quod perſonæ ſingulæ, quibus altaria hujuſmodi pro tempore conferri contigerit, quam primum illorum pacificam poſſeſſionem aſſecutæ fuerint, apud eamdem Eccleſiam per tempora ab ipſis Decano, & Capitulo deſuper ſtatuenda perſonaliter reſideant, ac in divinis ibidem peragendis Officiis, & alia, de quibus præfatis Decano, & Capitulo rationabiliter videbitur, onera ſubire debeant, & teneantur, nec eis liceat prætextu cujuſvis conceſſionis &c. abſque eorumdem Decani, & Capituli licentia ſpeciali dicta ſua altaria cum quibuſvis aliis perſonis permutare, nec ſe a præfata Eccleſia abſentare quoquomodo. Et ſi aliqui abſque ſpeciali licentia ipſorum Decani, & Capituli, ſeu majoris partis eorumdem ſe a dicta Eccleſia per unum menſem abſentaverint, illi eodem menſe elapſo, ſuis altaribus privati exiſtant, & altaria ipſa per privationem hujuſmodi vacare cenſeantur eo ipſo, ac ſic vacantia altaria pro tempore abſque alia vocatione, ſeu citatione de ipſis abſentibus facienda &c. aliis libere, & licite conferantur.*

Va-

Variis nuper inter dictos sex Beneficiatos nuncupat *Vicarios*, & Capitulum Collegiatæ exortis controversiis de natura, & indole Vicariarum, de præstando a Vicariis servitio, de lucranda ab ipsis emolumentorum participatione, ac demum de Capituli jurisdictione in eosdem Vicarios, ut omnes hæ controversiæ dirimantur, in XII. capita sejunctæ nunc supremo EE. VV. judicio definiendæ proponuntur.

Ad I. inquiunt Vicarii, Beneficia semper præsumi perpetua, nisi manualia probentur. Suas autem Vicarias tum inspecta origine, tum litteris Eugenii IV. perpetuas aperte probari, cum constitutæ fuerint ex beneficiis perpetuis, quæ Apostolicis reservationibus subjecta erant. Eugenium vero IV. nullibi perpetuitatem abstulisse, vel invexisse manualitatem, sed concessa tantum libera earum collatione Decano, & Capitulo, Vicariis onus personalis residentiæ ad Divina obeunda officia injunxisse. Et revera illas collatas huc usque fuisse, ut beneficia vacantia; Canonica methodo earum captam possessionem: solutam ab ipsiis taxam super beneficiis impositam, & nunquam spatio trium seculorum, & ultra sine causa Vicarios fuisse amotos. E conspectu ideo naturæ dictarum Vicariarum, & immemorabilis observantiæ spernendam esse quamlibet manualitatis mentionem in literis collationis a Capitulo injectam.

Hinc ad II. concludunt, se jure posse titulo earumdem Vicariarum Sacris Ordinibus initiari *Garzias de Benef. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 112.: maxime quia univoca hæc fuit etiam usque nunc observantia. Nec in id requiri Capituli veniam, cum non ex gratia Capituli, sed ex perpetua Vicariarum indole eas obtinentes Sacris Ordinibus initiari possint. Cui rei haud repugnat privationis pæna in absentes ultra mensem comminata, cum eadem privatio a Capituli arbitrio non pendeat, sed ipso jure ex facto Vicariorum inflicta sit, adeo ut fas Capitulo non sit eamdem pro libito remittere, ac condonare.

Ad III. inquiunt, Capitulum ex Eugenii IV. litteris discontinuum dumtaxat servitium, ac rationabilia onera præscribere potuisse. Nonnisi idcirco injuste, ac inique Vicariis vix accipientibus annua scut. 42. injunxisse tum onus quotidianæ residentiæ absque ulla prorsus vacatione, tum etiam onus canendi singulis diebus integrum Officium, singulasque illius horas, summa etiam Sacra cantu Gregoriano, vel figurato, & præterea Antiphonas, Responsoria, Anniversaria, Missas, & Officia defunctorum, ultra alia innumera onera singulis Vicariis injuncta: hinc postulant tam grave, ac intollerabile Ecclesiæ servitium ob tenuitatem redituum ad solos dies Festos reduci.

Contendunt ad IV. ipsos Vicarios recte posse, justa concurrente causa, onera sibi inhærentia implere per alium, prout hactenus servatum est, cum in litteris Eugenii IV. nullibi præscribatur personale servitium. Conqueruntur ulterius de onere Missæ conventualis sibi injunctæ, licet a Canonicis celebrandæ, ac de exhorbitanti, ac intollerabili onere canendi Missas omnes Capituli. Nec sibi obesse censent contrariam observantiam, tum quia iniqua, ac irrationabilis est, tum quia urbanitas, ac conniventia antecessorum sibi præjudicare non potest *Farg. de jurep. tom.2. part.2. can.27. cas.4. num.3. & Rot. in Tuden. servitiorum super bono jure* 23. *Martii* 1757. §.12. *cor. Frangipane*.

Ad V. proponunt, auctis oneribus, augendum quoque esse emolumentum: Nihil æquius idcirco, quam ut ob innumera per Capitulum injuncta Vicariis onera retributio quoque illis correspectiva ex massa communi tribuatur. Quantitatem vero retributionis judicio, ac prudentiæ EE. VV. remittunt, ut pensatis oneribus idonea compensatio ad honestam vitæ sustentationem consequantur.

Ad VI. ajunt, distributiones fuisse institutas ad Ecclesiæ servitium augendum, & pro modo interessentiæ inter præsentes omnes esse dividendas: Vicariis ideo continuò interessentibus eas non esse denegandas. Emolumenta quoque Anniversariorum in utilitatem præsentium cedere debere, nisi aliter a Fundatoribus cautum fuerit: Atque hinc inferunt vel ad eorumdem participationém admittendos esse Vicarios, vel ipsos non esse cogendos ad præstandum in illis servitium.

Ad VII. advertunt, ex juris dispositione Capitulo jus dumtaxat esse coercendi Capellanos, Beneficiatos, alioqui Ecclesiæ servitio addictos intra limites paternæ, & œconomicæ correctionis circa leves culpas servitium Ecclesiæ, aut Chori respicientes, levique pœna puniendas *Rot. in Nuperr. decis.229. num.3. tom.7.*. Idque ipsum de Capitulo Tungrensi jam constabilitum fuisse a Sacræ Rotæ Auditorio in *Leodien. super tertio Dubio quoad decreta pœnalia 3. Iulii* 1767. *coram R. P. D. Guerra*: perperam idcirco vim juris dispositionis, ac solemnis rei judicatæ nunc iterum in discrimen revocari.

Ad VIII. substinent, Vicarios absentes per mensem non completum, vel non continuum mulctari tantum posse per subtractionem distributionum quotidianarum pro rata fructuum dierum absentiæ tum ex juris dispositione *Rot. in Barchinonen. super secundo dubio* 10. *Martii* 1757. §.4. *coram clar.mem. Card. Buffio*, tum ex Rotali judicio in dicta *Leodien. super decreto pœnali §.9.*. Pœnam ideo privationis indictam ab Eugenio IV. in absentes per mensem continuum nullimodè extendi posse ad absentes per mensem vel non com-

completum, vel non continuum *Rot. coram ſan. mem. Clemente XIII. dec.*204. *num.*27.

Ad IX. petunt, ut aliqua ſibi vacatio a quotidiano ſervitio Eccleſiæ concedatur. Inquiunt enim, irrationabile, ac prorſus iniquum eſſe nec per ſummam ſenectutem aliquod levamen ſperare poſſe: idque repugnare tum juri Cæſareo *l.*2. *§. ult. ff. de Decur.* tum Pontificio *cap.*1. *§. verum de Cleric. egrot. in* 6., tum aſſuetæ æquitati Sacræ hujus Congregationis *Fagnan. in cap. licet de Præb. num.* 146., tum demum univerſali omnium Cathedralium, & Collegiatarum conſuetudini.

Conqueruntur ad X. in Punctatorem a Capitulo electam fuiſſe extraneam perſonam Laicam, & conjugatam. Probantque ex Littera Statuti Tungrenſis, eligi debuiſſe *unum Clericum de Choro*, & uſque nunc ſemper uni ex Vicariis tale munus collatum fuiſſe, ac nonniſi in Vicariorum odium nunc perſonam Laicam, & conjugatam fuiſſe electam contra juris diſpoſitionem *Ceccop. lucub. Canon. lib.*2. *tit.*14. *num.*20.

Ad XI. contendunt teneri Canonicos intereſſe Choro, & canere omnibus diebus, & horis, exceptis tantum tribus menſibus vacationis, non obſtante quocumque contrario ſtatuto, vel conſuetudine *Conc. Trident. ſeſſ.*24. *cap.*12.; hinc proponunt reprobandum eſſe abuſum invectum in Eccleſia Tungrenſi ſervandi contrarium, *Benedictus XIV. Conſt. cum ſemper*; Eoque magis ſpernendum eſſe recentius ejuſdem Eccleſiæ ſtatutum, quia illud intrinſece nullum, & irritum jam declaravit Sacræ Rotæ Auditorium in *Leodien. Præpoſituræ Tungren.* 19. *Januar.*1650. *§.*3. *ad* 9. *coram Otthobon.* relata inter ejus impreſſas *la* 222.

Ad XII. concludunt, Canonicos negligentes eſſe coercendos remediis Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.*12., eorum autem fallentias omnibus intereſſentibus accreſcere debere, ne facta earum diviſione inter ſolos Canonicos, hi eas ſibi mutuo in fine anni condonent, ac remittant contra claram Concilii litteram. Advertunt demum horum remediorum exequutionem committendam eſſe Nuntio Apoſtolico ob Capituli exemptionem a juriſdictione Ordinarii, & immediatam ſubjectionem S. Sedi.

Contra Capitulum ad I. inquit, ex toto literarum Eugenii IV. tenore aperte conſtare, Vicarias eſſe penitus manuales. Nam ibi Summus Pontifex eas pro ſervitio Chori, & Eccleſiæ erexit, liberam earum diſpoſitionem, ac collationem Decano, & Capitulo contulit, eaſdem exemit a Reſervationibus Apoſtolicis, ac vetuit ne Vicariæ permutarentur, neve Vicarii abeſſent abſque Capituli licentia, indicta etiam pœna privationis ob abſentiam unius tantum menſis: advertit enim hæc omnia non perpetuis, ſed ma-

Hieronyma Vidua Marchionis Francici Ruſpoli Nepotis, & hæredis Bartholomæi plures allegavit detractiones, quas ex hæreditate Alexandri Sen. debitas propoſuit. Nova tamen hæc lis in ipſo ejus veſtibulo dirempta fuit tranſactione, qua Marchioniſſa Hieronyma ab allegatis detractionibus receſſit, & Archiconfraternitas eidem, ejuſque Succeſſoribus concéſſit jus nominandi ad decem dotalia ſubſidia, ex diſpoſitione Alexandri Sen. diſtribuenda. Expedit hanc tranſactionem diligenter ſcrutari, quæ inter monumenta Cauſæ recenſetur.

Omnes itaque Deſcendentes de prænobili Familia Ruſpoli jure nominandi Puellas ad decem dotalia ſubſidia pacificè gaviſi ſunt ad annum uſque 1723., quo tempore cum Princeps Franciſcus Maria Collegiatam Eccleſiam in ſuo Feudo Vineanelli erexiſſet, obtinuit a ſan. mem. Benedicto XIII. diſmembrationem tot capitalium, quot *novem* ex relatis annuis ſubſidiis reſponderent, ut Præbendæ Canonicales ex iis conſtituerentur. Unum itaque tantummodo ſuperfuit ſubſidium deinceps diſtribuendum, & ita quidem, ut non uni tantum, ſed duabus Puellis conferri poſſet.

Anno autem 1758. innupta deceſſit altera ex Puellis a Principe Ruſpoli nominatis, abſque eo quod dotem fuiſſet aſſequuta; hinc Archiconfraternitas prætenſionem excitare cæpit ſuper reincidentia dotis, quam ſibi devolutam eſſe cenſuit. Re tamen ſine judicii ſtrepitu diſcuſſa, eadem Archiconfraternitas acquievit, & Principi Ruſpoli jus iterandi nominationem permiſit. Hujuſmodi tamen prætenſionem denuò excitavit anno 1764., quo tempore accidit interitus alterius Puellæ prius, quam dotem conſequeretur. Tunc enim freta forſan præſidio Reſcripti ſan. mem. Clementis XIII. ſuper dotium reincidentia, graviorem ea de re propoſuit quæſtionem, quæ ſapienti EE. VV. judicio reſolvenda modo ſubjicitur.

Inquit Princeps Alexander, nulli dubium eſſe poſſe, quin dotes ab eo jam collatæ, quæque ob Puellarum interitum vacuæ factæ ſunt, ab ipſo ſint denuò conferendæ, abſque eo quod juris quidquam ſuper iis Archiconfraternitas valeat exercere. Caſum hunc jam fuiſſe deciſum à Sac. Rota in celebri Deciſione, cui titulus *Romana electionis Puellarum* 27. *Novembris* 1624. *coram Pirovano*, quæ impreſſa legitur poſt *Conſtantin. vot. deciſ.* 298. *tom.* 2., eamdemque fuiſſe opinionem tum *Conſtantin. in citat. vot.*, tum etiam *Card. de Luc. de dot. diſc.* 10. *num.* 5.

Id autem eo magis locum ſibi vindicare, dicit, in præſenti caſu, quo jus nominandi ad dotalia ſubſidia ex tranſactione proveniens comparatum noſcitur titulo verè oneroſo, quod deſumitur non ſolum ex ipſa Tranſactionis natura, quæ titulum correſpectivum, & oneroſum præſefert ad

Text.

Text. in Leg. Tranſactio nullo dato, ubi DD. *C. de Tranſact.*, *Jaſon. in rubric. num. 15. ff. de tranſact.*, *Rot. deciſ. 248. n. 1. & ſeq. part. 11. Recen.*, ſed etiam ex illius ſpiritu, & litera, cum Marchioniſſa Hieronyma non aliter jus nominandi ad dotalia ſubſidia acquiſiverit, niſi quia juri ſibi competenti pro detractionibus contra hæreditatem Alexandri Sen. renunciavit.

Addit, jus nominationis eo tantum caſu conſumptum Tranſigentes voluiſſe, quo illius exercitium inadimpletum fuiſſet *nel giorno del maritaggio di ciaſcun anno*. Perperam idcircò ſublatum modo prætendi ex alia diverſa cauſa, in tranſactione non comprehenſa, quæque refragatur pacto tranſactionis adamuſſim ſervandæ *Cap. 1.*, *& cap. qualiter de pact.*, *Rot. deciſ. 58. num. 5. part. 6.*, *& deciſ. 477. num. 2. part. 19. tom. 2. Recen.*

Verum non ſolum ex Tranſactione, ſed ex Apoſtolicis etiam literis S. M. Benedicti XIII. jus ſuum, & titulum oneroſum arguit Princeps Alexander. Aſſerit enim, præſumi nequaquam poſſe, quod Summus Pontifex Tranſactionem approbare voluiſſet, & applicationem novem ex dotalibus ſubſidiis Eccleſiæ Collegiatæ Vineanelli concedere, niſi compertum eidem fuiſſet ex titulo verè oneroſo, & correſpectivo ſubſidia hujuſmodi fuiſſe quæſita. Maximè quia facultatem quoque tribuit decimum, quod ſupererat ex relatis ſubſidiis dividendi, illudque non uni tantum, ſed geminis Puellis conferendi.

Demum recurrit ad obſervantiam, qua certum fieri ſuſtinet, fuiſſe jam ab Archiconfraternitatis Deputatis probatum anno 1758. favore Principis Ruſpoli jus denuò conferendi dotale ſubſidium, quod per deceſſum alterius Puellæ, cui fuerat ab eo collatum, reinciderat. Minus itaque rectè in diſcrimen hodie revocari, quidquid jam alias de eorumdem Deputatorum conſenſu, & placitu fuerat admiſſum, *L. quod ſemel de reg. jur. in 6.*, *Rot. deciſ. 228. num. 7. part. 13.*, *& deciſ. 272. num. 3. part. 14. Recen.*

Nec juri Principis Alexandri obeſſe gratiam, quam vocant *delle Ricadenze* a ſan. mem. Clemente XIII. anno 1761. Archiconfraternitati conceſſa, cum ea trahi non poſſit ad ſubſidium dotale, non gratuitò, ſed oneroſo titulo quæſitum, quodque eo tantùm caſu declaratum fuit caducum, quo intra præfinitum tempus expleta nominatio non fuiſſet. Neque enim præſumi, Supremum Principem, dum gratiam Archiconfraternitati conceſſit, alterius jura lædere, aliique præjudicium inferre voluiſſe, *Cap. fin. ut lit. penden.*, *& cap. fin. de Conſtitut.*, *Lotter. de re benef. lib. 2. quæſt. 39. num. 18.*, *Rot. dec. 647. n. 18. part. 19. tom. 2. Recent.*

Ab Archiconfraternitate, licet monita, nihil hactenus habuimus. Eminentiſſimus Protector poſtquam Cauſæ ſtatum, & rationes utriuſque Partis, accuratè, ut ſolet, di-

tractionis fructuum, & servata juris forma etiam privationis.

Ad IX. inquit, in literis Eugenii IV. vetitum Vicariis fuisse, ne absque Capituli licentia *ab Ecclesia absentare quoquo modo* audeant: hanc autem prohibitionem omnem absentiam etiam modici temporis continere: nulla idcirco vacatione jure proprio, & independenter a venia Capituli gaudere posse: Hinc concludit arbitrio Capituli remittendum esse, ut eam vacationem ipsis indulgeat, quæ damno non sit Ecclesiæ servitio, & respondeat singulorum meritis, ac necessitatibus, prout usque nunc juxta temporum opportunitatem brevem vacationem sæpius eis indulsit.

Ad X. ait, nullo jure, nullaque peculiari lege cautum esse, ut alicui ex Vicariis officium Punctatoris comittatur, sed hujus electionem libere ad Capitulum spectare, quod Ecclesiæ Dominus est, plenamque in ea jurisdictionem habet. Nec obesse consuetudinem eligendi unum ex Vicariis; probat enim in primis, hanc variam fuisse arbitrio Capituti, sæpiusque alios fuisse deputatos: addit etiam, eamdem observantiam mere facultativam quoad Capitulum fuisse, hinc nullum jus Vicariis fuisse quæsitum, nec Capitulum suo arbitrio privatum *Pignatel. tom. 4. consult. 4. num. 13., & Rot. coram Falcon. de Jurep. decis. 30. num. 18.*

De XI., ac XII. dubio nihil adhuc a Capitulo habuimus.

Officialis Leodien. rationum momenta hinc inde coram se deducta enarrat, omniaque judicio EE. VV. submittit.

Nunc itaque EE. Patres sublimi, qua pollent, scientia, ac sacri juris peritia dignentur definire.

I. *An sex Vicarii Collegiatæ Ecclesiæ Tungrensis sint perpetui, seu potius a Decano, & Capitulo ex legitima, vel rationabili causa possint ab officio removeri, & Vicaria privari in casu.*

II. *An dicti Vicarii possint ad titulum earumdem Cappellaniarum ad sacros ordines promoveri in casu &c.*

III. *An iidem Vicarii teneantur assidue inservire Choro, & Ecclesiæ, seu potius in Festis duntaxat, & etiam absentibus Canonicis in casu &c.*

IV. *An debeant per se ipsos implere onera unicuique imposita, & canere Missas Chori, & postquam cantaverint primam Missam teneantur etiam interesse aliis ex consuetudine Ecclesiæ cani solitis in casu &c.*

V. *An, & quæ retributio eisdem Vicariis debeatur intuitu onerum, & servitii Ecclesiæ in casu &c.*

VI. *An iidem distributionibus quotidianis potiri debeant, & de, ac quibus anniversariis participare in casu &c.*

VII. *An & quæ jurisdictio competat Decano, & Capitulo in eosdem Vicarios, ipsosque corrigere possint pœnis, ac multis*

ctis pro modo exceſſuum, ac delictorum in caſu &c.

VIII. *An, & quæ facultas Decano, & Capitulo competat in caſu abſentiæ per dictos Vicarios protractæ ad menſem vel non completum, vel non continuum, ſeu quomodo ſit providendum in caſu &c.*

IX. *An, & quæ, & ad quod tempus concedenda dictis Vicariis ſit vacatio a ſervitio Eccleſiæ in caſu &c.*

X. *An Punctatoris officium perpetuo conferendum ſit alicui ex dictis Vicariis, ſeu potius liberum ſit Decano, & Capitulo ad idem officium quamcumque beneviſam perſonam aſſumere in caſu &c.*

XI. *An, & in quibus horis Canonici teneantur intereſſe, & canere in Choro Divina Officia una cum Vicariis in caſu &c.*

XII. *An, & quibus remediis, & a quo ſint cogendi in caſu deficientiæ in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam. Ad II. Affirmativè. Ad III. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam. Ad IV. Teneri Vicarios adimplere onera per ſe ipſos, in reliquis iterum proponatur. Ad V. Arbitrio Capituli. Ad VI. Dilata, & ſcribatur juxta inſtructionem. Ad VII. Dilata, & expectetur exitus Cauſæ in Rota. Ad VIII. Ut ad proximum. Ad IX. Dilata, & ſcribatur juxta inſtructionem. Ad X. Eligendum eſſe unum Clericum de Choro arbitrio Capituli. Ad XI., & XII. Dilata, & proponatur in menſe Auguſti, etiam unica.

NULLIUS, SEU FARFEN. CANONICATUS. Ea lege anno 1720. Capella major Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi Tophiæ ab ejus Capitulo conceſſa fuit Sodalitio S. Laurentii, ut ipſum Sodalitium eamdem Capellam dotaret *d'entrata annua di ſcudi* 30.; Ut introitus is cum aliis Capituli reditibus uniretur in erectionem quinti Canonicatus conferendi ad nominationem Sodalitii; Utque Archipresbyteri, & Canonicorum omnium, quinto etiam comprehenſo, æqua impoſterum eſſet, & redituum participatio, & onerum contributio. *Seſs. 24. cap. 15. de Reform.*

In harum pactionum implementum collatis uſque tunc a Sodalitio, a Capitulo autem acceptis tot Cenſibus eo tempore reddentibus annua ₹ 30., factaque etiam quinti Canonicatus erectione, quum temporis progreſſu fructus eorumdem cenſuum decreverint ad ſola annua ₹ 20., Capitulum poſt numquam traditum bis promiſſum a Sodalitio

tio ſupplementum defectæ redituum quantitatis, inſtetit coram S.Congregatione vel pro diſmembratione noviCanonicatus a Maſſa Capitulari; vel pro ſupplemento fundi, qui impoſterum introitum augeat ad promiſſa ſcuta 30.; Et una ſimul petiit ſolutionem ejus ſummæ, quam tempore præterito ex ſequuta fructuum cenſuum imminutione ad conventam uſque quantitatem percipere nequivit.

Petitiones hujuſmodi in tria dubia diſpertitæ, judicio EE.VV. ſubmiſſæ ſunt *die* 4. *Junii* 1768., tunc tamen placuit annuere dilationi a Sodalitio poſtulatæ, & Cauſa ad hæc uſque tempora ſiluit; cumque Societas in ſua contumacia adhuc perſeveret, Capitulum denuò inſtat pro reſolutione dubiorum in calce tranſcriptorum. Atque iis, quæ relata fuerunt in folio diſtributo pro Congregatione diei 14. Maii 1768. hodie reſumendo, Capitulum nunc addit particulam Cataſtri bonorum Eccleſiæ Collegiatæ, ut evincat cenſus pro dote novi Canonicatus aſſignatos, cum aliis Capituli cenſibus nequaquam fuiſſe commixtos: Et rurſus exhibet partitas ab anno 1693. ad annum uſque 1767. extractas ex libris Camerarii, ut oſtendat, longe minorem, quam quæ promiſſa fuerat, ſummam ſcut. 30. fuiſſe ex dictorum cenſuum fructibus perceptam.

His igitur, aliiſque perpenſis, definiendum erit.

I. *An in prima proxima vacatione ſit locus diſmembrationi Canonicatus de Iurepatronatus Societatis S. Laurentii Terræ Jophiæ a Maſſa communi Capituli Collegiatæ dicti loci in caſu &c.*

Et quatenus negativè,

II. *An ſocietas S. Laurentii teneatur ſupplere fundum dicti Canonicatus uſque ad annua ſcuta* 30., *& in eadem ſumma reſpectivè manutenere in caſu &c.*

III. *An hujuſmodi augumentum ſolvendum etiam ſit a Societate pro annis præteritis, in quibus Capitulum non percepit integre dicta annua ſcuta* 30. *in caſu &c.*

Non propoſita, cum ſequentibus.

Seſſ 25. cap. 12. de Reform.

ALBINTIMILIEN. INTERDICTI. A ſæculo, & ultra deputari conſueverat Capellanus Curatus in Capella S. Pancratii, qui curam Animarum exerceret in finitimis campeſtribus Regionibus *Calvi*, *Villatellæ*, *S. Antonii*, & *Turrium*, in Territorio Albintimilienſi exiſtentium, & in eadem Capella ſollemnia celebraret, ac Sacramenta miniſtraret. In congruam iſtius Capellani ſuſtentationem una-

unaquæque ex familiis earumdem Regionum anno 1664. ſpopo derat publico Inſtrumento quamdam frumenti, ac vini quantitatem ſubminiſtrare. Deindè Homines regionis Turrium Epiſcopo ſupplicarunt pro conſtructione in ejus ambitu novæ Capellæ ſub invocatione S. Laurentii Juſtiniani, & huic petitioni annuit Epiſcopus, *ſalvis tamen, & reſervatis juribus Parochialibus, & Epiſcopalibus, dummodò tamen Eccleſia conſtruenda habeat januam in via, & in loco publico, Sacramenta in ea abſque expreſſa licentia non adminiſtrentur, neque oblationes, & emolumenta a nemine recipiantur, neque conſtruatur Sepulchrum, neque in die Paſchatis Reſurrectionis, nec in die Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus anni diebus Miſſa celebretur, & hac inſuper adiecta lege, quod Oratores, eorumque hæredes, & Succeſſores, ſemper, & ſingulis annis teneantur contribuere antiquiſſimum juxta morem pro manutentione tum Capellæ S. Pancratii, tum ejus pro tempore Capellani, quin ullo unquam tempore ſub quovis prætextu, vel cauſa hunc ad Miſſam in nova Eccleſia conſtruenda celebrandam, adigere poſſint.*

Quantum Homines Turrium novam hanc Capellam conſtruxerunt, ornarunt, & Capellano in ea Sacramenta miniſtrante mercedem ſoluerunt, tantundem neglexerunt promiſſam erga Capellanum Curatum S. Pancratii ſubminiſtrationem implere. Quare reclamantibus anno 1767. aliarum regionum Hominibus, Vicarius Capitularis promiſſam eidem Capellano S. Pancratii præſtationem infra dies quindecim pendendam mandavit ſub pæna Interdicti, vetuitque ne in Eccleſia S. Laurentii Sacramenta ulterius miniſtrarentur: Cumque intra præfinitum tempus paritum non fuerit præcepto, die 29. Auguſti ejuſdem anni idem Vicarius Eccleſiam S. Laurentii interdicto ſubiecit, quod tamen poſtea die ſcilicet prima ſequentis menſis Septembris fuit revocatum.

Denuò tamen inſtauratæ deindè ſunt querelæ coram hodierno Epiſcopo, qui die 28. Aprilis 1768. decrevit = *Neminem, niſi Capellanum pro tempore Divi Pancratii, vel alios de noſtra, aut ejuſdem Capellani licentia in Capella, ſeu Oratorio ſub titulo S. Laurentii Juſtiniani in Regione Turrium noviter conſtructa Sacramenta adminiſtrare poſſe, nec puerperas benedicere, neve oblationes, aut Eleemoſynas recipere, minuſve collectas facere, volentes, in prædicta Capella ab alio quovis non Capellano D. Pancratii, nec habente licentiam, nullas functiones Eccleſiaſticas exerceri poſſe, & ſolummodò Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium quotidie celebrari, exceptis tamen diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus diebus* = Utque Hominibus Turrium rem gratam faceret Epiſcopus, mandavit *Capellano pro tempore Capellæ, ſive Oratorii Divi Pancratii, ut*

in diebus SSmæ Conceptionis B. M. V., & SS. Laurentii Juſtiniani, Aloyſii Gonzagæ, & Fauſtini in prædicta Capella, ſeu Oratorio Regionis Turrium Sacroſanctum celebret Miſſæ Sacrificium.

Cum tamen his præſcriptis legibus non paruerint Homines Regionis Turrium, idcirco Epiſcopus die 19. Maii anni elapſi Capellam S. Laurentii Juſtiniani iterum interdicto ſubiecit; Ab hoc iiſdem Hominibus ad Sac. hanc Congregationem provocantibus, ſed jura ſua deducere negligentibus, de vi, ac juſtitia Interdicti nunc quæri contingit ad petitionem Promothoris Fiſcalis.

Inquit ipſe, Epiſcopum erectioni novæ Capellæ ſub titulo S. Laurentii Juſtiniani conſenſiſſe, cum expreſſa reſervatione jurium Eccleſiæ, & Capellani S. Pancratii; Homines autem Regionis Turrium promiſſam iſtius favore contributionem poſtea denegaſſe, legeſque erectionis, & pacta fregiſſe, ſpretiſque tum Vicarii Capitularis, tum Epiſcopi monitionibus datarum legum neglexiſſe implementum; jure idcircò eamdem Capellam S. Laurentij fuiſſe interdicto ſuppoſitam *Amoſiaz. de cauſ. piis lib. 5. num. 14., Alter. de Cenſur. tom. 2. aiſp. 10. de Interdict. cap. 1. litt. D.*

Perperamque ab iiſdem Hominibus allegatam fuiſſe eorum diſtantiam ab Eccleſia S. Laurentii, cum ea nec magna ſit, nec via ullo flumine intercepta, aut adeo impervia, ut difficilis ad eam pateat acceſſus: Hinc commodè potuiſſe ipſos homines eamdem adire Eccleſiam, præſertim cum numquam huc uſque caſus evenerit, quod aliquis ſine Sacramentis obierit, quin Capellanus Curatus præſto fuerit ad opem Spiritualem ferendam.

Demum advertit nequaquam licuiſſe Hominibus Turrium a promiſſa contributione reſilire, ac leges, & conditiones in erectione novæ Capellæ S. Laurentii adiectas poſthabere.

Epiſcopus, qui Interdicti juſtitiam, & neceſſitatem tuetur, ait = *Major ſiquidem domorum diſtantia a Capella, & Capellano S. Laurentii non excedit Milliarium unum Italicum cum dimidio, & diſtantia hæc perpaucarum Domorum eſt, non tamen regionis Turrium, quæ nec ad unum milliarium diſtat. Plura incommoda, & inconvenientia ſtudio partium ducti, & ut fucum faciant reliquis regionibus mihi primum, deindè EE. VV. venditarunt, et relatores iſti judicium Dei minimè effugient, de manu ſiquidem eorum exquiret Animas illarum regionum, quæ modo abſque ullo V. cecurato veluti oves derelictæ ſine Paſcuis, & ſine duce undequaque vagantur: Jam duo ad illam Vicecuram miſi, ſed illi minacibus verbis, & male accepti ab Hominibus Turrium rediere, eo vel magis, quod Homines Turrium prædictis Capellanis ſtipendium, ad quod tenentur, impen-*

pendere renuebant, & ita reportare commodum ex propria iniquitate volebant. Juvat animadvertere quatuor ſupradictas regiones vix poſſe contribuere ad unum alendum Capellanum, ſunt enim homines, qui de labore, & induſtria vivunt, octoginta circiter ſunt Patres familias in quatuor illis regionibus, ex his viginti octo ſunt in Regione Turrium, qui ſeparatè ſibi elegerunt Capellanum, quem modo egrè ſuſtentant, ut evincant, quod ſibi injuſtè propoſuerant, immò omnem movent lapidem, ut intentum obtineant.

Hinc concludit = *Senſum meum in hac re aperiens, cenſerem remanere debere prædictam Capellam S. Laurentii Juſtiniani ſuppoſitam Interdicto. Primo quia injuſtum eſt frui homines illo beneficio, & gratia Capellæ non ſervatis conditionibus, ſine quibus conceſſa non foret: Secundo quia Capella eadem fons eſt, & origo harum omnium contentionum: Tertio quia ſequus de auctoritate Epiſcopi actum eſt; parvipenderant uſque adhuc illius decreta, & ſi per Sacram Congregationem interdictum, inpoſterum vileſcent.*

Poteſtas Epiſcopi interdicendi Eccleſiam, non eſt cur revocetur in diſcrimen. Unica igitur inſpectio eſt, an juſtam ipſe habuerit cauſam illam interdicto ſubiiciendi. Patebit id ex iis, quæ in circumferendo libello Promothoris Fiſcalis fuſius recenſentur, quibus perpenſis EE.PP. decernere dignabuntur.

An Interdictum Eccleſiæ S. Laurentii Juſtiniani ſuſtineatur in caſu &c.

BALNEOREGIEN. IMPEDIMENTI. Mutua de ineundo Matrimonio data, acceptaque fide Magdalena Barberini paſſa eſt, ut fieret utero gravis a Dominico Antonio Fiani. Hoc tamen in Curia Epiſcopali poſcente veniam, & proclamata, Matrimonio contradixit Carolus Fiani ejus Frater impedimentum affinitatis opponens ob illicitam copulam, quam retroactis temporibus interceſſiſſe dixit inter eumdem Dominicum ejus fratrem, & Mariam Annam dictæ Magdalenæ Matrem, cum hæc eſſet adhuc innupta. Hac de re a Curia Epiſcopali poſt interrogatos aliquot Teſtes, denegatis publicationibus confugit Dominicus ad Sacram hanc Congregationem, a qua dubium in calce tranſcriptum poſtulat definiendum.

Seſſ. 24. cap. 4. de Reform. Matrim.

In-

Inquit autem, duo requiri ad impedimentum affinitatis conſtituendum, videlicet copulam undequaque completam *Leg. non facile ff. de gradib. affinit.*, & *Cap. Fraternitas* 35. *quæſt.* 10., & concludentem, legitimamque illius probationem, ut declaravit *Sac. Congregatio in Tudertina* 24. *Januarii* 1632. *apud Monacell. formul. Legal. tit.* 16. *formul.* 2. *num.* 30.. Utrumque vero in præſenti caſu deſiderari, cum neutrum eruatur ex duobus a Curia Epiſcopali auditis Teſtibus, quorum alter de viſu, alter de auditu deponit.

Etenim quoad fœminam Teſtem de viſu obſervat, ipſam non affirmaſſe, vidiſſe virum, & Mulierem invicem complexos, ſed ſolum Mariam Annam eo modo, ac loco ſtantem conſpexiſſe, ut proximum acceſſum Dominici prope eam e conſpectu manentis ſignificaret. Addit eam fœminam vilis eſſe conditionis, & ſibi met ipſi contrariam; inſuperque tanquam unicum, & ſingularem teſtem nullam probationem conſtituere *Leg. Jurisjurandi Cod. de Teſtib.*, *Cap. licet*, *Cap. veniens*, & *cap. In omni negotio de Teſtibus*.

Quo verò ad alterum Teſtem de auditu ait, ex ejus dicto non deprehendi, a quo impedimenti ſcientiam, & notitiam habuerit, cum ſolum aſſeruerit vocem de copula audiviſſe ab octo circiter, vel novem menſes ante ejus examen, quo tempore nondum rumor de Sponſalibus vulgatus erat. Ait præterea hunc Teſtem affirmaſſe nihil inhoneſti aut vidiſſe, aut audiviſſe ſequutum inter Dominicum, & Mariam Annam, dum a 25., vel 30. retro annis eos inter amoris æſtus fervebat, cum tamen ſi quid mali accidiſſet in parvo Oppido, & in publica Apotheca, ubi factum contigiſſe narrat dicta Mulier impudens, & garrula, latere ſanè non potuiſſet.

Perperamque obiici dicit inter Mariam Annam, & Petrum Barberini poſt aſſertum factum Matrimonii fœdere junctos exorta jurgia ob amicitiam, quam eadem Maria Anna cum Dominico Antonio ſervavit. Advertit enim, ex ſolo amicitiæ vinculo, vel ex concæpta a Viro Zelotypia copulam inferri non poſſe. Negat deindè hujuſmodi jurgia: Exhibetque teſtimonium Parochi Terræ Lubriani, aſſerentis, inter plures amaſios, cum quibus Maria Anna ſuſpectam fovebat amicitiam, & quorum cauſa illam ſæpius admonuerat, non numerari Dominicum Fiani, deque iſtius cum eadem Muliere familiaritate, nihil unquam audiviſſe.

Contendit denique copulam ſatis excludi ex jurata, tum Mariæ Annæ, tum Dominici depoſitione; Atque hinc concludit, nullum eos inter adeſſe affinitatis impedimentum; proindèque ad removenda ſcandala, legitimandamque

que prolem illegitimè conceptam, fas ſibi eſſe Matrimonium cum prædicta Magdalena contrahere.

Ad inducendam affinitatem, ex qua Matrimonii impedimentum oriatur, requiritur, ut copula ſive conjugalis, ſive fornicaria perfecta fuerit, & ſufficiens ad generationem prolis *Cap. nec eam 35. quæſt. 13.*, *cap. Tranſmiſſæ*, *cap. Diſcretionem*, *cav. Tuæ De eo, qui cognovit*, cum per hujuſmodi copulam fiat, ut vir, & fæmina una caro efficiantur, & affinitatem contrahant.

Quæ autem requirantur ad ritè probandum impedimentum, quod diſſoluat Sponſalia, & Matrimonium contrahendum impediat, paſſim tradunt Doctores. Inter cetera verò communis ferè apud omnes opinio invaluit, unicum etiam Teſtem ſufficere. Nam in *Cap. Præterea 12. de Sponſalibus* diſponitur: *Præterea de Muliere, quæ a Viro impetitur, cujus conſanguineus cum ea deliquiſſe proponit, ſed hoc publice confiteri recuſat propter metum, & potentiam Mulieris, providentiæ Tuæ duximus reſpondendum, ut Matrimonium ipſum fieri, niſi juramentum interveniſſet, diſtrictè prohibeas, ne deterius inde contingat.* Et in *cap. ſuper eo 22. de Teſtibus* Alexander III. reſpondit: *Super illa verò quæſtione, quam feciſti, an filia coniuganda non ſit Viro, eo quod ſola Mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur, diſcretioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi Matrimonium inter eos non eſt conſummatum, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent coniungi, quia præſumptio eſt non modica, quod ſe linea conſanguinitatis attingant, cum mater id confiteatur.* Idque ideo receptum eſt, quia agitur de impediendo peccato, & animæ periculo, & *ne deterius indè contingat*, ut habetur *in citat. cap. Præterea de Sponſalibus.*

Ut tamen unicus Teſtis ad probationem conſtituendam admittatur, neceſſe eſt, medio juramento, & ex certa ſcientia teſtetur, & non ſit perſona vilis, niſi factum ita clandeſtinum fuerit, ut nonniſi per vilem perſonam probari poſſit. Hinc admonentur Judices, ut qualitatem perſonæ Teſtificantis, omneſque circumſtantias diligenter inquirant, atquè perpendant, quemadmodum advertit *Paninoll. deciſ. 29. adnot. 3. num. 25.*, aliique ab eo relati.

His in jure præmiſſis ponderanda ſedulo eſt utriuſque Teſtis depoſitio, & an ex ea deſumi valeat valida ſaltem præſumptio copulæ perfectæ inter Dominicum Antonium, & Mariam Annam Magdalenæ Matrem: Habenda quoque ratio eſt qualitatis perſonæ de viſu teſtantis: Nec demum prætereunda eſt tum dicti Dominici Antonii, & Mariæ Annæ jurata declaratio carnalem copulam excludens, tum etiam teſtimonium Parochi Lubriani de Dominico Antonio affirmantis: *Non ho mai ſentito, ne mi è ſtato riferito,*

che

che con detta Maria Anna abbia avuto amicizia, o corrispondenza.

Episcopus Balneoregien. constare putat de impedimento, quod ex allatis Testium depositionibus satis resultare censet, proindèque dispensationem in præsenti casu omninò requiri concludit. Quæritur, quæ sit EE. PP. sententia, a quibus definiendum erit.

An constet de impedimento affinitatis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 16. Junii 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN hodierno EE. PP. Conſeſſu decidendæ proponuntur Cauſæ, quæ tum ex præcedenti folio ſuperfuerunt, tum in præſenti adjiciuntur. Placeat igitur de omnibus quid juris dijudicandum ſit definire.

NULLIUS, SEU FARFEN. CANONICATUS. *Seſs. 24. cap. 15. de Reform.*

I. *An in prima proxima vacatione ſit locus diſmembrationi Canonicatus de Iurepatronatus Societatis S. Laurentii Terræ Jophiæ a Maſſa communi Capituli Collegiatæ dicti loci in caſu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An ſocietas S. Laurentii teneatur ſupplere fundum dicti Canonicatus uſque ad annua ſcuta 30., & in eadem ſumma reſpectivè manutenere in caſu &c.*

III. *An hujuſmodi augumentum ſolvendum etiam ſit a Societate pro annis præteritis, in quibus Capitulum non percepit integre dicta annua ſcuta 30. in caſu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè, & amplius. Ad III. Affirmativè a die motæ litis.

ALBINTIMILIEN. INTERDICTI. *Seſſ. 25. cap. 12. de Reform.*

An Interdictum Eccleſiæ S. Laurentii Juſtiniani ſuſtineatur in caſu &c.

Affirmativè.

BALNEOREGIEN. IMPEDIMENTI. *Seſſ. 24. cap. 4. de Reform. Matrim.*

An conſtet de impedimento affinitatis in caſu &c.

Negativè.

Sess. 24. cap. 5. de Reform. Matrim.

ACHERUNTINA DISPENSATIONIS. Contractis Sponsalibus per verba de futuro inter Josephum Joannem Serio, & Annam Catharinam del Pomo, antequam matrimonium iniretur, accidit, ut Josephus lethali vulnere saucius jamjam esset moriturus. Interrogatus autem a Sacerdote adstante, eique extrema pietatis officia persolvente, utrum vellet cum Anna copulari, annuit Josephus, & matrimonium juxta ritum Ecclesiæ contraxit; & paulo post occubuit, absque eo quod illud consummaverit. Defuncto Josepho, cogitavit Sabinus Serio illius Frater desponsanda sibi Anna del Pomo, & hac de causa familiariter cum ipsa conversatus est: Verùm animadvertens, obstare impedimentum, quod *publicæ honestatis* appellat, proveniens ex matrimonio cum prædefuncto Fratre rato, & non consummato, supplex adiit Eminentissimum Pro-Datarium pro obtinenda dispensatione, deduxitque causam evitandi scandalum, & infamiam, quæ ex mutua Viri, & Mulieris consuetudine oriri potuissent. Censuit autem laudatus Eminentissimus Pro-Datarius in re tanti momenti votum exquirere Sac. hujus Congregationis, cui hujusmodi inspectio discutienda hodie proponitur.

Præstat itaque hic recensere ea omnia, quæ resultant ex processu, jussu Sacræ Congregationis exarato, quæque ad decisionem præsentis quæstionis conferre poterunt: Sex testes, præter Sabinum Serio, & Annam del Pomo fuerunt examini subjecti, omnesque Matrimonii consummationem uno ore excludunt. Immo Sacerdos Angelus Volpicelli postquam retulit, Josephum Sclopi ictu vulneratum remansisse, addit = *A tutta fretta fui io chiamato per confessarlo, ed in fatti portatomi alla medesima sua Casa, trovai detto quondam Giuseppe Giovanni Serio semivivo, e considerandosi, che difficilmente poteva vivere, si pensò, e risolse esplorare la di lui volontà, se intendeva prendersi per Moglie la detta Lo Pomo, ed in fatti dimostratosi prontissimo coll'esplorazione della di lui volontà da me fatta, in presenza mia li sudetti quondam Giuseppe Giovanni Serio, ed Anna Caterina Lo Pomo furono congiunti in matrimonio dall'Economo D. Giuseppe Piarulli, e dopo un quarto d'ora in circa volle da me confessarsi detto quondam Giuseppe Giovanni Serio, come già fece, e subito rese l'Anima a Dio in mia presenza, e di altri, dal che apparisce, esser seguito soltanto il matrimonio rato, e non consumato*.

Præterea testatur Sabinus Serio, nil quidquam aut minùs castè, aut honestè minus Josephum Fratrem cum Anna tentasse, semperque innoxiè, & absque culpa se fuisse conversatum, animo tamen matrimonium cum ea ineundi. Anna verò Catharina affirmat, nullam ipsam inter, & Josephum sive post inita Sponsalia, sive post Matrimonii celebrationem, carnalem copulam intercessisse.

Ait Sacerdos Joseph Piarulli, ex conversatione inter Josephum,

phum, & Annam murmur quidem in loco fuiſſe evulgatum, ſed carnalem actum excludit. Exiſtimat autem graviora ſcandala eventura, majoremque infamiam ſubituram Mulierem, niſi cum Sabino Matrimonio jungatur, quia poſt datam invicem Matrimonii fidem, *credo, che vi ſaranno ſtati degli acceſſi familiari in Caſa di detta Anna Caterina per parte di detto Sabino*.

Convenit cum ſententia Piarulli Sacerdos Volpicelli aſſerens, ideo Sabinum de contrahendo cum Anna Matrimonio cogitaſſe, *unicamente per reintegrare la medeſima nella ſtima ad oggetto, che ſecondo inteſi dire trà detto quondam Giuſeppe Giovanni, ed Anna Caterina vi framezzò qualche prattica, mentre ſcambievolmente ſi portavano nelle riſpettive Caſe, per il che ne nacque ſuſurro nel Paeſe*. Ex hac autem mutua Sabinum inter, & Annam protracta conſuetudine, ſcandalum in Populo exortum fuiſſe, quod magis augeretur, niſi invicem Matrimonio copularentur. Illudque etiam mali accederet, quod Mulier diffamata non amplius nubere poſſet.

Alter Teſtis Sacerdos Sabinus Romanelli neſcire profitetur, an Sabinum inter, & Annam carnalis copula interceſſerit. Confirmat, quæ dicta ſunt a Sacerdote Piarulli de infamia Mulieri obventa; & demum defunctum Ioſephum honeſtis, probiſque moribus præditum commendat, nullamque ſuſpicionis, aut ſcandali occaſionem præbuiſſe dicit, quo tempore cum Anna poſt inita Sponſalia converſatus eſt.

Tres autem Mulieres deponunt, defunctum Ioſephum nonniſi rarò ad Domum Annæ acceſſiſſe, proindeqne ſcandala oriri nequaquam potuiſſe aſſeverant. Aſſerunt tamen diffamationem coactam fuiſſe ex familiari ejuſdem Annæ cum Sabino conſuetudine, quam quidem ab omni culpa immunem duo ex dictis Mulieribus exiſtimant, ſed tertia de malo dubitat, dum ait = *Per quali acceſſi io dubito, ſiccome anche da altri ſi ſoſpetta, che vi ſiano atti confidenziali, e forſe prattica carnale frà loro*.

Archiepiſcopus judicio EE. VV. relinquit indaginem, an expediat diſpenſationem in præſenti caſu concedere; Cæterum confirmat, quæ huc uſque relata ſunt, præſertim quoad Oratorum infamiam ex mutua familiaritate contracta. Teſtatur etiam de ipſorum paupertate, de qua alii quoque Teſtes, uno excepto Sacerdote Volpicelli, deponunt.

Non una eſt Doctorum ſententia, an ex matrimonio rato, & non conſummato, impedimentum affinitatis, vel publicæ honeſtatis contrahatur. Affinitatem inde contrahi tradit D. Thomas in *Supplement. quæſt. 55. num. 4.* his verbis = *Matrimonium affinitatem cauſat, non ſolum ratione carnalis copulæ, ſed etiam ratione ſocietatis conjugalis, ſecundum quam etiam matrimonium naturale eſt: Unde & affinitas contrahitur ex*

ipso contractu matrimonii per verba de præsenti ante carnalem copulam = Hanc sententiam sequuntur nonnulli, quos refert *Sanchez de Matrimon. lib.7. disput. 64. num. 24.* ea innixi ratione, quod per vinculum conjugale cum potestate ad copulam, Vir, & Uxor uniuntur in ratione unius principii ad generationem.

Alii verò tenent ex matrimonio rato, & non consummato, affinitatem oriri non propriè, sed initiativè, & lato modo sumptam. Alii demum sustinent impedimentum contrahi tantùm publicæ honestatis, non autem affinitatis, quia hæc non intercedit nisi ex copula perfecta, & consummata, qua Vir, & Uxor una caro efficiuntur, ut ait *Corrad. in praxi dispensat. lib.8. cap.7. a num.15.*, aliique relati a *Sanchez de Matrimon. loc.cit.num.25.*

Quidquid autem sit de hac diformi Doctorum opinione, certum est, hujusmodi impedimentum non fuisse per Concilium Tridentinum coercitum ad primum gradum, sed protrahi ad omnes gradus, ad quos ante Concilium protrahebatur. Ita declaravit S. Pius V. Constitut. *Ad Romanum* dicens = *Ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, an decretum Oecumenici Concilii Tridentini* sess.24. de Reformat. Matrimon. cap.3., *quo cavetur, impedimentum publicæ honestatis, ubi Sponsalia valida non fuerint prorsus tolli, ubi verè valida fuerint, non excedere primum gradum . . . . . de Sponsalibus per verba [ut ajunt] de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam Matrimonia per verba de præsenti contracta, non tantum consummata comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit . . . . . Declaramus, & definimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere in Sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut præfertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat* =

De potestate Summi Pontificis dispensandi super hujusmodi impedimento dubitare non licet; quoniam illud neque ex naturali, neque ex Divino jure descendit, prout Academiæ omnes Catholici Orbis responderunt in celebri Causa inter Henricum VIII., & Catharinam defuncti Arturi Fratris Viduam. Maximum in veteri Mosayca lege erat discrimen inter casum, quo Frater cum filiis, & casum, quo sine filiis decessisset. Siquidem in *cap.18., & 20. Levitic.* reprobata omninò erant conjugia cum Uxore defuncti Fratris, qui relictis filiis obiisset; è converso autem si nulla relicta prole interiisset permissa erant, immò demandata hujusmodi Connubia, ad suscitandum demortui Fratris semen, ut ex *Deuteronom. cap.25.* In nova vero lege tolerantur hæcmatrimonia, & prævia Apostolica dispensatione permittuntur in Neophitis, *si tamen Fratres sine prole de-*

ces-

ceſſiſſent, quemadmodum reſultat ex *Text. in cap. final. de Divortiis*, ubi legitur, quod Innocentius III. poteſtatem fecerit Livonienſibus ad Fidem converſis, ut cum Vidua defuncti Fratris, qui ſine prole obiiſſet, matrimonio jungerentur.

Verum cum Matrimonia, de quibus agitur, redoleant turpitudinem, idcircò nonniſi ex urgentibus cauſis diſpenſatio concedi ſolet. Concilium Trid. *ſeſs. 24. cap. 5. de Reform.* hæc ſtatuit = *In contrahendis matrimoniis vel nulla omninò detur diſpenſatio, vel rarò, idque ex cauſa concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam* = Quare monet *Corradus in praxi diſpenſat. lib. 8. cap. 7. num. 21.*, diſpenſationem hujuſmodi tunc ſolum concedi, quando afferuntur cauſæ, quæ allegari ſolent in diſpenſationibus ſuper impedimento Conſanguinitatis, ſeu Affinitatis in proximioribus gradibus, vel quando interceſſerit copula, aut ex ipſius ſuſpicione oriretur infamia, vel aliæ hujus generis juſtæ, & graves cauſæ deducantur.

Non deſunt, quamvis rarò inveniantur, hujuſmodi diſpenſationum exempla. Julius III., ut ſupra narratum eſt, diſpenſavit cum Henrico VIII., ut deſponſaret ſibi Catharinam Auſtriacam poſt mortem Arturi Fratris, qui matrimonium cum ea inierat, ſed non conſummaverat. Similiter Innocentius X. diſpenſationem conceſſit cuidam nobili Pragenſi, qui Imperatori a Conſiliis erat, ut matrimonio jungeretur cum Vidua defuncti Fratris, quamvis filios reliquiſſet, ut melius iſti educari poſſent apud Matrem, quæ in Domo ejuſdem nobilis a multis annis permanſerat. Tria proſtant in Familia Farneſia iſtarum diſpenſationum exempla, ut teſtatur *Rigant. ad regul. 49. Cancellar. num. 45.*

In hujuſmodi diſpenſationibus concedendis non adeo facilem ſe præbuit S. Congregatio, quæ juxta caſuum circumſtantias illas quandoque conceſſit, aliquando tamen denegavit. In *Caven. 17. Novembris 1629.* illam conceſſit, quia certum erat matrimonium a prædefuncto Viro non fuiſſe conſummatum; ſed in *Leodien. Diſpenſationis 10. Maji 1755.* rejecit preces pro diſpenſatione, quia dubium de ſequuta conſummatione oriebatur. Præſtat ante oculos habere votum hac ſuper re exaratum in Cauſa *Gadicen. Diſpenſationis*, relatum in *Theſaur. Reſolut. ad diem 11. Septembris 1752.*

Quibus omnibus ritè perpenſis expendendum erit

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

Negativè.

SPO-

Seff. 14. cap. 9. de Reform.

SPOLETANA, SEU NULLIUS FERENTILLI JURISDICTIONIS. Solemnis tranſactio auctoritate Sacræ Congregationis Boni Regim. inita inter Communitatem Caſtri S. Mamiliani, quod eſt in Abbatia Ferentilli Reverendiſſimo Capitulo Lateranenſi ſubjecta, & Communitates Civitatis Spoleti, atque Oppidi Strecturæ, finem impoſuit annoſæ controverſiæ in eadem Sac. Congregatione jamdiu actæ ſuper finibus Territorii uniuſcujuſque Communitatis. In ea enim admiſſa, probataque in omnibus ſententia bon. mem. Palagii ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarii, declaratum fuit *fines, confines, & terminos dividentes Territorium Caſtri S. Mamiliani a Territorio Villæ Strecturæ Civitatis Spoleti, fuiſſe, & eſſe = il Foſſato grande detto Teſſino =* qui quidem Foveus unum ab altero dividit Territorium.

Poſt extinctam de temporali dominio litem, alia inter Epiſcopum Spoletanum, & Capitulum Lateranenſe orta fuit controverſia de ſpirituali juriſdictione in Eccleſiam ruralem S. Pauli, quam Epiſcopus Spoletanus in Territorio Oppidi Strecturæ ſub ſua Diœceſi erectam affirmat; Capitulum verò Lateranenſe in Territorio Caſtri S. Mamiliani Abbatiæ Ferentilli ſitam eſſe aſſeverat. Huiuſmodi controverſia EE. PP. ſapienti judicio definienda ſubjicitur, cumque præfixo jam ſemel, atque iterum termino Promothori Fiſcali Curiæ Epiſcopalis Spoleti, nil tamen huc uſque deduxerit, nec comparuerit, præſtat idcirco ea referre, quæ Capitulum Lateranenſe ad ſua tuenda jura proponit.

Pro certo itaque in primis habet, Eccleſiam S. Pauli ſitam eſſe in Territorio Caſtri S. Mamiliani, atque inde arguit, eam ſubeſſe omninò debere Abbatiæ Ferentilli, cui totum Sancti Mamiliani Territorium ſubeſt, ut declaratum fuit in *Spoletana, ſeu Nullius Ferentilli Juriſdictionis ſuper negocio principali 9. Januarii 1728. coram Gamaches*. Nec dubitari poſſe aſſerit, Territorium Caſtri S. Mamiliani ſeſe protendere uſque ad Foveum *Teſſino*, cum id deſumatur tum ex Teſtium depoſitionibus, tum etiam ex terminis diviſoriis in actu judicialis acceſſus anno 1719. poſitis, tum demum ex Inſtrumento Tranſactionis, quo hæc terminorum appoſitio probata fuit, & confirmata.

Nullaque ratione opponi poſſe cenſet, vel quod Eccleſia Sancti Pauli conſtructa olim fuerit in prædio ad Parochialem Eccleſiam Oppidi Strecturæ pertinente; vel quod prædium hujuſmodi per Magiſtratum Spoleti, & Priores Strecturæ ceſſum poſtea in Tranſactione fuerit Communitati S. Mamiliani; vel quod Parochus Strecturæ clavem Eccleſiæ S. Pauli ſemper retinuerit, in eaque Parochiales functiones peregerit. Singula namque Capitulum impugnat. Negat enim Eccleſiam S. Pauli erectam in Solo ſpectante ad

Pa-

Parochiam Strecturæ, contenditque eam semper sitam fuisse intra limites Territorii S.Mamiliani, & in loco, ubi etiam nunc existit.

Negat insuper ejusdem Prædii cessionem, atque animadvertit, nil quidquam in Transactione adauctum fuisse Territorio S. Mamiliani, solumque admissam, probatamque extitisse possessionem, in qua Homines illius Castri reperiebantur, quamque sententia bon. mem. Palagii eorum favore declaraverat. Ac demum negat, Parochum Strecturæ claves Ecclesiæ S. Pauli retinuisse, asserens eas quandoque ex urbanitate tantum, & ad preces Hominum Strecturæ fuisse eidem traditas, ut in ea Ecclesia Sacrum celebraret. Infert proinde, nil Parocho Strecturæ prodesse posse actus precario tantum nomine gestos, ad *Text. in Leg.2. ff. de Precario;* nec idcircò sublatum, aut imminutum fuisse jus Capituli Lateranensis *Rot. coram Falconer. de Offic. Ordin.dec.8.*, *& in Burgen. juris visitandi* 22. *Junii* 1714. *§. Cæteri coram Cerro*. Præsertim quia actus hujusmodi perpauci sunt, & ad præscriptionem inducendam prorsus inepti *Bald. in cap. Querelam num.16.de elect.*, *Rot.cor.Buratt.decr.914.n.8.*, *& cor.Bich. dec.290.num.31.*

Probat ulterius Capitulum, supra januam Ecclesiæ S. Pauli extitisse insignia Basilicæ Lateranensis, Sacrasque Visitationes in ea peractas fuisse a Visitatoribus a Capitulo destinatis, ut ex actis annorum 1731., 1738., 1747., & 1758. Spernendas verò dicit Visitationes ab Episcopis Spoletanis una, aut altera vice factas, quia conflictantur ab aliis pluribus jurisdictionis actibus a Capitulo exercitis. Immò observat, quod in Visitatione Ecclesiæ S. Pauli ab Episcopo Spoletano peracta anno 1712. recensetur controversia inter Parochum S. Mamiliani, & Parochum Strecturæ, dum in ea exprimitur, *quod Ecclesiæ S. Pauli jus controvertitur inter Parochos S. Mamiliani, & Strecturæ*: Hinc mirum videtur Capitulo, quod in posteriori Visitatione anni 1732. Episcopus asseruerit, *eamdem Ecclesiam adnexam esse Ecclesiæ Parochiali Strecturæ*, quando nil quidquam intermedio tempore fuerat innovatum, sed Lis de Territorii pertinentia vigebat.

Concludit itaque, quod cum satis constet de existentia Ecclesiæ S. Pauli in Territorio S. Mamiliani, ac de jurisdictione a Lateranensi Capitulo in ea exercita, despicienda proinde sit qualibet alterius cujusque prætensio, quæ concludentissimis probationibus destituta comperiatur *Pignatell. consultat. canon. 26. num.18. lib.2.*, *Rot. in Conversana Jurisdictionis 2. Decembris* 1739. *coram Canilliac*, *& in Sancti Angeli Lombardorum Jurisdictionis* 11. *Februarii* 1757. *coram Card. Buffio*.

Eminentissimus Nereus Corsini Lateranensis Basilicæ Archipresbyter de sua sententia requisitus, petitioni Capituli

in

in omnibus annuendum censet, cum incontroversum esse testetur, Castrum S. Mamiliani situm esse intra limites Abbatiæ Ferentilli, & ex Transactione apparere, Ecclesiam S. Pauli sitam reperiri intra fines Territorii S. Mamiliani.

Episcopus autem Spoletanus asserit, Ecclesiam Sancti Pauli fuisse ædificatam in prædio, quod spectabat ad Parochialem Ecclesiam Strecturæ, cujus Parochus claves retinuit, sacraſque functiones in ea peregit. Refert nonnullos Populares vicini Castri S. Mamiliani novissimè januam dictæ Ecclesiæ vi fregisse, & seram abstulisse, itaut Sacra Congregatio Immunitatis illos in censuras incurrisse declaraverit: Deindeque his verbis prosequitur = *Multis verò ab hinc annis lis erat finium regundorum, ut accepi, inter Priores hujus Civitatis, & Populares Castri S. Mamiliani, quæ tandem communi Partium consensu transacta fuit, cessa per Priores, & Magistratum Civitatis Popularibus dicti Castri S. Mamiliani certa Territorii quantitate, incluso etiam prædio, in quo sita reperitur eadem Ecclesia S. Pauli, quod quidem fortassis in causa fuit, cur arbitrati sunt Homines S. Mamiliani vi, minuque possessionem capere ejusdem Ecclesiæ, confundentes, ut credo, jurisdictionem temporalem cum spirituali: Licet enim ab hac Civitate transactum fuerit super controverso Territorio, idque cessum Castro S. Mamiliani, non videtur tamen inde cessum etiam jus spirituale, quod Parochus Castri Strecturæ ab immemorabili habebat in sua filiali Ecclesia S. Pauli; Cum benè simul stare possit, quod aliquod Territorium sit subjectum in temporalibus uni, alteri verò in spiritualibus. Accedit, quod semper Episcopi Spoletini eamdem Ecclesiam visitaverint, ut ego ipse visitavi, sicuti exhibitis legitimis documentis constat in originali processu hac super re ad Sac. Congregationem Immunitatis transmisso.*

Præstat habere præ oculis transactionem, cujus exemplar inter monumenta causa exhibetur. In ea autem exprimitur controversia coram bo.me. Palagio, qui *dopo aver fatto l'accesso giudiziale sù la faccia del Luogo promulgasse la sentenza definitiva, con cui venne dichiarato, che li Confini divisorj del Terreno di S. Mamiliano da quello di Strettura erano il Fossato grande detto Tessino, che passa tra l'Arme di Papa Urbano, e la Chiesola di S. Polo* = Deinde fit mentio de appositione terminorum vigore ejusdem Sententiæ facta, & fusius enarratur quamdiu de illius viribus coram Sacra Congregatione Boni Regiminis fuerit disceptatum. Postea verò recensentur preces eidem Sacræ Congregationi oblatæ a Communitatibus Spoleti, & Strecturæ, *facendo istanza di voler venire ad un amichevole concordia, esibendosi pronte ad accettare la sentenza di Monsignor Palagi, e l'apposizione de termini a tenore di detta sentenza.* Denique Procurator Civitatis Spoleti, qui transactioni interfuit, *hà espressamente, e solennemente ac-*

cet-

cettata, ed accetta la sentenza di Monsignor Palagi &c. l'appoſizione de' termini in eſecuzione di d. Sentenza, e le ſuſſeguenti riſoluzioni della piena Congregazione. Idque ipſum nomine Communitatis Strecturæ ex officio, & cum facultatibus ejuſdem Sac. Congregationis peregit R. P. D. Caffarellus illius Cauſæ Relator.

His igitur præhabitis videndum de pertinentia Eccleſiæ Sancti Pauli, deque illius ſpirituali juriſdictione. Dignentur hac de re Eminentiſſimi PP. perpendere jura pro parte Capituli Lateranenſis circumferenda, ut reſpondeant dubio.

An Eccleſia S. Pauli, nuncupat. S. Polo ſubiecta ſit juriſdictioni Reverendiſſimi Capituli Lateranenſis, ſeu potius Epiſcopi Spoletani in caſu &c.

Affirmativè ad primam partem. Negativè ad ſecundam.

CALCEATEN. REDUCTIONIS. Majoratui de Villavenaxar, quem modo poſſidet Marchio Joſeph Benedictus de Samano, & Urbina, plura onera Miſſarum, aliorumque piorum operum annexa ſunt ex piis diſpoſitionibus Poſſeſſorum pro tempore. Nam *Petrus*, & *Joannes* fratres de Samiano ex reditu decem & octo millium merapetinorum ſuper regiis vectigalibus Territorii de *Rioja* opus pium fundarunt pro Puellis orphanis dotandis. Inde idem *Joannes* anno 1555. in executionem voluntatis dicti *Petri* defuncti fratris, ex emptis regiis reditibus nuncupat. *Turor* merapetinorum quindecim millium, Capellaniam perpetuam ex ſumma annuorum decem millium merapetinorum inſtituit cum onere quinque Miſſarum hebdomadalium, & reliquos reditus erogari juſſit in Capellæ conſtructionem, ornatum, & manutentionem, ac in ſuppellectilium emptionem. Poſtea idem *Joannes* anno 1558. binas alias erexit Capellanias in Capella Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Eccleſiæ Cathedralis Calceaten., quarum alteri aſſignavit viginti mille merapetinos, & decem annuas Tritici menſuras appellat. *Favegas*, alteri verò quindecim mille merapetinos, ac quinque annuas Tritici menſuras, injuncto ſingulis Capellanis onere quinque Sacrorum in qualibet hebdomada, & addita lege, quod Capellaniæ mere laicales eſſent, nullique Eccleſiaſtico Judici ſubjectæ. Demum Catharina de Samano ex relicto annuo reditu merapetinorum 53571. ſuper dictis Regiis proventibus appellat. *Turor*, Capellaniam inſtituit ex ſumma viginti quinque millium merapetinorum cum onere

Seſs. 25. cap. 4. de Reform.

onere quinque Miſſarum hebdomadalium; & reliquum erogari juſſit in pauperum excarcerationem, & in ſolemne Anniverſarium in Eccléſia Monaſterii S. Pauli Civitatis Valliſoletanæ.

Hi deſignati reditus, qui tunc ad annua ſcuta Romana 179. ultra Tritici menſuras aſcendebant, temporum injuria ſive ex ſuppreſſis Regiis proventibus, ſive ex debitorum obæratione adeo decreverunt, ut modo vix in totum conſtituant ſummam ſcutorum Roman. 55., ac ad ratam diminutionis redituum Poſſeſſores pro tempore ab implendis integre oneribus ceſſarunt. Quare Marchioniſſa de Villavenaxar Mater, & Tutrix Marchionis Joſephi Benedicti hodierni poſſeſſoris poſt erogata quinque millia Regalium in reſtaurationem, & ornatum dictæ Capellæ Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Eccleſiæ Cathedralis Calceaten., modo exhibens tot bona ſtabilia a Majoratu diſtincta, quæ reddant reliduos aſſignatos reditus, quæque a Capellano pro tempore adminiſtrentur, petit tantorum onerum reductionem ad numerum Miſſarum ab Epiſcopo præfiniendum, firma remanente qualitate laicali Capellaniæ, & jurepatronatus favore Poſſeſſorum Majoratus de Villavenaxar.

Inquit Marchioniſſa, deſignatos reditus adeo nunc decreviſſe, ut vix æquent annua ſcuta quinquaginta quinque monetæ Romanæ: Hos autem longe impares eſſe tot, tantiſque oneribus Miſſarum, aliorumque piorum operum ferendis: locum ideo eſſe eorumdem reductioni pro modo ſupèrextantium redituum, *Perez de Lara de Anniverſ.*, & *Capell. lib. 1. cap. 15. num. 8. & 9.*, *Paſqualig. de ſacrific. nov. leg. quæſt. 1075. num. 2.*, & Sac. Congreg. in *Romana Reductionis 7. Februarii 1756.*

Nec ambigi poſſe dictos reditus non demonſtrative, ſed taxative deſignatos fuiſſe, cum nullibi Fundatores Hæredes onere gravaverint dicta onera implendi, vel ſupplendi imminutionem redituum, ſed certis aſſignatis reditibus imperaverint onera ex his impleri: Hiſce proinde vel defectis, vel imminutis ceſſaſſe quoque proportionabiliter onera: maxime quia res eſt de oneribus non conventis per contractum, ſed indictis per actus ultimæ voluntatis, in quibus terminis Succeſſores nullo jure cogi valent ad ſupplendum reditum deficientiam S. Congreg. in *Faraonen. Reductionis Miſſarum 7. Maji 1718.*, & *in Nolana Reductionis Miſſarum 28. Febr. 1739.*

Epiſcopus Calceaten. poſt relatas Fundatorum diſpoſitiones, ac redituum decrementa, ſic votum aperit = *ſi faccia a diſcrezione dell'Ordinario aſſignazione di capitali di buona qualità, valore, ed eſtimazione ſegregati da detti Maggiorati, che giongano a redituare le dette quindeci faneghe, o ſia rubbia tre, e tre quarte di grano, che ha di peſo, e ſopra le medeſime*

in

la rendita neceſſaria per l'eſiſtenza di una Cappellania, che abbracci tutte le riferite fondazioni, col qual prodotto, e rendita ci ſia il neceſſario per celebrare la Meſſa quotidiana in detta Cappella coll'elemoſina di quattro Reali Vellon, ogni coſa reſtando a carico di detto Marcheſe, e Succeſſori la cura, ed ornato di detta Cappella, verificata che ſia la ſeparazione di detti capitali da quei del Maggiorato, e ſua Caſa, non trovo inconveniente, che ſi aderiſca alla ſupplica della Marcheſa Oratrice, riducendo le dette Fondazioni ad una ſola con Meſſa quotidiana, incorporando nella medeſima la commutazione di limoſine d'orfane, che più che ſopra ſi è detto, colla riſerva del Patronato alla Caſa, acciocchè nomini i Cappellani, i quali ſenza dependenza, ne intervenzione della Caſa dovranno avere il maneggio, e governo dei capitali, che ſi aſſegnaſſero, e ſegregaſſero per dotazione di detta unica Cappellania, e adempimento de ſuoi peſi.

Cum impar oneri implendo quantitas deſignata eſt, ac deo minuendo agitur, communis diſtinctio eſt inter onus per contractum, & onus per ultimam voluntatem injunctum. Primo caſu onus integre eſt implendum, nullique reductioni locus eſt, etſi quantitas impar evaſerit operis injuncti implemento *Rot. in Ravennaten. Salviani* 16. *Februarii* 1753. §.10. *coram Eminentiſſimo Molino*, & Sac.Congregatio in *Maceraten. oneris Miſſarum* 15. *Novembris* 1687., *in Montis Politiani* 3. *Septembris* 1716., *& in Bergomen. Reductionis Miſſarum* 10. *Julii* 1728., niſi tamen contractus manifeſtam iniquitatem ſecumferat, itaut ad æquitatem redigi debeat ad terminos *Leg. Cum quidam de Uſur.*

Sin vero onus non ex contractu, ſed ex ultima voluntate promanet, tunc alteri fit locus inſpectioni: num quantitas taxativè relicta ſit, nam tunc onus minuitur *Leg. Si quis de legat.* 2.: Secus verò ſi demonſtrative legata ſit, quia hoc altero caſu onus numquam minuitur, ſed Hæres ex aliis bonis ſupplere compellitur *Leg. Quidem ff. de legat.* 1., *Leg. Paulo Callancio §. Julianus, & Leg. Non aliter §. primo ff. de legat.* 3.

Communiter quoque receptum, onus taxative cenſeri relictum, quando legatum incipit ab aſſignatione fundi, vel quantitatis, & deinde ſubſequitur onus *Rot. in Romana ſupplementi, & applicationis* 11. *Junii* 1731. §. *Tunc coram Aldrovando, & in Romana Salviani* 16. *Februarii* 1752. §.8. *coram Eminentiſſimo Molino*. Demonſtrative vero quando incipit ab onere, atque aſſignatio fundi, vel quantitatis adjungitur *Rot. coram Anſaldo deciſ.* 795. *num.* 7., *& in Urbevetana Legati* 3. *Decembris* 1753. §. 6. *coram clar. mem. Card. Buſſio*. Hoc tamen argumentum ex ordine ſcripturæ deſumptum ceſſare dicitur, ſi voluntas Teſtatoris ex tota ſcriptura diverſa appareat *Rot. in Romana Salviani* 16. *Februarii* 1753. §.8. *coram Eminentiſſimo Molino*.

Id itaque præ oculis habendum eſt, an reditus pro fundo dictarum Miſſarum, aliorumque piorum operum aſſignati revera impares ſint eis oneribus ferendis. Item an demonſtrative, vel potius taxative cenſeantur deſignati a Fundatoribus, quoties hi non onus Hæredibus dederunt ea implendi, ſed peculiares reditus tunc ad ea pares conſtituerunt.

Quando autem reductio neceſſaria videatur, inquirendum, ad quam rationem in præſentiarum fieri debeat: ad perpetuam facta fuit in *Prænestina* 15. *Febr.* 1709., *in Romana* 6. *Febr.* 1734., *& in Nepesina* 24. *Julii* 1734.: ad manualem verò in *Florentina* 18. *Maii* 1765.: aliquando demum arbitrio Ordinarii fuit relicta, ut in *Vigilien. Decanatus* 23. *Julii* 1729., *in Lucana applicationis Miſſæ* 19. *Januarii*, *&* 12. *Februarii* 1735., *& in Albintimilien.* 2. *Martii* 1764.

EE. PP., qua ornantur æquitate, ac ſacri juris peritia, decernere dignentur

An ſit locus reductioni Miſſarum, aliorumque onerum, in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxtà Inſtructionem.

Seſs. 23. cap. 1. de Reform.

FESULANA MISSÆ PAROCHIALIS. In Relatione Status ſuæ Eccleſiæ Reverendiſſimus Epiſcopus Feſulanus ſequens S. Congregationi propoſuit dubium = *An Parochi in Dominicis, & aliis de præcepto diebus præſente cadavere poſſint onus applicandi pro Populo reiicere in unam ex ſequentibus feriis, ut Miſſam celebrent pro Anima Defuncti, quando potiſſimum nequit per alium Sacerdotem ſuppleri, ideoque tumulandum eſſet Cadaver ſine Miſſa, contra Rubricam Ritualis Romani præcipientis, ut Miſſa, quantum fieri poteſt, non omittatur* = Hac ſuper re Sapientiſſimum EE. VV. judicium deſideratur; quare non incongruum exiſtimavi ſequentes ſubjicere animadverſiones.

In Rituali Romano *tit. de Exequiis* ita habetur = *Quod antiquiſſimi eſt Inſtituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa præſente corpore defuncti pro eo celebretur, antequam Sepulturæ tradatur*. Et meritò quidem ritus hic vetuſtiſſimus nuncupatur, cum de eo, tanquam de re, quæ fieri jam conſueverit, mentionem fecerit D. Auguſtinus *lib. 9. Confeſſ. cap. 12. num. 4.* funus Matris ſuæ his verbis deſcribens = *Cum ecce Corpus elevatum eſt, imus, & redimus ſine lacrymis: Nam neque in eis precibus, quas tibi fudimus, cum tibi offerretur*

tur pro ea Sacrificium pretii noſtri, juxta Sepulchrum, poſito cadaveri, priuſquam deponeretur, ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precibus ego flevi = Id ipſum patet ex Concilio Valentino Hiſpaniæ *cap.4.* = *Poſt oblatum in ejus commendationem Sacrificium Deo, mox Sepulturæ tradat* = Idem quoque ex D. Gregorio Turonenſi in Vitis Patrum de S. Lupicino= *Celebratis Miſſis, cum ſummo honore, gaudioque ſepultus eſt* = Ac demum, ut alia plura omittam, hoc etiam deprehenditur ex duplici M.S. codice, Remenſi ſcilicet, & Ratoldi Abbatis ſæculo X. exarato, cum in utroque recenſeantur Exequiarum officia, & fiat mentio Sacrificii, quod pro defuncto offertur, priuſquam Cadaver terræ mandetur. Præciſe verò in poſtremo Codice ſic legitur = *In Eccleſia autem requieſcet Corpus Defuncti, quoad uſque pro ejus Anima Miſſa canatur, & offeratur ab omnibus, quibus fuerit viſum.* Apud *Huzonem Menardum in not. ad Sacrament. S. Gregorii Magni not.* 680., *Conſul. quoque Martene de antiq. Eccleſ. Rit. lib.3. cap.15.*

Hic autem Ritus tanti a pluribus habitus fuit, ac adeo religioſe, exacteque obſervatus, ut poſt decretum Innocentii III. *Cap. Conſuluiſti de celebr. Miſſ.*, quo ſtatutum fuit = *Excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*, Interpretes verbum illud *neceſſitatis* explicantes, declaraverint = *Sed quam dicit neceſſitatem? Reſpondeo, ſi celebravit de die, & poſtea etiam moriatur aliquis . . . Undè poteſt unam celebrare de die, & aliam pro defuncto.* Et juxta hunc relati decreti ſenſum, in Synodo Oxonien. ſub Stephano Archiepiſcopo Cantuarienſi anno 1222. celebrata, definitum fuit= *Ne Sacerdos quiſpiam Miſſarum ſolemnia celebret bis in die, exceptis exequiis Defunctorum, cum videlicet corpus alicujus in Eccleſia fuerit eodem die tumulandum, & tunc prior Miſſa de die, poſterior pro Defuncto celebretur.* Plura de his perpenſa ſunt in Voto a me exarato *in Cauſa Derthuſen. ad diem* 20. *Auguſti* 1768., *tom.37. Reſolut. pag.28. n.9., & ſeq.*

Huic tamen opinioni certos limites, modumque imponendum nonnulli exiſtimarunt, quos inter glorioſæ in ævum memoriæ Benedictus XIII., qui *Serm.6. ſecundi trigeſimi de Purgatorio*, his verbis ſuam ſententiam exponit = *Obſoletam quidem hanc opinionem exiſtimo, habita tamen ratione, ſi Cadaver die feſto Sepulturæ tradendum ſit in aliqua Parochia, quæ per unicum Sacerdotem adminiſtretur: Tunc enim Canone ductus Innocentii III., & illis præſertim verbis* = niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat: *audacter ſentio, duo Sacrificia per Sacerdotem celebranda, unum nempè de Feſto ejuſdem diei, alterum pro defunctis pro expiatione præſentis defuncti, cum præſertim in mea Diœceſi in uſum converterim Ritum vetuſtiſſimum, ne Cadaver ullum ſine Miſſæ Sacrificio tumulo mandetur.*

Hæc ſane eo ſolum conſilio referenda duxi, ut oſtenderem, antiquiſſimum eſſe ritum celebrandi Miſſam præſente Ca-

da-

davere Defuncti, antequam Sepulturæ tradatur; Atque etiam pateret, Ritum hunc quantum fieri poteſt, non eſſe omittendum. Hinc noſcitur contrariam conſuetudinem, ſi alicubi fortaſſe invaluit, eſſe penitùs reprobandam, quemadmodum illam reprobavit S. Rituum Congregatio *in Januen.* 12. *Julii* 1628. his verbis: *In die depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine*. Hujuſmodi enim conſuetudo, quæ adverſatur legibus, piiſque Inſtitutionibus, ac defunctos fraudat potiori ſuffragio, ac Viventes privat ſolatio, poſtremaque amoris ſignificatione ea die præſtanda, qua ab ipſis ſejungi in terris perpetuò debent, haud digna profecto eſt, quæ probetur, ſed potius reſpicienda eſt tamquam abuſus, ut advertit P. Cavalieri *tom.* 3. *Oper. Liturg. cap.* 3. *decret.* 1. *num.* 5.

Cæterum diſſimulandum non eſt, Rituale Romanum enixè quidem inculcare, ut defunctorum Cadavera cum Sacrificio ſepulturę tradantur, non tamen id abſolutè præcipere, quemadmodum eruitur, tum ex verbis illis ſupra relatis, *quantum fieri poterit, retineatur*; tum ex aliis, quæ ſequuntur = *Si quis die feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro Defunctis præſente corpore celebrari poterit, dum tamen Conventualis Miſſa, & Officia Divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obſtet* = Ac rurſus = *Miſſa verò ſi hora fuerit congruens, ritu pro Defunctis, ut in die obitus præſente corpore non omittatur, niſi obſtet magna dies ſolemnitas, aut aliqua neceſſitas aliter ſuadeat*. Qua quidem de re complures Epiſcopi in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus hortati ſunt Parochos, ut antiquiſſimum hunc Ritum exequerentur, non tamen abſolutè id præceperunt. Placeat, præ omnibus exempla deſumere ex iis, quæ Summi Pontifices Benedictus XIII., & Benedictus XIV. ſtatuerunt, atque explicarunt, cum Prior Beneventanam Eccleſiam regeret, alter verò Bononienſi præeſſet. Ille enim in Concilio Provinciali XV. habita anno 1698., Conſtitutione, quæ in Appendicè ejuſdem Concilii legitur *cap.* 9. *num.* 5. dixit = *E finalmente ſi eſortano i Parochi a voler celebrare gratis almeno una Meſſa di requie preſente il Cadavere, quando il Defunto ſia veramente miſerabile* = Hic autem in *Inſtit.* 36. cum de Miſſæ celebratione in die depoſitionis loqueretur, inquit = *Ad hoc Parochos ipſos obſtringere nolumus, qui ſingulis diebus feſtis Sacrum pro Populo offerre tenentur, quemadmodum ex Sacris Sanctionibus conſtituitur*.

Quæ hactenus perpenſa ſunt Ritualis Romani rubricas concernunt: Præſtat nunc aliqua perpendere quoad onus Parochis inhærens Sacrificium pro ovibus ſibi commiſſis applicandi. Apertiſſimo Tridentini Concilii decreto *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. *de reform.* ſtatutum legitur = *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus Animarum cura commiſſa eſt, oves*

ſuas

suas agnoscere, & pro his Sacrificium offerre &c.=Super hujusce decreti intelligentiam nonnulla variis temporibus exorta sunt dubia, præsertim quoad dies, quibus Parochi Missam pro Populo applicare teneantur, prout constat ex supplemento ad Dictionarium Pontas *verb. Missa cas.* 4. Hinc sa. me. Benedictus XIV. ad omnes imposterum controversias penitus dirimendas in *Constit. cum semper oblatas* 19. *Augusti* 1744. *tom.* 1. *Bullar. num.* 103. definivit, ut qui Animarum Curam exercent sive pingues, sive tenues habeant reditus *Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, & applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto.*

Verum laudatus Summus Pontifex illorum Parochorum inopiam commiserando, qui ferè ex eleemosinis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione recipiunt, vivere coguntur, facultatem Episcopis concessit cum iis dispensandi, *ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosinam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, liberè, & licitè possint, & valeant, dummodò ad necessariam Populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.*

Quo verò ad eos, qui, & Canonicalem Præbendam obtinent, & Parochialis simul curam exercent, idem Pontifex mandavit, *ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis verò, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret, applicetque.*

Ex his itaque plura inferre licet: Ac primo quidem onus applicandi Missam pro Populo, quod ex præcepto divino ducit originem, absolute imponi, ac præcipi omnibus Animarum Curæ Præfectis: Celebrationem verò Missæ pro Defuncto in die depositionis præsente Cadavere, optari maximè, non tamen iniungi. Liquet præterea ab applicatione Missæ pro Populo præfinitis diebus Parochos posse dispensari, ubi adeo tenues habeant reditus, ut quasi ex Missarum eleemosynis vivere cogantur; Tunc enim facultas eisdem ab Episcopis concedi potest onus hujusmodi ad alium ex feriatis diebus transferendi.

Patet denique quod Parochi si ab applicatione Sacrificii pro Populo diebus festis impediantur ob Missam Conventualem, quam ratione Præbendæ Canonicalis applicare debent pro Benefactoribus, applicationi Missæ pro Populo per alium supplere teneantur; hinc sequitur, quod neque in isto casu potest Parochus Sacrificium pro Populo differre, multoque minus ab eo eximi.

Cæterum ubi suppletio hæc defectu alterius Sacerdotis haberi non potest, abs re non erit perpendere, quæ adnotat P.

Ca-

Cavalieri *tom. 3. Oper. Liturg. cap. 8. ad decret. 15. num. 3.* hæc ſane ille habet = *Quoniam tamen Miſſa feſtiva uberiorem præ feriali non affert fructum, & dilatio v. g. e die Dominica in feriam ſecundam vix aliquod detrimentum infert, quod & cavetur penitus, ſi Miſſa in præcedenti anticipetur Sabbatho; Nos dicerемus, quod etſi ſuperius tradita univerſim procedant, & univerſim ſint obſervanda, ſcrupulosè tamen hac in re non eſt adeo progrediendum, ut ſi vel levis infrequens occurrat cauſa, non poſſit Parochus in diebus feſtivis pro aliis celebrare, quin Miſſam pro Populo per alium teneatur ſupplere, ſed ipſe eaſdem celebrare valeat in ſequenti feria, & multo magis in præcedenti anticipare. Has inter cauſas connumeramus caſum Miſſæ habendæ præſente corpore, aut urgentem ob neceſſitatem aliquam, vel occaſione alicujus peculiaris feſtivitatis, in qua ultra celebrationem a Populo, vel Confraternitate exigitur applicatio Miſſæ, vel pro hac conſuetum eſt ſtipendium tribui. In hiſce caſibus, aliiſve ſimilibus Populus non cenſetur, nec rationabiliter eſſe poteſt invitus, nec conſuetis eleemoſinis defraudatur Parochus, qui ſi teneretur per alium ſupplere Miſſam pro Populo in ruralibus Eccleſiis Clero deſtitutis, vix id præſtare poſſet, & ultra deperditionem conſuetarum eleemoſinarum perſæpè cogeretur ſine Miſſa intumulare Defunctorum corpora, nec ſatisfacere votis Populi.*

Hæc ille poſt Benedictinam Conſtitutionem ſcripſit.

Omnibus proindè æqua lance libratis, Emi PP. definient.

I. *An Parochi in Dominicis, aliiſque feſtis diebus præſente Cadavere teneantur celebrare Miſſam pro defuncto, & ad aliam diem poſſint transferre Miſſam pro Populo applicandam in caſu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An ſaltem applicationi Miſſæ pro Populo ſupplere poſſint per alium Sacerdotem in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequentibus.

Seſs. 23. cap. 1. de Reform.

NEOCASTREN. MISSÆ PRO POPULO. Extant in Oppido Maidæ duæ Parochiales Eccleſiæ, quarum una, quæ Matrix eſt, S. Maria Catholica nuncupatur, altera ſub titulo S. Nicolai de Latinis erecta reperitur. Quamvis datum non fuerit iſtarum Eccleſiarum ullum reperire fundationis monumentum, ex vetuſta tamen traditione fama eſt, atque ex nonnullis etiam notis, quæ de dirutis Eccleſiis adhuc ſuperſunt deprehenditur, alias in eo loco olim fuiſſe Parochiales Eccleſias, nempè S. Nicolai in Platea, & S. Mariæ in Berlina: Percipitur etiam, Parochum S. Nicolai in Platea, qui anno 1624. quatuor tantum Familiarum

Cu-

Curam exercebat, Sacramenta accepiſſe mutua ab Eccleſia Matrice; & Eccleſiæ S. Nicolai in Latinis eamdem Eccleſiam anno 1741. fuiſſe unitam; aliam vero Sanctæ Mariæ in Berlina ann. 1731. Matrici fuiſſe adjunctam.

Parochiali S. Mariæ Catholicæ tres addicti ſunt Parochi, alteri vero S. Nicolai de Latinis quatuor inſerviunt. Singuli prævio concurſu eliguntur, reſidentiam ſeruant, omniaque munia ſubeunt tanquam veri Parochi, & de reditibus tam certis, quam incertis æque participant, exceptis Archipresbytero, & altero Sacerdote Eccleſiæ Matrici inſerviente, qui aliquibus Legatis cum onere Miſſarum privativè fruuntur. Univerſo Clero præeminet Archipresbyter, & in propria Parochia S. Mariæ Catholicæ Sacras Functiones peragit; Reliqui autem Rectores nulla præeminentia donati ſunt, ſed unuſquiſque juxta ſuam antianitatem præcedit.

Ignoratur prorſus, qua ratione Parochorum pluralitas invecta fuerit, an ſcilicet ob plurium Parochiarum in nox relatas Eccleſias unionem, ſeu potius ob Populi multitudinem, & ad conſulendum Animarum bono: Id unum affirmare licet, eumdem ab antiquo tempore, ad hodiernam uſque diem ſemper fuiſſe Parochorum numerum, omneſque in Litteris Apoſtolicis a centum retro annis expeditis, Parochi nomine fuiſſe decoratos; Archipresbyterum verò ab anno 1573. eo titulo fuiſſe inſignitum. Conſtare etiam, certiam reddituum partem ab Eccleſia S. Mariæ Catholicæ olim avulſam, Seminario applicatam remanſiſſe, cum onere manutenendi duos Alumnos, & unum Oeconomum, qui in ea Parochia Animarum Curam exerceret, quique inter Parochos hodie recenſetur.

De reditibus verò utriuſque Parochialis, id habetur, quod fructus Eccleſiæ S. Mariæ Catholicæ, quæ Matrix eſt, ſingulis annis conſiſtunt in tumulis frumenti 270., nec non in aliis tumulis frumenti indici 249., ac in ſcutis 45. comprehenſis incertis. Redditus vero alterius Eccleſiæ S. Nicolai conſtituuntur ex tumulis 200. frumenti, atque etiam ex aliis tumulis 100. frumenti indici, ac demum ex ſcutis 15. ab incertis retrahendis. Hæc omnia paulo accuratius hoc loci retuliſſe neceſſe fuit, ut Eccleſiarum Parochialium, nec non Parochorum qualitas, & natura, opportune, ad rem, de qua agendum eſt, perſpecta foret.

Conſueverunt Parochi, pro majori commodo, Curæ exercitium ita inter ſe dividere, ut unuſquiſque per hebdomadas inſerviret, dummodo tamen juxta caſuum contingentias cæteri non deeſſent, qui Animarum neceſſitatibus occurrerent. Eamdem quoque methodum ſervandam exiſtimarunt, quoad celebrationem Miſſæ pro Populo, cum eo tempore, cujus initii memoria non extat, unica tantum Miſſa in unaquaque Eccleſia per turnum pro toto Populo celebrari conſueverit, cujus applicatio anno 1744. poſt evulgatam a ſa. mem. Benedicto XIV. notiſſimam Conſti-

tutionem = *Cum semper oblatas* = ad dies tantum festos fuit coercita. Id ipsum autem nunc quoque servatur, sed moderni dd. Ecclesiarum Rectores conscientiæ stimulis perculsi, occasione S. Visitationis Vicarium Apostolicum adierunt, ut declararet, an unico in unaquaque Ecclesia oblato Sacrificio, satisfieret oneri iis injuncto, quibus Animarum cura commissa est. Vicarius Apostolicus a ferendo judicio abstinuit, & examen hujus dubii EE. PP. censuit ablegandum, atque hoc est præsentis inspectionis subjectum.

Inquiunt Parochi in suis precibus Sac. Congregationi oblatis, unam Missam in unaquaque Ecclesia fuisse ab antiquo tempore singulis diebus applicatam, & deinde post Benedictinam Constitutionem ad dies tantùm festos Episcopo consentiente applicationem fuisse coercitam. Observant autem, tres Parochos Ecclesiæ Matricis, ad instar Collegii unicum Parochum referre, idque dijudicandum etiam de quatuor Parochis Ecclesiæ S. Nicolai, alias sequeretur absurdum, quod unius Ecclesiæ plures essent Sponsi *Rot. decis.* 325. *a num.* 2. *ad* 7. *part.* 19. *tom.* 1. *Recen.* Concludunt itaque non esse recedendum ab antiqua consuetudine, quæ Sacris Canonibus, & Benedictinæ Constitutioni conformis comperitur.

Animadvertunt etiam, reditus unicuique Rectori obvenientes, conciliarem taxam non excedere, quin immo respectu Ministrorum Ecclesiæ S. Nicolai de Latinis inservientium longè minores deprehendi. Nec obstare unionem Parochialis S. Mariæ in Berlina, quæ Matrici Ecclesiæ accessit, & S. Nicolai in Platea, quæ Ecclesiæ S. Nicolai de Latinis fuit aggregata, cum per hujusmodi unionem quæ subjectiva, & accessoria esse debuit, jura omnia, privilegia, & reditus Ecclesiæ unitæ prorsus extincta remanserint.

Vicarius Apostolicus postquam facti seriem exposuit, his verbis concludit = *Censerem autem dubii resolutionem pro unica tantum Missa in quolibet ex geminis Parochiis, uti ante hac in more fuit, ferendam esse, etsi omnes Parochi vocentur, & per concursum promoveantur: Nequeunt tamen singuli, uti vere Sponsi uniuscujusque Ecclesiæ respectivè reputari. Sponsus enim cujusque ex geminis Ecclesiis vel est Collegium per ipsos representatum, vel Episcopus juxta Canonistarum accuratam sententiam. Cum ergo una sit Parochia, & unus verus Parochus, sive Sponsus, unus etiam subjectus Populus, satisfactum videbitur propriæ obligationi, si per turnum in quolibet die festo de præcepto in qualibet ex dictis Ecclesiis a respectivis Parochis una tantum Missa pro Populo applicetur.*

Præcepto Divino mandatum est omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, & pro his Sacrificium offerre, ut habetur ex *Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Hinc consentanee sa. me. Benedictus XIV. suam edidit Constitutionem, quæ incipit = *Cum semper oblatas* =

in

in qua declaravit = *Itaque mens noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & ſinguli, qui actu Animarum curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii ſæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo omnes, & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æquè teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, eorum curæ commiſſo.*

In præſenti autem caſu illud ponderandum occurrit, an ex plurium Parochiarum unione, plures etiam Parochi inter ſeſe pares tam quoad honores, quam quoad onera in utraque Eccleſia fuerint conſtituti; vel potius Parochi omnes unum Collegium efforment, penes quod Animarum cura reſideat, ita ut non plures ſint Parochi, ſèd unus tantum in unaquaque Eccleſia Parochus exiſtat. Inſpecta enim Parochiarum, & Parochorum origine, & qualitate, facile erit de applicatione Miſſæ judicium, juxta methodum ab hac Sacra Congregatione amplexam, quæ juxta diverſas rerum circumſtantias, diverſimodè etiam ſententiam ſuam aperuit. Circumſtantiæ autem hujuſmodi, cum certa monumenta deficiant, ex conjecturis deprehendi poterunt, quæ fuſius in narratione facti ſunt expoſita. Supereſt itaque, ut quid S. Congregationi propoſitum alias fuerit, quæque ab ea prodierint reſolutiones, ad memoriam revocentur.

Bina in Civitate Balneoregien. erecta olim reperiebantur Capitula, quæ Apoſtolica auctoritate in unam Cathedralem Eccleſiam poſtea coaluerunt. Animarum curam, in illius Civitatis Regione, quæ *Civita* nuncupabatur, obire poſt unionem tenebatur unus ex Canonicis; in alia verò regione, quæ dicebatur *Rota* onus hujuſmodi inerat duobus Canonicis, quorum Præbendis fuerat adnexum. Renuebant Canonici Miſſas Parochiales, & Conventuales offerre innixi, tum aſſertæ conſuetudini, tum redituum tenuitati, tum etiam deficientiæ oneris, quod in erectione non fuerat expreſſum. Oportuit itaque novem dubia Sac. Congregationi proponere in cauſa, cui titulus *Balneoregien. Miſſæ Parochialis, & Conventualis*, inter quæ V. = *An ultra Miſſam Conventualem ſit celebranda, & applicanda diebus feſtivis Miſſa Parochialis a Canonicis per turnum, ſive potius a Canonicis Curatis in caſu &c.* = & VII. = *An quatenus Miſſa Parochialis ſit celebranda in diebus feſtivis a Canonicis Curatis in Parochia Contratæ Rotæ ſufficiat celebratio, & applicatio unius Miſſæ pro Populo, ſeu potius ambo Canonici Curati teneantur ad applicationem ſupradictæ Miſſæ in caſu &c.* = prodiitque die 19. *Auguſti* 1713. reſponſio = Ad V. *Negativè ad primam partem & affirmativè ad ſecundam.* Ad VII. *ſufficere unicam celebrationem, & applicationem.*

Cum Baſilica S. Mariæ in Tranſtyberim ampliſſimam haberet

Parochiam, divisa post Pianam constitutionem fuit cura actualis ab habituali, atquæ hæc penes Capitulum relicta, illa verò in Vicarium translata. Placuit sa. mem. Gregorio XIII. tres alias finitimas Parochias eidem Basilicæ unire, ex quarum reditibus Collegium Beneficiatorum constituit, aliamque erexit perpetuam Vicariam cum onere coadiuvandi Vicarium jam præexistentem in Cura Animarum. Geminas hasce Vicarias sustulit sa. mem. Clemens VIII., univitque Capitulo Beneficiatorum, quorum numerum auxit, voluitque, ut unus ex Beneficiatis esset Vicarius perpetuus, alter verò Coadiutor, quos inter emolumenta, quæ incerta nuncupantur, æquis portionibus dividerentur. Ortis deindè nonnullis quæstionibus, disputatum est *die* 29. *Augusti* 1744. *in Romana Jurium Parochialium* V. = *An Missæ in diebus festis applicandæ pro Populo veniant alternatim per eosdem celebrandæ, sive potius applicari debeant a solo Vicario perpetuo in casu &c.* = & S. Congregatio respondit *ad mentem*; mens autem fuit, *quod exercitium Curæ dividatur, itaut alternatim per hebdomadas unus exerceat intra, alius extra Urbem; incipiendo a Vicario perpetuo, & eadem alternativa locum habeat in applicatione Missæ pro Populo*.

Ecclesia Parochialis S. Mariæ del Piano Terræ Montellæ Nuscanæ Diœcesis, erecta fuit in Collegiatam prævia unione aliarum octo Parochialium, septemque Ecclesiarum non Parochialium, mandavitque Summus Pontifex Leo X., ut in singulis octo Parochiis, totidem ad nutum Vicarii amovibiles, cum assignamento ducatorum octo pro quolibet constituerentur. Jusserat Episcopus, ut unusquisque ex Vicariis Missam pro Populo celebraret, sed iis renuentibus hujusmodi onus subire, tum quia ipsi tanquam Capituli Ministri habendi essent, cui habitualis Cura inhærebat, tum etiam quia unionem non æque principaliter, sed subjective factam fuisse asserebant, extinguendo scilicet antiquarum Parochiarum titulum, quæsitum fuit a S. Congregatione = *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ del Piano Oppidi Montellæ Nuscanæ Diœcesis teneantur unam tantum Missam pro Populo diebus festis celebrare, seu potius tot Missas, quot sunt Parochiales Ecclesiæ illi unitæ in casu &c.* = die autem 17. *Ianuarii* 1756. rescriptum fuit = = *Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam*.

In Parochiali Ecclesia S. Luciæ Terræ Porculæ, qui locus est Diœcesis Montis Alti, duo Parochi olim reperiebantur, quibus post aliarum Ecclesiarum unionem alii duo accessere. Omnes Parochi Portionarii nominabantur, eorumque singulis distinctos Parochiæ limites anno 1643. Episcopus assignavit, ad evitandam confusionem, quæ in promiscuo Curæ exercitio oriri solebat. Dubitatum fuit = *An Missa Parochialis in diebus festis applicanda pro Populo veniat celebranda a singulis Rectoribus Ecclesiæ S. Luciæ Terræ Porculæ, seu potius alternatim ab Hebdomadario in casu &c.*, &

die

die 27. *Augusti* 1763. responsum fuit= *Affirmativè ad primam partem; negativè ad secundam, & amplius.*

Denique cum in Territorio Ochonensi, sub Diœcesi Calaguritana existente, Animarum cura exerceretur a pluribus Beneficiatis, in diversis ejusdem Territorii Pagis residentibus, qui tamen unum corpus, & unum Clerum constituebant, sed non æquè de fructibus participabant, Beneficiati supplicarunt pro reductione oneris Missæ Parochialis ad formam Constitutionis Benedictinæ, non obstante contraria consuetudine, & Cleri Statuto. Proposito itaque die 14. *Ianuarii* 1769. dubio in *Calaguritana applicationis Missæ pro Populo = An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ pro Populo in casu &c.* = Sac. Congregatio in hunc modum censuit respondendum = *Applicatis duabus Missis quotidianis in Ecclesia Ochonii, nec non una quotidiana in Pago Corerii, pro gratia reductionis ad unam pro diebus festivis, & Dominicis in quolibet ex cæteris Pagis, collatis tamen suffragiis in unum pro toto Populo, facto verbo cum Sanctissimo, & detracta eleemosina pro omnibus Missis applicandis ex Massa communi* =

Viden. folia istius Causæ distributa diebus 12. *Decembris* 1767., & 26. *Novembris* 1768., in quibus plura ad rem, de qua agitur notatu digna occurrunt.

Perpensa itaque tum juris dispositione, tum facti circumstantiis animadversis, Emi PP. matura, qua solent deliberatione definient.

An Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur singuli applicare Missam pro Populo, seu potius possint unam tantum Missam in unaquaque Ecclesia per turnum applicare in casu &c.

PERUSINA VISITATIONIS. Cùm Sacram ageret Visitationem Episcopus Perusinus in Castro Castiglionis Filiorum Tusci, nec conferre se posset ad contermina Loca Petræfictæ, Collisbardi, Gaicorum, Greppoleschieti, Ternæ, Maceresarum, & Aurei propter itineris incommoda, & congruæ inveniendæ habitationis difficultatem, satius duxit Visitatores deputare, qui eadem Loca personaliter inviserent; dum ipse in Castro Castilionis quinque dierum spatio permanens, non destitit, quoad fieri potuit, ea omnia peragere, quæ præsens adimplere non potuisset. Ob hanc causam Sacerdos Desiderius Giusti Rector Parochialis Ecclesiæ S. Crucis Castiliorum majora incommoda, & expensas subire debuit; quapropter Episcopus decreto suo mandavit, ut quilibet aliorum Locorum Parochus pro rata contribueret, & unusquisque summam juliorum decem infra octo dies Parocho Giusti rependeret, alias contra reluctantes mandatum manu regia more camerali relaxavit. *Sess. 24. cap. 3. de Reform.*

Grave nimis hujusmodi decretum existimantes Parochi Castro-

ſtrorum, ſupplicem Sac. huic Congregationi exhibent libellum, quo decreti revocationem efflagitant. Ut autem id aſſequantur, accurate juxta temporum ſeriem enarrant ea omnia, quæ ſive ab Epiſcopo, ſive a Viſitatoribus geſta ſunt; atque indè inferunt onere Procurationis abunde ſatis feciſſe.

Exponunt itaque, quod cum Sacerdoti Sebaſtiano Fioriti Parocho Eccleſiæ S. Mariæ Collisbardi nunciata fuiſſet viſitatio habenda die 27. Octobris anni elapſi, inſuperque injunctum eidem extitiſſet, ut duos equos cum clitellis, totidemque homines mitteret ad montem, qui dicitur *Petriolo*, non ſolum omnia adamuſſim fuerit exequutus, ſed ſegetem quoque, & fœnum pro decem equis, & Victualia pro hominibus ſubminiſtraverit. Addunt, quod cum mane illius diei Epiſcopus è Loco Montis Petrioli Viſitatores miſiſſet ad Eccleſiam S. Mariæ Petræfictæ, ipſius Eccleſiæ Parochus Benedictus Paſquini quinque dederit equos, prout in mandatis habuerat. Quod abſoluta ejuſdem Parochialis, aliarumque adnexarum Eccleſiarum viſitatione, Epiſcopus cum ſuo comitatu acceſſerit ad Oppidum Collisbardi, cujus Parochus omnia pro victualibus ſubminiſtravit, reverſuſque deindè ad Caſtrum Caſtilionis apud Parochum Giuſti permanſerit.

Die autem 28. Octobris indictam aſſerunt Viſitationem Parocho Gaicorum, eique injunctum, ut equos, cibaria, aliaque neceſſaria pararet. Verùm cum ob aeris intemperiem, cælique intumeſcentis rigorem præpeditus Epiſcopus fuiſſet illius Loci viſitationem præſens explere, Viſitatores deſtinaverit, qui tum dictum Oppidum, tum conterminum Greppoleſchieti viſitarunt, Tunc autem, ajunt, Sacerdotem Gaſparem Barberini Parochum Gaicorum miſiſſe ad Parochum Caſtiliorum, ubi Epiſcopus permanſerat, victualia, quæ paraverat, ne pane quidem, vinoque excepto.

Affirmant etiam, quod occaſione viſitationis Plebaniæ S. Angeli Caſtri Macereſarum, & Parochialis S. Donati Villæ Ternæ habita die 29. ejuſdem menſis Plebanus Macereſarum Carolus Pene prandium Epiſcopo, & Conviſitatoribus, aliiſque ſubminiſtraverit, prout fuerat monitus. Poſtea verò, collato die 30. Octobris ab Epiſcopo Confirmationis Sacramento in Caſtro Caſtilionis, peractaque illius Parochialis, aliarumque Eccleſiarum viſitatione, proceſſum fuerit ad viſitandum Eccleſiam S. Feliciſſimæ Terræ Aurei, cujus Rector Florentius Ciucci, parendo monitis, equos, & cibaria præbuerit.

Ex hac autem rei geſtæ narratione, Parochi Oratores præcipue verò Barberini, Fioriti, & Paſquini ſatis deprehendi ſuſtinent, omnia adamuſſim impleviſſe, quæ ipſis injuncta fuerant. Iniquum etiam fore dicunt, ut æquè ad contributionem adigantur, tam ij, qui victualia, equos, alia-

aliaque neceſſaria ſuppeditarunt, quam alii, qui nullam ſubierunt impenſam. Denique advertunt procurationem pro viſitatione in pecunia præſtari non oportere, undè ſatis huic oneri ſatisfactum cenſeri, ſi alio modo ſuppletum fuerit.

Verum Parochus Deſiderius Giuſti, apud quem Epiſcopus permanſit, quique de expenſis reintegrari poſtulat, ex alia parte contendit, jure potuiſſe Epiſcopum ad Caſtrum Caſtilionis convocare Clericos, & Laicos aliorum Locorum, ad quæ commodè accedere non poterat *Cap. Romana* 1. *de cenſ. exact.*, *& procurat. in 6.* In hoc Doctores omnes convenire *Barboſ. in Sum. Apoſt. deciſ. collect.* 727. *num.*9., *Pax Jordan. tom.*2. *lucubrat. lib.*7. *tit.*1. *num.*46., *Piton. tom.*4. *diſcept.*157. *num.*14., idque a Prædeceſſoribus Epiſcopis Perulinis factum fuiſſe, ut ex libris Sacrarum Viſitationum deprehenditur. Certum quoque eſſe dicit, Epiſcopo viſitanti præſtandam eſſe Procurationem *Cap. cum ex officii de præſcriptionibus cap. ſi Epiſcopus de offic. ordin. in 6.* atque hujuſce procurationis onus non iis tantum ineſſe, ad quorum Loca Epiſcopus perſonaliter ſe conferat, cum locus non ſit de ſubſtantia Viſitationis *Franchus in cit. cap.*1. *de cenſ. in 6. num.*2., *Joan. Andr. ibid. num.*11., *Ventriglia de Juriſdict. Archiep. cap.*69. *num.*1. ſed iis etiam, quos propter viarum, fluminum, vel aliarum difficultatum impedimenta ad certum aliquem locum convocaverit, ut de Viſitationis beneficio participes redderet.

Addit, hunc morem fuiſſe alias ſervatum in Diœceſi Peruſina, eumque magis expeditum eſſe, ac minorem impenſam præſeferre. Nec obſtare, quod Concilium Tridentinum arbitrio eorum, qui viſitantur, reliquerit, vel pecuniam, vel Victualia ſubminiſtrare, cum id intelligendum ſit, ut vetitum quidem Epiſcopo fuerit alterutrum pro libito expoſcere, non tamen, quod ille, qui totum viſitationis onus paſſus eſt, reintegrationem in pecunia efflagitare præpediatur Sac. Congregatio in *Civitatis Caſtelli Viſitationis* 19. *Januarii* 1734. *ad* I., *in S. Marci Viſitationis* 8. *Auguſti ejuſdem anni ad I*, *& in Ferentina* 26. *Martii* 1753. Infert proindè Parochos recurrentes, qui ob anguſtiam Domus, & Locorum aſperitatem ab omni onere fuerunt immunes, teneri omninò pro rata in pecunia contribuere, ipſumque de expenſis reintegrare, idque pluries declaratum fuiſſe a Sac. Congregatione, præſertim in *Melphitana* 18. *Julii* 1699. *in Nepeſina Procurationis*, *& exactionum* 3. *Decembris* 1712., *&* 27. *Martii* 1713., *in Spoletana Procurationis* 15. *Julii* 1710. *in Auximana Procurationis* 15. *Martii* 1727. *ad II.*, *& in Pientina Procurationis* 20. *Novembris* 1756.

Epiſcopus de more auditus ait, licere Epiſcopo viſitanti permanere in aliquo loco, ſi ad alia difficilis, atque incommodus habeatur acceſſus; idque conſtare *ex cap. Romana* 1.

de

de conf. exact., & *procurat. in 6.* ubi hæc traduntur = *Si commodè, vel absque difficultate accedere ad unamquamque non poterit, de pluribus locis ad unum congruum Clericos, & Laicos studeat convocare, ne in illis visitatio postponatur* = Cum autem recurrentium Castra invia ferè sint, eorumque aliqua in aspero montium culmine posita, domusque prorsus inhabiles ad ipsum, ejusque comitatum recipiendum, idcirco necessitate fuisse compulsum, ut in Castro Castilionis moram traheret. Præter hæc addidit, conqueri recurrentes non posse de inutili mora: *Dicto, enim, quinquedierum intervallo septem Curatæ visitatæ fuerunt Ecclesiæ & viginti septem filiales, nonaginta sex recogniti libri alii Parochiales, introitus, exitusque societatum alii, & Chrismatis Sacramentum collatum; multoque minus de gravamine, tum quia ex precibus ipsis apparet, neminem mihi visitanti cænas præbuisse, tum quia distributa juliorum quatuordecim taxa pro qualibet cæna non est excedens, si alimenta octo personis comitatum meum componentibus, & duobus saltem Famulis Coquinæ inservientibus subministrare considerentur: Si lumina, aliæque expensæ pro tribus alendis equis in fœno, & ordeo, quæ ferè unius scuti summam pro qualibet nocte absorbebant. Quare in sensu essem, & reintegrandum fore Sacerdotem Desiderium Giusti de expensis occasione Visitationis factis, utile enim pro recurrentibus negotium gessit, & recursum rejiciendum. Optimè namque sciunt EE. VV. procurationes mihi omni jure debitas esse, & in signum subjectionis, & ut magis ad Visitationem alliciar, quam negligere compellar, si propriis visitando Diœcesim militare debebo stipendiis, vel si pro vindicando Procurationis jure in Supremo isto Tribunali judicium modo, & inposterum instruere cogar; quod facile eveniret, si Parochis ad indebite recurrendum aperiretur aditus.*

Plura a SS. Canonibus *tit. de censibus* dispositа leguntur de Sacra Visitatione, deque jure Episcopi exigendi Procurationem. Hæc autem partim confirmavit, partim verò reformavit Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 3. de reform.* ubi inter cætera hæc habentur = *Caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam Procurationis causa pro visitatione etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint, solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an verò prædicta victualia subministrare; salvo iterum jure conventionum antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat. In iis verò locis, seu Provinciis, ubi consuetudo est, ut*

nec

nec victualia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id ibi observetur = Ex hoc igitur patet, qua ratione, quibusque modis cautum fuerit, ne Sacra Visitatio ad Animarum salutem unicè instituta, in grave Populorum onus refunderetur.

Hanc Tridentini Concilii dispositionem exacte, accurateque servari mandavit Sacra hæc Congregatio, ut ex pluribus ejus declarationibus, decretisque dignoscitur. Et primum quidem in ea semper fuit sententia, nullam deberi Episcopo procurationem, si per se ipse non visitaverit. Cum enim Episcopus Elven. non potuisset, propter egritudinem, incohatam prosequi visitationem absque evidenti vitæ periculo, proindèque facultatem petiisset alium substituendi, & percipiendi Procurationem, ac si personaliter visitaret, censuit Sac. Congregatio, non posse Episcopum in isto casu Procurationem percipere, ut refert Fagnanus in *Cap. Procurationes de censibus num.* 14. Idque cohæret dispositioni *d. Cap. Procurationes*, ubi hæc leguntur: *Procurationes, quæ ratione Visitationis debentur Episcopis . . . . nullatenus exigantur, nisi quando personaliter officium Visitationis impendunt*. Et consonat etiam *Cap. si Episcopus de Offic. Ordin. in 6.*; in quo ita statuitur: *Idem tamen Episcopus, cum personaliter non visitat, nihil prosus ab iis, qui per illum, quem deputat, fuerint visitati, exigere poterit, aut debebit*.

Si ergo Episcopus per alium visitaverit, tunc Procuratio Visitanti tantummodò præstanda erit, ut Glossa in *cap. Felicis de censib. in 6. verb. Ex officio*, & alibi, apud Fagnanum *loc. cit. num.* 12. & 13.: quod quidem conforme est relato Concilii Tridentini decreto, quo declaratur, procurationem deberi visitantibus *pro temporis tantum necessitate, & non ultra*. Hinc est, quod si Vicarius Generalis, vel alius Substitutus visitaverit, non integram, sed ad summum dimidiam tantùm procurationis partem, quæ Episcopo visitanti rependi solet, percipere poterit, ut pluries declaravit Sac. Congregatio Episcoporum apud *Nicolium in fiscul. verb. Visitatio num.* 10. *limit.* 9., atque etiam hæc Sacra Congregatio apud *Monacell. Formul. Legal. pract. tom.* 2. *tit.* 2. *formul.* 4. *num.* 3.

Cum itaque Ecclesiæ Parochiales Petræfictæ, Gaichorum, & Greppoleschieti visitatæ personaliter ab Episcopo non fuerint, sed a Visitatoribus ab eo delegatis, idcircò perpendendum occurrit, an dictarum Ecclesiarum Parochi, nedum Visitatoribus, sed ipsi quoque Episcopo in Castro Castilionis commoranti, procurationem præstare teneantur.

Illud præterea semper cavit Sac. Congregatio, ut in eorum, qui visitantur optione relinqueretur, aut victualia, aut pecuniam, prout voluerint, subministrare, ut in *Potentina Procurationis* 10. *Januarii* 1705., *in S. Marci Visi-*

rationis 7. Julii 1708., & 16. Januarii 1733. ad I., & in Ferentina 26. Martii 1735. ad II. Præstita autem pecunia, nefas esse declaravit victualia percipere, vel contra, ut in *Policastren. 1. Julii 1737.*. Videndum itaque, an Parochi Recurrentes, qui subministrarunt quidquid ab eis fuit postulatum, ad solvendum in pecunia vel integram, vel partem saltem Procurationis adigi valeant.

Cautum denique est, ne plures Procurationes a pluribus locis una die visitatis percipi possint, ut disponitur in *Cap. Felicis de Censibus in 6.* his verbis = *Non liceat Visitanti nisi unam procurationem recipere una die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura, etiamsi locus quilibet visitatus ab illo, sufficeret ad procurationem integram persolvendam, cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat a locis personaliter visitatis pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat* = Quo in casu, tradunt Doctores, plures Ecclesias una die visitatas, debere inter se proportionabiliter dividere expensis pro unica procuratione, seu frugali, modestaque unius diei sustentatione. Cum ergo Parochi Recurrentes asserant, una die 27. Octobris visitatas fuisse Parochiales Ecclesias tum Petræfictæ, tum Collisbardi, sequenti vero die 28. ejusdem mensis Ecclesias Gaicorum, & Greppoleschieti; ponderandum erit, qua ratione procurationem præstare teneantur.

Prætereundum tamen non est, quod *in Cap. Romana de censib. in 6.* ita præscribitur = *Statuimus, ut quilibet Archiepiscopus suam volens visitare provinciam, prius Ecclesiæ suæ Capitulum, ac Civitatem, & Diœcesim propriam plenè visitare procuret: nec sit solum erga majorum, sed etiam minorum Ecclesiarum, nec circa Clericorum tantum. Et si commodè, vel absque difficultate accedere ad unamquamque non poterit, de pluribus locis ad unum congruum Clericos, & Laicos studeat convocare, ne in illis visitatio postponatur.* Hoc juris principio innixus censuit Episcopus Perusinus seligere Castrum Castilionis, ut visitationem expleret aliorum Locorum, ad quæ propter itineris difficultatem, nonnisi cum vitæ discrimine aditus patere potuisset. Hinc observandum, an hujusmodi visitandi methodus Concilii Tridentini decreto, Sacrorum Canonum dispositioni, & Sacræ hujus Congregationis resolutionibus ita cohæreat, ut cogere jure valeat aliorum locorum Parochos ad reintegrandum Parochum Castilionis de expensis, quas pro sui manutentione quinque dierum spatio subire debuit.

Omnibus verò maturè perpensis Eminentissimi Patres definient

An, & quomodo Parochi Recurrentes teneantur solvere Procurationem, ita ut sit locus reintegrationi favore Parochi Castilionis Filiorum Tusci, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 7. Julii 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRæſtat reſumere Folium diei 16. elapſi menſis Junii, ex quo cauſas, quæ in præterita Congregatione deciſæ non fuerunt Emi Patres deprehendent. Has verò cum aliis in præſenti Folio relatis hodierna die definient.

FESULANA MISSÆ PAROCHIALIS.

I. *An Parochi in Dominicis, aliiſque feſtis diebus præſente Cadavere teneantur celebrare Miſſam pro defuncto, & ad aliam diem poſſint transferre Miſſam pro Populo applicandam, in caſu &c.* *Seſſ. 23. cap. 1. de Reform.*

Et quatenus negativè

II. *An ſaltem applicationi Miſſæ pro Populo ſupplere poſſint per alium Sacerdotem, in caſu &c.*

Iterum proponatur.

NEOCASTREN. MISSÆ PRO POPULO.

An Parochi Eccleſiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur ſinguli applicare Miſſam pro Populo, ſeu potius poſſint unam tantum Miſſam in unaquaque Eccleſia per turnum applicare, in caſu &c. *Seſs. 23. cap. 1. de Reform.*

Dilata, & reproponatur cum ſecundo Dubio juxta mentem.

PERUSINA VISITATIONIS.

An, & quomodo Parochi Recurrentes teneantur ſolvere Procurationem, itaut ſit locus reintegrationi favore Parochi Caſtilionis Filiorum Fuſci, in caſu &c. *Seſs. 24. cap. 3. de Reform.*

Affirmativè ad formam Decreti.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

EUGUBINA CANONICATUS. Collegiatam Eccleſiam ſub titulo S. Chriſtinæ erigi juſſit in Civitate Eugubii Joannes Baptiſta Criſtini, eamque ex Canonicis conſtare voluit, quorum ſingulis ſuam Præbendam aſſignavit. Plures edixit leges, & præcipuè quoad Canonicorum electionem mandavit, ut eorum aliquo decedente *ſubito interiato, e ſepolto ſe ne elegga un'altro in ſuo luogo per voti ſegreti dalli medeſimi Preti della Collegiata*. Hæredem poſtea ex aſſe inſtituit Hoſpitium pauperum Puellarum tertii, & alterius inferioris gradus ejuſdem Civitatis Eugubii, quod quidem Hoſpitium Patronatui, Curæ, & Regimini Canonicorum commendavit. Collegiatæ erectionem ratam habuit, probavitque ſan. mem. Urbanus VIII. anno 1641., a quo tempore in quibuſcumque vacationibus, jus conferendi Canonicatus, in menſibus etiam Apoſtolicæ Sedi reſervatis Capitulum exercuit.

Acceſſit Capitulo anno 1754. hæreditas Gabrielis Triangoli, qui poſt obitum Thomæ fratris, & hæredis uſufructuarii Collegiatam S. Chriſtinæ proprietariam inſtituit, cum onere augendi duos Canonicatus *della ſteſſa natura, ed obbligo di Officiatura*. Patronatum activum Capitulo tribuit in hæc verba = *Voglio, che tali elezioni ſi facciano nel modo, e forma, e tempo, che ſogliono farſi le altre dell'Eredità Criſtini*. Paſſivum verò reliquit deſcendentibus a quatuor ſibi affinibus Familiis, nempe Baldelli, Sanſigi, Giſmondi, & Manochi, quos præferri voluit, quatenus aliquis capax exiſteret *di eſſer promoſſo al Sacerdozio nel termine d'un'anno*: Secus verò liberam eorum arbitrio reliquit Canonicatuum collationem *a chi a loro parerà miglore per ſervizio di Dio, purchè ſia di primo, o ſecondo grado di queſta Città*. Quod verò reliquum eſſet ex ſuæ hæreditatis fructibus, detractis præbendis ſcut. 40. in ſingulos Canonicatus a ſe inſtitutos, deferri voluit puellis, uno, vel altero earum favore conſtituto dotali ſubſidio,

Defuncto Teſtatore, anno 1759. erecti juxta ejus diſpoſitionem fuerunt duo novi Canonicatus ſub iiſdem legibus, & conditionibus, quoad modum præſertim eligendi novos Canonicos, quibus erecti jam fuerant Canonicatus fundationis Chriſtinæ, quas quidem conditiones, legeſque anno 1763. confirmavit ſan. mem. Clemens XIII., mandavitque electiones fieri a Capitulo debere etiam in menſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, *ad inſtar aliorum antiquorum Canonicorum, & Præbendarum ejuſdem Collegiatæ Eccleſiæ, & juxta præfatum Indultum, & privilegium dicti Urbani*; electiones autem, ſeu nominationes aliter factas nullas, atque irritas fore declaravit.

Per obitum Canonici Angelini vacavit Canonicatus antiquæ inſtitutionis Criſtinæ, ad quem jure optionis pro merito tranſiit Canonicus Brunellus. Is Canonicatum poſſidebat

no-

novæ inſtitutionis Triangoli. Hic autem Canonicatus ab eo dimiſſus die 30. Maji anni 1769. unanimi Capitularium ſuffragio collatus fuit Clerico Carolo Sanngi ex Familia a Teſtatore palliv̀e vocata, & prælata, qui tamen paulo poſt ſuæ electioni renunciavit. Interim Sacerdos Ubaldus Mattioli S. Sedem adiit, dictum Canonicatum impetraturus, ſed expeditioni Literarum Apoſtolicarum obſtitit major Capituli pars, contendens novi Canonici electionem ad ſe pertinere. Hinc Eminentiſſimus Pro Datarius controverſiam hanc judicio Sacræ Congregationis cenſuit ablegandam, proindeque Capitulari ſententia, cui quatuor tantum ex ſeptem Canonicis adhæſerunt, ſtatutum fuit, litem ad tuenda Capituli jura, & exequendam Teſtatoris voluntatem agendam eſſe ſumptibus hæreditatis Triangoli, qua de re ejuſdem hæreditatis Adminiſtro mandatum eſt, ut quidquid pecuniæ eſſet neceſſarium perſolveret. Verum oblatis precibus nomine pauperum Puellarum Civitatis, conquerentium expilari Arcam hæreditatis, ſubſidiiſque dotalibus parari pernicicm, ſi hæreditariis ſumptibus lis a Capitulo inſtitueretur, oportuit idcirco præter dubium Canonicatus impetrationem reſpiciens, alia etiam ſuper expenſis concordare, quæ omnia EE. VV. definienda ſubjiciuntur.

Itaque quoad I. dubium contendunt quatuor Canonici majorem Capituli partem conſtituentes, inania eſſe, quæ a Mattiolo adducta ſunt fundamenta ad gratiam obtinendam. Ajunt enim perperam fuiſſe expoſitum, vacantem Canonicatum ſubjectum eſſe reſervationi menſium ex regula IX. Cancellariæ, cum hujuſce aſſertionis falſitas ſatis reſultet ex diſpoſitione Teſtatoris, a quo Apoſtolicæ reſervationes potuerunt excludi, *Rot. in Gerunden. Beneficii* 16. *Januarii* 1741. §.4., & 12. *Maii ejuſdem anni* §.2. *cor. Peralta*, etiamſi ageretur de beneficio Juripatronatui Eccleſiaſtico obnoxio, *Rot. in Palentina Canonicatus* 16. *Februarii* 1748. §.5., & 14. *Junii ejuſdem anni* §.2. *cor. Vicecomite*, *in Vercellen. Canonicatus* 20. *Februarii* 1751. §.6. *cor. Caprara*, *in Salernitana Capellaniæ* 13. *Junii* 1755. §.2. *coram Buſſio*, & *in Tarraconen. Beneficii* 18. *Junii* 1762. §.5. *coram Eminentiſſimo Paracciano*. Putant autem, Apoſtolicam reſervationem a Teſtatore Triangoli fuiſſe excluſam, dum novos Canonicatus a ſe fundatos, antiquis Canonicatibus inſtitutionis Chriſtinæ in omnibus æquavit, voluitque novos Canonicatus haberi, ac ſi *foſſero ſtati iſtituiti da Gio: Battiſta Criſtini*.

Hinc relatis verbis inſtitutionis Chriſtinæ, ubi legitur = *Che ſubito interrato, e ſepolto ſe ne elegga un' altro in ſuo luogo per voti ſegreti*, opinantur, dictionem illam *ſubito* nullum de ſui natura admittere vel modicum temporis intervallum *Surd. deciſ.* 57. *num.* 9., *Rot. coram Remboldo dec.* 160. *num.* 1., & proin-

& proinde reservationem Apostolicam removeri, ex temporis coercitione, quæ impedit, quominus vacationis notitia ad Sanctam Sedem deferatur: Idque ipsum de longiori unius temporis mense, firmatum fuisse dicunt per *Rotam in d.Placentina* 14.*Junii* §.10., *in d.Vercellen.* §.10., & *in d.Salernitana* §.6., ob eam rationem, quod Summus Pontifex coercitionem temporis ad conferendum non patitur, nec reservationes Apostolicæ ullis possunt temporis limitibus circumscribi *Rigant.ad reg.IX.Cancell.§.2.num.*176., *Rot. in d.Vercellen.§.*10. & 12.

Idipsum deprehendi affirmant ex literis Urbani VIII., qui ita Christinam institutionem probavit, ut *statim sequuto obitu* alicujus Canonici, Successorem eligi voluerit a superstitibus Canonicis per secreta suffragia, *sicque in perpetuo observari*: Ac demum provocant ad perennem observantiam, ex qua constat, Capitulum quovis mense ad hujusmodi Canonicatus præsentasse.

Præcipue verò quoad Canonicatus Triangoli proferunt literas Apostolicas san.mem.Clementis XIII., quibus novi Canonicatus in omnibus æquantur antiquis, & a mensium reservatione fiunt nominatim immunes. Observant etiam Fundatorem Triangoli elegisse Capituli industriam pro præsentatione dignioris ad Canonicatum, quatenus nullus ex quatuor familiis passivè vocatis idoneus existeret; atque ex hoc inquiunt argumentum desumi pro exclusione Apostolicarum reservationum *Piton.discept.Eccles.*25. *n.*15., *Rigant.ad reg.IX. Cancell. §.*2. *num.*179., *Rot. in d. Vercellen.* §.8. *cor.Caprara*.

Immeritò opponi addunt incapacitatem Caroli Sanfigi, eo quia clericales vestes abjecerit. Respondent enim, dimissionem habitus clericalis impedire beneficii retentionem, non autem assequutionem, quando præsertim res sit de persona passivè a Testatore vocata; nec per dimissionem habitus privilegium clericale amitti, sed tantum suspendi, quousque habitus fuerit a dimittente assumptus *De Nigris in comment. & repetit.ad Extravag.unic. de vit., & honest. Cleric. num.*499., & 500., *Zabarell. in cap.Joannes num.*17.*de Cleric.conjug.*, *Pax Jordan. l.*10. *tit.*37. *num.* 27.. Nec aliter fuisse dispositum a Concilio Tridentino *sess.*14. *cap.*6. *de Reform.*, aut a Sixto V. *in Constitut.* 92. *tom.* 2., cum in iis locis sermo tantum sit de Clericis beneficium obtinentibus, sed nullum habeatur verbum de iis, qui ad beneficia optaverint *Garz. de benefic.part.*7. *cap.*1. *num.*38.

Fatentur quidem Clericum Sanfigi mercaturæ incubuisse, sed cum ab ea postea recessisse, privilegium clericale recuperasse *Innocent. in cap.fin. de vita, & honest. Cleric.*, *De Nigris loc.cit.*, *Zabarell. loc. pariter cit.num.*17.. Neque impugnant, eumdem Sanfigi sæculari militiæ nomen dedisse; sed ajunt id honoris tantum causa fecisse, & animum

suum

ſuum a militia alienum patefeciſſe, cum poſtquam inter milites receptus fuit, Clericatum aſſumpſerit. Advertunt nunquam ſæva exercuiſſe, nunquam cum hoſte dimicaſſe, nec proinde deſeruiſſe Chriſti militiam, nec capacitatem ad beneficia amiſiſſe, *Caren. reſolut. 11. per tot.*, *Rot. poſt Conſtantin. ad Statutum Urb. dec. 13. num. 35.*. Ac demum aſſerunt a ſæculari militia palam receſſiſſe, quando Canonicatum efflagitavit.

Nec attendendam ſuſtinent exceptionem ſimoniæ confidentialis, cum ſimonia graviſſimum ſit crimen, quod graves, & indubias requirit probationes *Abbas in cap. Veniens num. 4. de Teſtibus*, *Rot. coram Tanar. dec. 41. num. 4.*, *& in Dyen, ſeu Vaſionen. Beneficii 5. Decembris 1755.*, *& 28. Junii 1756. §. 3. cor. Paracciano*. Nihil autem adduci præter falſam vocem, excitatumque vel de induſtria, vel ex invidia vulgi rumorem; Atque advertit, ipſum Sanfigium cum Canonicatum dimiſit, jurejurando declaraſſe, ſuam electionem nulla ſimoniæ labe fuiſſe coinquinatam.

Quo verò ad alia dubia ſuper expenſis litis contendunt, eas fieri debere ex reditibus hæreditatis Triangoli, juxta Capituli reſolutionem, cum Teſtator Chriſtini, cui Triangolus quoque adhæſit, mandaverit, ut ſi quæ dubietas circa interpretationem ſuæ diſpoſitionis inter Capitulares Adminiſtratores irreperet, ea ſecretis eorum ſuffragiis definiretur, eorumque definitio ac ſi eſſet Teſtatoris mandatum, inviolabiliter exequeretur. Advertunt hic non tam agi de tuendo activo Patronatu ad Capitulum pertinente, ſed de adimplenda Teſtatoris voluntate. Capitulum Collegiatæ, ſeu Canonicos illud componentes, conſtitutos eſſe hæreditatis Triangoli Adminiſtros, quin ullum ex hac adminiſtratione compendium percipiant. Hinc inferunt, non teneri propriis ſumptibus proſequi litem pro implemento voluntatis Teſtatoris *Rot. in Calaguritana, ſeu Toletana Capellaniæ ſuper ſumptibus litis 4. Julii 1742. §. Certum coram Millino*. Præſertim quia Patronatus eodem jure, ac modo cenſentur, ac Fideicommiſſa *Piton. de controv. Patron. alleg. 10. num. 6.*, *& alleg. 26. num. 3.*, in lite autem pro tuendis juribus Fideicommiſſi, expenſas ex ipſo Fideicommiſſo eſſe detrahendas, *Molin. de Primog. lib. 1. cap. 27. n. 2.*, *Card. de Luca de Feudis diſc. 76. n. 8.*, *Ferdinand. de Valent. de ult. volunt. vot. 4. num. 259.*

Advertunt etiam Patronatum inter bona hæreditatis recenſeri *Vivian. de Jurepatron. l. 4. cap. 4.*, *Piton. loco cit. alleg. 14. num. 5.*, *Rot. cor. Seraphin. dec. 725. per tot.*. Teſtatorem verò Triangoli mandaſſe, ut in ſubſidia dotalia pauperum Puellarum id ſolum erogaretur, quod reliquum eſſet, *ſodisfatti i due Canonici, e detratte le ſpeſe dei bonificamenti, ed altre per la manutenzione de' beni*. Expenſas proinde in tuitionem Patronatus juxta apertam Teſtatoris voluntatem, ex ipſius

hæ-

hæreditatis reditibus esse desumendas; idque factum fuisse anno 1763. in simili causa adversus Clericum Ubertum Gismondi, & præcedenter annis 1661., 1687. quoad Canonicatus Institutionis Christinæ.

Diversimode autem arbitrari oportere sustinent quoad expensas litis, quam Prior, & duo Canonici instituerunt. Nec habendam esse rationem Puellarum, cum istæ non sint in causa, immo adversus eos, qui hanc litem eorum nomine agunt, obstrepent, quemadmodum resultat ex declaratione subscripta a quadraginta quatuor Puellis, qui numerus omnes ferè Civitatis Puellas hac in re interesse habentes complectitur. Concludunt, de Puellis ita sentiendum, ac si nulla de iis in dubio habita fuisset mentio, proindeque a Priore, & duobus Canonicis expensas reficiendas esse hæreditati Triangoli, ut hoc modo reintegrari valeant quatuor Canonici, qui pro tuenda Testatoris voluntate illas impendunt.

Ex parte verò Sacerdotis Mattioli, qui Canonicatum impetravit, proponitur nullitas electionis Clerici Sanfigi, ob vacationem Canonicatus in mense reservato; huic autem reservationi subjacere Canonicatus Triangoli, utpote quia sunt de Jurepatronatu Ecclesiastico. Nec obstare contrariam, etiam longævam observantiam, vel ultimum statum si adesset, vel Apostolicum Indultum san. mem. Clementis XIII., vel demum Testatoris Triangoli voluntatem, tum quia in ejus Testamento nulla prorsus expressa legitur Pontificiæ reservationis exclusio, tum quia frustra Canonici privilegium Apostolicum obtinuissent in re, quam suo jure facere potuissent *Rot. coram Falconer. dec. 34. num. 18. de usur.*, *& dec. 11. sub num. 7. de offic. Ordin.*, tum & fortius quia, quæ præscripta sunt a Testatore Triangoli respectu fundationis Canonicatuum institutionis Christinæ, incompatibilia non sunt cum reservatione Apostolica, quæ idcirco exclusa censeri non potest *Rigant. ad reg. 9. Cancell. §. 2. n. 185.*, *Rot. in Barchinonen. Beneficii 15. Junii 1722. cor. Herrer*, inter ejus impressas *decis. 224. num. 5. & 6.*

Irritam quoque dicit electionem Clerici Sanfigi, tamquam incapacis, & beneficio Ecclesiastico indigni non solum quia pluribus ab hinc annis Clericalem vestem, & tonsuram abjecit, *Cap. Quoniam ult. Clement. de vit.*, *& honest. Cleric.*, *Sixtus V. Constitut. Cum Sacrosanctam in Bullar. Cherub. tom. 2. Constit. 92.*, sed etiam quia sæculari militiæ nomen dedit, in qua *presentemente resta descritto*, atque insuper mercaturæ totus incumbit.

Denique contendit ejusdem Sanfigi electionem simoniæ confidentialis labe fuisse vitiatam, cum Sanfigius ea mente Canonicatum postulaverit, ut illum postea dimitteret favore Clerici Cavallini, qui tunc per ætatem ex lege fundationis erat inhabilis. Hac igitur de causa Canonicatus col-

collationem Summo Pontifici fuiſſe devolutam *Pius IV. Conſtit. 85. incipien. Romanum Pontificem in Bullar. Cherub. to. 2., S. Pius V. Conſtit. 58. Quanta d. tom. 2., & Conſtit. Intolerabilis & Sixtus V. Conſtit. 61. Paſtoralis*. Simoniam autem hujuſmodi ſatis reſultare tum ex publica voce, aliiſque conjecturis, quæ inter cauſæ monumenta recenſentur, tum etiam ex ore ipſius Sanfigi, qui apertè faſſus eſt Canonicatum poſtulaſſe *per far ſervizio al Signor Cavallini*; ejus idcircò confeſſionem clariſſimam præſeferre probationem *Leg. Cum Te Cod. de Tranſact.*, *Rot. coram Anſald. deciſ. 53. num. 4.*

Præter hæc, quæ Mattiolus advertit, inſurgunt Prior Collegiatæ, & duo Canonici, ne permittatur fieri expenſas ſumptibus hæreditatis Triangoli. Ajunt enim Teſtatorem demandaſſe, ut ſoluta Præbenda duobus Canonicis, detractiſque expenſis, quidquid ex fructibus hæreditatis ſupereſſet in unum, vel plura dotalia ſubſidia erogaretur, proindeque iniquum eſſet, ut id in ſuſtinenda lite contra Mattiolum impetrantem impendatur. Maxime quia lis inſtituta fuit a quatuor Canonicis, ut ſimoniæ vitium a ſe avertant, idque cum redeat in ipſorum proprium commodum, & intereſſe, ipſorum quoque ſumptibus fieri debet *L. Omne ff. pro Soc.*, *Rot. cor. Ludoviſ. dec. 263. num. 4., & dec. 115. num. 4. & 5. cor. Lancett.*

Nec attendendam declarationem Puellarum deponentium, ſe nunquam conſenſiſſe, cum nonnullæ ex his Puellis allectæ fuerint ſpe conſequendi dotale ſubſidium, aliæ autem dolo, ac fraude deceptæ fuerint, quemadmodum teſtati ſunt illarum conſanguinei, & Parentes, quibus potius fides eſt adhibenda, quam dictarum Puellarum improvidæ ſubſcriptioni *Cap. Noſtra 2. de Teſtib.*, *Rot. in Recent. dec. 297. num. 20. part. 19.*. Et quamvis nihil fraudis irrepſiſſet, ſubdunt nihilominus deſpiciendam eſſe declarationem earum, quæ numero pauciores ſunt, & aliis longe pluribus præjudicium afferre nequeunt; attento præſertim detrimento tum Puellarum, tum Canonicorum, qui privarentur jure conferendi dotalia ſubſidia, quouſque lis non fuiſſet abſoluta.

Perperamque proponi dicunt exempla aliarum litium, quæ ſumptibus hæreditatis actæ ſunt, cum in iis caſibus non adeſſent circumſtantiæ, & rationes, quæ in præſenti concurrant. Cæterum de his exemplis non conſtare affirmant, quia Notarii, qui libros Collegiatæ perluſtrarunt, invenire non potuerint expenſas pro tuendis litibus erogatas, immò contrarium deſumitur ex Teſtibus de facto proprio, atque ex ore Canonicorum deponentibus.

Nec relevare, quod omnes conſenſerint electioni Clerici Sanfigi, cum ipſi bona fide, omniſque doli ignari aſſenſum præſtiterint, reliqui verò ideo adhæſerint, ut electionis

compendium per ſimoniam confidentialem in Clericum Cavallini redundaret. Detecta verò fraude ſtatim improbaſſe reliquorum Canonicorum molimina, irritamque dixiſſe electionem; unde inferunt expenſas omnes, quas pro implenda Teſtatoris voluntate ſubire modò coguntur, vel a reliquis Canonicis, vel ſaltem ab hæreditate Triangoli ſibi eſſe reficiendas.

Plura in hac cauſa animadvertenda occurrunt, præcipue verò an Canonicatus Triangoli Apoſtolicis reſervationibus ſubjiciantur. Certum porrò eſt, exploratumque, Beneficii Fundatorem apponere poſſe in actu fundationis conditionem reſervationis excluſivam, ut declaratum ab hac Sac. Congregatione fuit in *Taurinen.* 14. *Martii* 1712., & *in Pennen. Beneficii* 13. *Maii* 1713. *ad VII.*, & communiter firmant Doctores, & *Rota apud Rigant. in* 1.*part.reg.*9.*Cancellar. §.*2. *num.*26.. Hæc autem reſervationis excluſio non ſolum expreſsè demandari poteſt, ſed etiam tacitè, & virtualiter ex Inſtrumento Erectionis Beneficii deſumi valet, ut pluribus adductis docet *Rigant. ibidem num.* 164.

Inter cætera verò, quæ Apoſtolicæ reſervationis excluſionem indicant illud ex eodem Auctore *loco cit. num.* 176. inſpiciendum eſt, an Patronis injuncta lex fuerit præſentandi infra modicum tempus, ideſt ſpatio decem, aut quindecim dierum. Obſervat enim, quod ſicuti è longinquis regionibus vix poteſt vacationis notitia ad Urbem pervenire, & Fundator per limitationem temporis receſſit à diſpoſitione juris tribuentis Patronis Eccleſiaſticis terminum ſex menſium ad præſentandum, *Cap.unic. §.Verum de Jurepatron. in* 6., ita meritò ex hoc inferre liceat, quod Fundator obnoxium noluerit Beneficium reſervationi Apoſtolicæ, quæ nullo temporis ſpatio coercetur.

Eoque magis limitatio temporis ad præſentandum præſeferret excluſionis reſervationem, ſi in caſu negligentiæ Patronorum datus eſſet Subſtitutus, qui ſine mora, aut intra præfinitum tempus ad præſentationem deveniret. Hoc enim modo cum excluſa cenſeatur devolutio, ita à fortiori excluſa præſumi debet reſervatio. In quolibet dubio perpendenda ſunt verba, clauſulæ, & conjecturæ, quæ Fundatoris diſpoſitionem incompatibilem reddere poſſunt cum reſervationibus Apoſtolicis: Præſertim verò inquirendum eſt de obſervantia, quæ in re qualibet dubia, & ſubobſcura præcipuum locum habet; proindeque ſi nunquam fuerit Beneficium à Dataria proviſum, niſi per reſignationem, inducitur præſumptio reſervationis excluſivæ *Rigant.ibid.n.*190. *& ſeq.*

In præſenti caſu ex teſtamento Joannis Baptiſtæ Chriſtini deſumenda eſt interpretatio voluntatis Gabrielis Triangoli, qui præcepit = *Voglio, che tali elezzioni ſi faccino nel modo, for-*

forma, e tempo, che fogliono farſi le altre dell'Eredità Criſtini = Teſtator itaque Chriſtinus conditionem appoſuit reſervationis Apoſtolicæ excluſivam, quia mandavit, ut decedente aliquo ex Canonicis ſuæ fundationis, *ſubito interrato, e ſepolto ſe ne elegga un'altro in ſuo luogo per voti ſegreti dalli medeſimi Preti della Collegiata*; voluitque inſuper, quod ſi Eligentes præſcriptas à ſe leges, & conditiones non obſervarent, *la elezzione ſia nulla, e ſi devolva per quella volta all'Ordinario*. Huic diſpoſitioni coheret obſervantia, qua conſtat in quocumque menſe Canonicatus vacaverit, deventum a Capitulo fuiſſe ad electionem. Habendæ quoque præ oculis ſunt Literæ Apoſtolicæ ſan.mem. Clementis XIII., qui anno 1763. declaravit, electiones fieri à Canonicis debere etiam in menſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ad tramites diſpoſitionis Teſtatoris, cujus verba ibidem retulit.

Præter hæc animadvertendum eſt in hac cauſa, an ex diſpoſitione juris inhabiles aſſequendi Beneficium ſint Clerici, qui in clericali habitu, & tonſura non incedant. In *Cap. Quoniam 2. de vita, & honeſt. Cleric. in Clement.* ſtatuitur, ut *quicumque Clericus virgata, vel partita veſte publicè utetur* [*niſi cauſa rationabilis ſubſit*] *ſi Beneficiatus extiterit, per ſex menſes a perceptione fructuum Beneficiorum, quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus: Si verò Beneficiatus non fuerit, in Sacris tamen Ordinibus citra Sacerdotium conſtitutus per idem tempus reddatur eo ipſo inhabilis ad Eccleſiaſticum Beneficium obtinendum. Idem quoque cenſemus de Clericis aliis veſtem talem ſimul, & tonſuram publicè deferentibus Clericalem*. Pœnas etiam contra Clericos, qui veſte ſuo ordini congruente non utantur indixit *Concil. Trident. ſeſs. 14, cap. 6., & ſeſs. 23 cap. 6. de reformat.*, nulla tamen injuncta videtur inhabilitas ad Beneficia conſequenda.

Sixtus V. in *Conſtit. Cum Sacroſancta* hæc decrevit =: *In futurum autem nonniſi actu Clericis in habitu Clericali, & tonſura incedentibus, quæcumque Eccleſiaſtica etiam ſimplicia Beneficia reſpectivè conferantur, aut commendentur, aut penſiones, fructuſque, aut bona Eccleſiaſtica reſerventur*. Cæterum cum unum ſit collationis, aliud verò præſentationis tempus, hinc egregiè docent Doctores, quod ſicuti tempore præſentationis Clericatus non requiritur, ita nec requiratur, quod Præſentatus in habitu Clericali incedat, ſed requiritur tempore collationis, cum à tempore, quo jus habet ad Beneficium, teneatur ſtatim habitum aſſumere, & deferre *Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. num. 39.*

De iis verò, qui honoris tantum cauſa militiæ nomen dederint, quin ſæva exercuerint, inquirendum eſt an Clericali privilegio omninò, & irrevocabiliter priventur, atque ad conſequenda beneficia inhabiles prorſus reddantur. In præſenti caſu ponderandum eſt, quid ſentiendum de Clerico

Sanfigi, qui prius sæculari militiæ nomen dedit, deinde Ecclesiastico cœtui se adscripsit, absque eo quod ab albo militum fuerit deletus.

Denique ad simoniam confidentialem quod attinet, cujus vitio infecta prætenditur electio Sanfigi, inquirendum est, an ea revera in expositis casus circumstantiis inducta fuerit; insuperque an satis probetur ex iis, quæ ad hanc suadendam deducta sunt. Notandum, hic agi de vitio omnium maximè in re Ecclesiastica detestabili, & execrando, atque idcircò pleniores etiam requirere demonstrationes *Abbas in cap. Veniens num. 4. de Testib.*, *Alciat. consil. 2. num. 40. & 41.*, *Rot. cor. Tanar. dec. 41. n. 4.*, *& in Dyen, seu Vasionen. Beneficii 5. Decembris 1755.*, *& 28. Junii 1756. §. 3. coram Emo Paracciano*.

Nonnulla addenda supersunt de expensis litis, quæ si cedat in commodum, & utilitatem Ecclesiæ, Loci, vel Operis pii, ex istius bonis, ac reditibus detrahi debent *Gloss. in cap. Cum inter il 3. de elect.*, ibique *Abb. num. 4.*, *& seq.*, *Barbos. de Canon.*, *& Dignit. cap. 24. num. 24.*, *Scarfanton. ad Cecoper. lib. 4, tit. 13. num. primo, & seq.*, *Rot. coram Ludovis. dec. 263. per tot.*, *in Illerden. Expensarum 3. Julii 1702. §. Hinc coram Scotto*, *& in Giennen.*, *seu Baestien. reintegrationis Massæ communis super exhibitione 20. Januarii 1738. §. Neque ullum coram Bussio*, & consonant resolutiones Sacræ Congregationis in *Viterbien. 26. Septembris 1737. ad V.*, *in Trojana Præbendarum 6. Decembris 1738. ad II.*, *in Viterbien. Capellaniæ 30. Maii 1767. ad IX.*, *& in Montis Falisci Expensarum litis 17. Septembris 1768.*

Si vero lis inter Canonicos, vel inter Loci, aut pii Operis Administratores acta fuerit super præeminentia, aut alio jure, quod nullam Ecclesiæ, Loco, aut pio Operi utilitatem attulerit, tunc expensæ propriis Litigantium sumptibus persolvi debent, ut tradunt Auctores superius allati, & declaravit S. Congregatio in *Cavallicen. Residentiæ, & distributionum 30. Septemb. 1702. lib. 51. decret. pag. 371.*, *in Gerunden. Expensarum 11. Januarii 1721.*, *& in Ruben. Expensarum 25. Septembris 1734.*

Ponderandum idcircò, an lis a Capitulo instituta contra Mattiolum, & Priorem, duosque Collegiatæ Ecclesiæ Canonicos respiciat ipsius Ecclesiæ utilitatem, aut decus, & ad exequendam Testatoris voluntatem conferat, seu potius in proprium Litigantium commodum cedat. Videndum quoque, an ratio haberi debeat resolutionis Capitularis, qua statutum fuit litem suscipiendam esse sumptibus hæreditatis Triangoli; atque habenda etiam ratio est de exemplis, quæ deducuntur ad probandum expensas litium ex ejusdem hæreditatis reditibus fuisse alias persolutas.

Episcopus plura habet in sua relatione pro Sacerdote Mattiolo

tiolo adversus Capitulum, quæ inter monumenta Causæ legi possunt. His autem, aliisque æqua lance libratis decernendum erit.

I. *An sit relaxanda Supplicatio, in casu &c.*

II. *An expensæ litis fieri debeant ex reditibus hæreditatis Triangoli, itaut sint exequendæ resolutiones Capitulares dierum* 24. *Julii, &* 24. *Septembris* 1769., *seu potius a quatuor Canonicis, in casu &c.*

III. *An expensæ, quæ fieri debent a Priore, duobus Canonicis, & Puellis sint reficiendæ ab hæreditate Triangoli, seu potius ab ipsis Priore, Canonicis, & Puellis, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius. Ad III. Expensas fieri debere a Priore, & duobus Canonicis, & amplius.

ALEXANDRINA MISSÆ CONVENTUALIS. In Oppido Solerii Diœcesis Alexandrinæ suppresso Monasterio Ordinis S. Benedicti, erecta fuit Collegiata sub invocatione S. Perpetui, & in ea instituti tres Canonicatus una cum Præpositura curam Animarum habente. Ut autem Canonici residerent, Divinaque Officia diligenter obirent, Episcopus Odescalcus anno 1603. ex singulis Canonicatibus in massam communem tot bona redegit, quæ annua scuta quindecim reddebant, cum lege, ut hæc interessentibus dumtaxat acquirerentur. Auctus postea fuit Canonicorum numerus ex piis Fidelium fundationibus, ita ut hodie duæ Dignitates, ac undecim Canonici in Ecclesia numerentur. *Sess.* 22. *Decret. de observ., & evit. in celebr. Miss.*

Aucto sic Capitularium numero, licet singulis diebus Choro interesse cæperint, vix tamen diebus festis Missam Conventualem celebrarunt. Nuper autem cognita obligatione Missam Conventualem quotidie celebrandi, & applicandi, preces Sanctissimo dederunt tam pro absolutione quoad præteritum, quam pro reductione ad solos dies Dominicos in posterum. Annuit Summus Pontifex quoad præteritum, sed reductionis postulatum ad hanc Sacram Congregationem ablegavit. Nunc itaque Capitulum petit reductionem ad solos dies Dominicos, & contextualiter Præpositus a dicto onere se exemptum esse contendit.

Ad I. inquit Capitulum, tres Canonicatus antiquiores adeo tenues reditus habere, ut alendo indigenæ Sacerdoti vix suffi-

sufficiant : reliquos vero tot, tantisque Missarum oneribus à Fundatoribus oneratos fuisse, ut sæpenumero vix aliquid liberé singulis superfit Canonicis. Capitulum pariter tot, tantisque legatis Missarum cum cantu gravatum esse, ut fere quotidie Missam canere teneatur : Justam idcirco urgere causam, ut attenta redituum tenuitate, & assiduo Ecclesiæ servitio, onus Missæ Conventualis ad solos dies Dominicos reducatur.

Ad II. inquit Præpositus, se ob curam Animarum teneri singulis diebus festis, & Dominicis Missam pro Populo celebrare, propterea cogi non posse ad Missam Conventualem per turnum etiam applicandam, sed ab hoc incompatibili onere se esse eximendum.

Episcopus refert varia onera Missarum cum cantu, ad quæ Capitulum ex variis Benefactorum legatis in certis diebus tenetur; confirmat paupertatem tam Canonicatuum antiquiorum, quam recentiorum, ac concludit = *Ut attenta Præbendarum tenuitate, nullaque segregata, & aliunde promanante distributionum in commune relictarum massa, sufficiat unam Conventualem Missam applicare solis tantum festis de præcepto, aut si fieri possit etiam solis Dominicis diebus, a qua lege si placet EE. VV. immunem declarare Præpositum, quoties per turnum hebdomadarium agit, quod nimirum jam tenetur pro Populo suo Missam Parochialem applicare.*

Sacra hæc Congregatio pluries declaravit Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum teneri ad applicandam quotidie pro Benefactoribus in genere Missam Conventualem non obstante quacumque contraria consuetudine, quamvis immemorabili, ut in *Squillacen.* 17. *Martii* 1714., *in Camerinen.* 9. *Junii ejusdem anni*, *in Ferrarien.* 18. *Martii* 1719., *in Comen.* 11. *Maji* 1729., *& in Veliterna* 14. *Martii* 1722. . Idemque edixit san. mem. *Benedictus XIV.* in sua celebri Constitutione incip. *Quam semper* 19. *Augusti* 1754.

Ad occurrendum tamen Ecclesiarum paupertati, & inopiæ idem *Benedictus XIV.* in eadem Constitutione §. *Alio* ita monuit = *Tridentina quidem Synodus sess.* 24. *cap.* 15. *opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Sacram Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus nostris eidem impartita, & a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.*

Sæpius idcirco apud Sacram Congregationem actum est de reductione applicationis Missæ Conventualis propter redituum Canonicalium inopia, ac juxta varias rerum circum-

cumſtantias reductionem aliquando juſta deficiente cauſa denegavit, ut in *Camerinen. Miſſæ Conventualis* 6 *Junii* 1705., *& in Vicen. Miſſæ Conventualis* 13. *Septembris* 1749.; aliquando autem urgente gravi inopia reductionem conceſſit ad dies feſtos de præcepto, ut in *Narnien.* 11. *Junii* 1712., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad III. dubium*, *in Spoletana applicationis Miſſæ Conventualis* 23. *Junii* 1729., *in Amerina Miſſæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *& in Ariminen. Miſſæ Conventualis* 18. *Septemb.* 1751.

Tota hinc inſpectio ex redituum quantitate pendet; ex Epiſcopi relatione habetur: *Præpoſitura enim exiguam habet Præbendam, nullum neque civile, neque ruſticum ædificium agris colendis opportunum, pondus curæ animarum fere trium millium, onus Miſſæ diebus feſtis de præcepto applicandæ pro populo, itemque candelas in Feſto Purificationis, & Olivarum ramos in Dominica Palmarum pro omnibus ære ſuo comparandi, unde conſequitur, ut fruſtra fortaſſe quæreretur extraneus Parochus, ſi quando nemo prædicti Oppidi indigena iis polleret dotibus, quæ ad eamdem Præpoſituram aſſequendam neceſſario requiruntur. Tres autem antiquiores Canonicatus eos habent reditus, qui indigenæ Sacerdoti vix alendo ſufficiant. Reliquæ omnes a particularibus Patronis recentius inſtitutæ Præbendæ adeo tenues fere omnes ſunt, ſimulque gravatæ duabus, tribus, quatuorve Miſſis in ſingulas hebdomadas, nec non onere tributo ordinario Principi quotannis ſolvendi, ut omnibus detractis memoratis oneribus vix, ac ſæpe ne vix quidem aliquid vel tantillum liberi emolumenti Beneficiario ſuperſit.*

Spectat itaque ad ſummam EE. VV. æquitatem, ac prudentiam definire

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſæ Conventualis, in caſu &c.*

II. *An a dicto onere exemptus ſit Præpoſitus ratione Curæ Animarum, in caſu &c*

Non propoſita, cum ſequentibus.

PISAUREN. JUBILATIONIS. Parochialem Eccleſiam S. Michaelis Archangeli Oppidi de Geneſtreto Diœceſis Piſauren. anno 1718. ſa. mem. Clemens XI. in inſignem Collegiatam erexit, & in ea primam Dignitatem cum cura animarum Prioris nomine decoratam, ſeptemque Canonicatus inſtituit cum onere intereſſendi Divinis Officiis quo-

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

quolibet die Adventus ad diem usque Paschatis Regum inclusive, nec non etiam Quadragesimali tempore ad totam octavam Paschatis Resurrectionis Domini Nostri I. C., pariterque in festivitatibus Pentecostes, in solemnitate Corporis Christi, in Festis Apparitionis, & Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, & demum in Festivitatibus Assumptionis B. M. V., ac S. Andreæ Apostoli, earumque respectivis octavis.

Per sex supra annos quadraginta Ecclesiæ laudabiliter, & assiduo inserviit Canonicus Christopharus Mosca, annis itaque gravis jubilationis petiit indultum. Petitioni contradixit Capitulum, ne hoc novum exemplum cum servitii Ecclesiæ detrimento induceretur. Nunc proinde jura sua deducente utraque Parte, quæritur num indulgenda, vel deneganda sit jubilatio.

Inquit Canonicus Christopharus nullum esse dubium de continuo, & laudabili servitio per longævum decursum annorum 46. a se præstito; sibi idcirco indulgendam esse infert jubilationem juxta communissimam praxim semper servatam ab hac Sac. Congregatione *Card. de Luc. de Canon. disc. 15. num. 2.*, lege Mosaica cognitam ut ex *libr. Num. cap. 8. vers. 25.*, & jure civili probatam *L. a muneribus ff. de vacat.*, *& excus. muner.*, *& l. 1. Cod. de veteran.*

Inanes vero ait esse Capituli exceptiones. Advertit enim Jubilationem non intuitu, & ex causa infirmitatis, sed tantum ob quadragenarium Ecclesiæ servitium largiri. Assiduitatem servitii non requiri materialiter, ut nempe quolibet die quis Ecclesiæ inservierit, sed sat esse ut inservierit juxta stilum, & consuetudinem Ecclesiæ. Septem vero Capitulares adhuc Ecclesiæ servitio præsto esse, quorum numerus inspecta loci, & Ecclesiæ qualitate abunde sufficiens est, vel saltem jus semper Episcopo esse jubilatos ad servitium revocandi, si Ecclesiæ servitium, ac divinus cultus detrimentum patiatur. Demum sibi non nocere, si ante hoc tempus nemo ex Capitularibus indultum jubilationis petierit, quod recte petere potuisset, nec in sui damnum vertendum esse, si cæteri Capitulares ex propria culpa in cantu Gregoriano non sint versati.

Contra Capitulum inquit, nullo jure cautum esse, ut quadragenarium servitium habentibus jubilatio sit indulgenda, imo sacris canonibus præscriptum esse, ut assiduo, & semper Ecclesiæ inserviant *Bened. XIV. de Synod. Diæces. lib. 13. cap. 9. num. 15.* Porro Canonicum Christopharum nullo Corporis vitio, vel infirma valetudine laborare, rectèque posse suæ senectuti occurrere sibi adsciscendo Coadjutorem, quin Ecclesiam debito privet servitio per jubilationem. Nullam ideo æquitatem cogere, ut cum Ecclesiæ detrimento ei sit indulgenda jubilatio.

Ad-

Addit jubilationem intuitu continui ſervitii indulgeri, ut tot annis defatigati allevientur; in Collegiata vero S. Michaelis Archangeli Chori ſervitium produci ad paucos certos dies, & vix ſpatium complecti quatuor menſium. Parvum etiam eſſe Canonicorum numerum, itaut dempto Priore curam animarum habente congruus defiturus eſſet numerus pro Divinis officiis obeundis, maxime quia ſi concedi contingeret jubilationem Oratori, indultum ſimile eſſet etiam petiturus alter Canonicus Thomas Moſca, qui jam per annos 52. Eccleſiæ inſervivit. Ne itaque exemplum hoc invehatur allegabile tam a Canonico Thoma, quam ab aliis in futurum in grave detrimentum ſervitii Eccleſiæ, concludit jubilationem eſſe omnino denegandam.

Epiſcopus confirmat continuum, & laudabile quadraginta ſex annorum ſervitium præſtitum a Canonico Chriſtophoro, nec non ejuſdem ætatem ſexaginta ſex annorum, ac rejectis Capituli exceptionibus votum aperit pro jubilationis conceſſione, ut ex ejuſdem relatione, quæ inter monumenta cauſæ habetur.

Nullum de perpetua ob ſolum longum ſervitium vacatione, quam *jubilationem* dicunt, ex juris Canonici ſanctione privilegium habetur, ſed adinſtar honeſtæ miſſionis veteranis, ac benemeritis militibus conceſſæ in *leg. 9. Cod. quand. Provinc.*, *& leg. 6. de vacat.*, *& excuſ. mun.* ſequioribus temporibus hoc privilegium de perpetua vacatione muneris Eccleſiaſtici ſenſim introductum eſt, quod jam quotidiano frequentiſſimo uſu ita invaluit, ut modo injuria fieri videatur, ſi denegetur.

Concilium dixerat = *non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt, ut in ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

Hinc dubitatum fuit, an abrogatæ forent omnino conſuetudines peculiares Eccleſiarum, quæ propriis conſtitutionibus hanc jubilationem poſt quadraginta annos concedebant. Negativam ſententiam tenuit *Ceved. collect. 15. ad 6. num. 8.* affirmativam *Navar. conſ. 12. de cler. non reſid.*

Quare cum ſtatutum eſſet in Eccleſia *Compoſtellana* cum immemorabilis temporis uſu, ut beneficiati poſt 40. Annos vacarent ſine ulla fructuum, & diſtributionum jactura; prima poſt Concilium petiit declarari = *An ſalva dicta Tridentina ſanctione præmiſſum ſtatutum quoad conceſſionem emeritæ requiei per quadragenarios labores inter beneficiatos dictæ Eccleſiæ, in futurum, prout hactenus, ſervari queat*, ac ſa. me. Gregorius XIII. audita relatione Congregationis Concilii dixit *tolerandum eſſe hoc ſtatutum*, *lib. 2. decr. pag. 60.*

Hæc tolerantia, licet ex peculiaribus cauſis, nempe *ob non bonam aeris temperiem loci, rapidis ventorum flatibus ferè continuo concuſſam, & frequentibus maritimis procelloſis pluviis conturbatam, nec non prolixum diuturnum, & nocturnum in dicta Eccleſia in Divinis aſſiduum obſequium, adeo ut ferè nullus, vel rariſſimus quadragenarium miniſterium ratione ſui beneficii in ea facere queat*, in cauſa fuit, ut univerſa deinde, & promiſcua harum conceſſionum frequentia in Eccleſiam venerit, & quaſi in jus obierit, ut poſt quadraginta annos omnimoda ceſſatio cum integra fructuum perceptione petatur, & concedatur quotidie.

Verum enim vero non indiſcriminatim conceſſa eſt, ſed ſemper quæſitum, an ſervitium ultra quadraginta annos eſſet *continuum*, & *laudabile*, alias negata, ut in *Romana Jubilationis 6. Aug.* 1712. Imo ſi defuit qualitas *continui*, & *laudabilis* ſervitii, etiam jam conceſſa aliquando abrogata fuit, ut in *Maceraten. jubilationis 8. Martii 1693. lib. 48. decr.*. Cumque anno 1718. plures excreviſſent controverſiæ de qualitatibus ſervitii, omnes propoſitis generalibus dubiis extinctæ fuerunt, ut videre eſt in *Dubia jubilationum 17. Decemb.* 1718.

Licet autem ante indulti conceſſionem audiri ſoleat Capitulum, non inde tamen ejuſdem conſenſus adeo requiritur, ut eo denegato, negata fuerit jubilatio. Vel enim Capituli diſſenſus rationabilis fuit, juſtiſque conditionibus limitatus, & tunc vel negata fuit, vel juxta Capituli conditiones conceſſa, ut in *Bergomen. 8. Aug.* 1716., vel injuſte conſenſus fuit negatus, injuſtiſque conditionibus circumſcriptus, & tunc ſpreto Capituli diſſenſu, vel rejectis conditionibus fuit conceſſa, ut in *Aquipendii jubilationis 23. Martii 1697., in Senen. celebrationis, & applicationis Miſſæ conventualis 12. Maii 1759., & in Civitatis Caſtellanæ jubilationis 20. Sept. 1766.*

Id tamen ſemper præoculis diligentiſſime habitum fuit, ne per has conceſſiones detrimentum cultui Eccleſiæ inferretur, nam ſi id eveniat, jubilatus revocatur ad ſervitium, ut in *Aquilana 27. Sept. 1659. ad II. Dub. lib. 21. dec., in Sabinen. 2. Octobris 1717. lib. 47. decr.*, ac arbitrio Epiſcopi datæ ſunt ſemper, immò aliquando etiam cum expreſſa facultate revocandi, ſi opus eſt, ad ſervitium. Quare in *Dubia jubilationum 17. Decemb.* 1718. propoſito IV. Dub. = *An non obſtante jubilationis indulto, jubilatus cogi poſſit ad inſerviendum, ſi Divinus cultus detrimentum patiatur*, reſponſum fuit *Affirmative*.

Sub iiſdem vero generalibus dubiis anni 1718. propoſito III. Dubio = *An indulgenda ſit jubilatio illis, qui inſervierunt ſpatio 40. Annorum non obſtante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Eccleſiæ ſervitio, & quis ſit parvus numerus inſer-*

ſervientium in caſu, & ad effectum, de quo agitur, Sac. Congregatio reſcripſit *dabitur reſolutio in caſibus particularibus*.

Ante oculos ideirco habendus eſt ſtatus Eccleſiæ Collegiatæ S. Michaelis Archangeli. Hæc conſtat ex unica dignitate, quæ curam animarum exercet, & ex ſeptem Canonicis, quorum alter modo petit jubilationem, alter vero ab annis 52. Eccleſiæ jam inſervit. Sac. Congregatio in *Ripanæ jubilationis* 29. *Novembris* 1710., in qua Capitulum ex novem Canonicis comprehenſo Præpoſito conſtabat, licet opponeretur, tres tantum ſupereſſe canentes, & pſallentes in Choro, eo quod ex reliquis ſex alter organum pulſaret, Præpoſitus confeſſionali ſederet, tres ad Altare celebrarent, & Orator jubilationem peteret, ita & omnes a Choro eſſent abfuturi, propoſito nihilominus = *An jubilationis indultum ſit concedendum Canonico Cruciani Crucetti*, reſpondit *affirmative lib. 60. Decr.*

His ſtantibus onus erit EE. VV. decernere.

An ſit concedendum indultum jubilationis in caſu &c.

ABELLINEN. IRREGULARITATIS. Apopletico morbo correptus elapſo anno Sacerdos Carmelus de Rienzo, quamvis poſtea convaluerit, talem nihilominus paſſus eſt in ſiniſtro brachio læſionem, ut ejus miniſterio in Sacro peragendo uti nequeat. Siquidem læva manus inepta eſt ad ſuſtinendum Calicem, dum in elevatione Populo oſtenditur, atque etiam dum attollitur in iis ex Canone verbis = *Omnis honor, & gloria* = Inutiliter etiam ab eadem manu auxilium quærit ad frangendam Sacratiſſimam Hoſtiam ſuper Calicem, eamque particulam dividendam, quæ poſtea in Calicem ipſum immittitur; Verum fractionem ipſam, & diviſionem ſuper Patenam commodè valet perficere. *Seſs. 24. cap. 6. de Reform.*

Cum itaque dictus Sacerdos alimenta habere non poſſit ex fructibus tantùm ſui Patrimonii, qui ad neceſſariam ſuſtentationem non ſufficiunt, ſupplex ab EE. VV. diſpenſationem implorat, ut non obſtante Siniſtri brachii debilitate, facultas celebrandi Miſſam ſibi impertiatur. Aſſerit enim Oppidum Paroliſii, in quo moratur, nonniſi paucis incolis conſtare. Populum autem diebus feſtis Parochiali Miſſæ intereſſe, quæ prævio campanæ ſonitu celebratur; feriatis verò diebus, adeo infrequenter habitatores laboribus aſſuetos ad Sacrum audiendum convenire, ut vix reperiatur, qui Miſſæ poſſit inſervire. Ex quo putat nullam admirationem oriri poſſe, ſi feriatis diebus quacumque hora in Parochiali Eccleſia celebraverit, feſtivis

verò post Parochiale Sacrum, nulloque præmisso Campanæ sonitu: Advertit enim ex implorata solum facultate in eadem Ecclesia celebrandi, eleemosinam consequi posse, qua dumtaxat sibi, Sororibus, ac Consanguineis paupertate laborantibus consulere poterit.

Episcopus in sua relatione hæc ait = *Experimentum coram Magistro Cæremoniarum hujus Cathedralis faciendum curavi, ex quo deprehendi, nullam revera in prædicto Sacerdote conspici deformitatem, quæ scandalum pariat in Populo. At verò inficias iri nequit, quin periculi aliquid immineat Calicem invertendi, dum Calicem ipsum ambabus manibus elevat tam post consecrationem, quam cum dicit* = Omnis honor, & gloria = *Et in Sacratissimæ Hostiæ fractione ita se gerere, ut non eo modo, qui tanto Mysterio convenit, illam frangere possit, præsertim hyberno tempore, sed vel in plures particulas, vel satis indecenter discerpat.*

Quare existimo, si vobis EE. PP. videbitur cum Oratore dispensare ob ejus paupertatem, esse ita dispensandum, ut Calicem sola manu dextera elevet tum post consecrationem, cum quando illa verba profert = Omnis honor, & gloria = *Quo verò ad Hostiæ fractionem ei indulgendum, ut illam tantùm super Patena frangat, ac detrahat particulam, quæ est in Calicem mittenda; Nam hoc pacto fractio haberetur, quæ Divinæ institutioni adscribitur ab Emo Card. Bona. Debet tamen ipse Sacerdos sic dispensatus se abstinere a celebratione in Ecclesia Parochiali, vel in iis Ecclesiis, ubi Populi adest frequentia, ne quid scandali in dè oriatur.*

Sin verò hujusmodi indulgentia haud illi posse impertiri judaveritis, minimè eidem permittendam Missæ celebrationem censeo; etenim elevando Calicem auxiliante læva, periculum, ut dixi in Oratore adest Calicem invertendi, & dividendo per medium Sacram Hostiam maxima irreverentia fieri videtur, cum eam in diversas particulas dividi accidat, vel manu plusquam oportet contrectari, unde plurima decidunt fragmenta, quæ postea sola dextera colligere non potest.

Ea jamdudum in Ecclesia invaluit disciplina, ut corpore vitiati, aut aliqua parte mutilati a Sacris Ordinibus, & ab Altaris ministerio arcerentur, si propria voluntate, vel culpa id acciderit; si autem non proprio facto, sed casu aliquo, vel necessitate vitiati fuerint, duobus tantummodo casibus irregulares evaderent, vel scilicet quando membrum, quo carent, aut in quo debilitatem patiuntur ad exercitium Ordinis suscepti, vel suscipiendi necessarium fuerit, unde impossibilitas ministrandi emergat; vel quando talis deformitas adsit, ut sine Populi Scandalo sacra ministeria exerceri non valeant, *Gonzalez in Comment. ad Cap. 2. de Corpor. vitiat. num. 6.*

Cum itaque deformitatem in Oratore excludat Episcopus, videndum superest, an ineptitudo sinistræ manus illum impe-

pediat, quominùs ſubſtantiales Sacrificii ritus obſervet. Dubitari non poteſt, antiquiſſimum eſſe morem elevandi Sacram Hoſtiam, & Calicem poſt conſecrationem: Verum obſervat *Pouget. tom. 2. inſtit. Cathol.*: *Ante ſæculum XII. ad hæc ſola verba* = Omnis honor, & gloria = *nec prius oſtendebatur Corpus Chriſti ſimul cum Calice Populo circumſtanti ad adorationem. Calicem ergo ſimul cum Hoſtia Sacerdos ſublevabat in altum, ut Populus videret, & adoraret. Ex quo autem uſus invaluit elevandi Corporis Chriſti, ac deindè Calicis, ſtatim poſt peractam conſecrationem, minus ſolemnis hæc altera Calicis, & Corporis elevatio pleriſque in Eccleſiis fuit; nec jam Sacerdos ſic elevat Calicem, ut a Populo circumſtanti videri poſſit.*

Graviſſimæ nihilominus fuerunt rationes, quibus elevatio ſolemnis ſtatim poſt conſecrationem in Eccleſia inducta eſt: Siquidem non inferioris notæ Auctores referunt, duxiſſe originem a tempore, quo Berengarius vel realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, vel tranſubſtantiationem Panis in Corpus Chriſti negavit, idque introductum affirmant, ut novo externo Latriæ actu tanto Sacramento veneratio exhiberetur. Quamquam a ſui initio Catholica Eccleſia interno, exteriorique cultu ſemper hoc Sacramentum proſequuta eſt, quemadmodum doctiſſimè animadvertit *Benignus Boſſuet* intractatu *de Miſſæ Sacrificio*.

Non una tamen fuit penes omnes hujuſce ritus obſervantia. Etenim nonnullæ Eccleſiæ conſueverunt Hoſtiam ſimul cum Calice poſt conſecrationem elevare, aliæ verò Hoſtiam tantummodò, in qua Corpus, & Sanguis Chriſti realiter exiſtunt, quia in elevatione Calicis nonnihil periculi ineſſe perpenderent. Morem hunc retinent Carthuſiani, ut teſtatur *Pouget loc. cit.*, qui addit, nec Religioſis Ordinis S. Dominici ætate ſua Calicis elevationem fuiſſe præſcriptam: Hoc ipſum teſtatur etiam *Sotus in 4. Sent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5.* dum ait = *Neque in noſtro Ordinario, quod indè* (nempè a Carthuſianis) *ſumptum eſt, præcipitur Nobis, ut elevemus. Quin, & complures ſunt Religionum Ordines, in quibus non præcipitur elevari, ſed ne ab Eccleſiis ſæcularium diſſideant illum elevant.*

Elevationem verò ſive poſt conſecrationem, ſive ad verba = *Omnis honor, & gloria* = fieri aſſerit *Pouget* ſupra relatus, ut Populus Venerabile Sacramentum adoret, ſed Amalarius affirmat eam indigitare devotum animi affectum externo ſigno demonſtratum = *Hoc ipſum* (ait) *volendo Tibi omni viſu monſtrare, tota fide me ita tenere, elevo præſentia munera ad Te ego indignus Sacerdos* = Ad eſſentiam tamen hujus ritus non videtur neceſſario requiri, ut Sacerdos utraque manu Calicem attollat, nec niſi ob periculum effuſionis pretioſi Sanguinis Chriſti utriuſque manus miniſterio ex præſcripto Rubricæ in Eccleſia utimur.

Hæc

Hæc quoad elevationem Calicis; quo verò ad fractionem Hoſtiæ animadvertendum eſt, eam fuiſſe præſcriptam, tum quia Chriſtus Dominus in ultima Cæna panem benedixit, ac fregit, jubens, ut id fieret in ſui commemorationem, tum etiam ad indigitanda per hanc actionem Myſteria, quæ refert *S. Bonaventura in Tract. de expoſit. Miſſ. cap.* 4. *§. Sed antequam*, *S. Thomas* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 5. *ad* 8. *Innoc. III. lib.* 5. *de Myſter. Miſſ. cap.* 3. Inquirendum hic eſſet, an de ſubſtantia actionis ſit Hoſtiam frangere ſuper Calicem, de quo tamen cum antiqui Scriptores nihil innuant, exiſtimari debet, nil quidquam de Myſteriorum ſignificatione immutari, ſi diviſio fiat ſuper Patenam, & fortaſſe uſum inoleviſſe dividendi Hoſtiam ſupra Calicem, ne fragmenta huc illuc diſpergerentur.

Denique quoad Diſpenſationem conveniunt Doctores, quod ſi non agatur de promovendo, ſed de habilitando jam promoto ad Ordinum exercitium, facilius indulgeri poſſit, ut Sacerdos, qui una caret manu Miſſam celebret. Præcisè verò diſpenſationem fuiſſe conceſſam cuidam Regulari, cui ob morbum manus erat impedita, ut celebrare poſſet cum alterius Sacerdotis aſſiſtentia referunt *Henriquez lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 4. *litt.* Q., *Leander. Oper. Moral. part.* 5. *tract.* 2. *de Irregular. part.* 89., qui ulterius *quæſt.* 90. ſubdit poſſe a Summo Pontifice diſpenſari cum Sacerdote utraque manu carente, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hoſtiam elevet, frangat, & ſumat.

In una *Coſentina* agebatur de Sacerdote, qui brachii dexteri flexibilitatem amiſerat, itaut nec illud elevare poſſet, nec ſe ſigno Crucis ſignare, niſi intercedente diſtantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab utroque humero, & ab ore, nec in celebratione Miſſæ Sacram Hoſtiam, & Sanguinem ſumere poterat, niſi ope brachii, & manus Siniſtræ, licet cæteras Miſſæ cæremonias ritè adimpleret. Propoſitis autem dubiis = I. *An Sacerdos ſit irregularis*. II. *An eidem ſit concedenda diſpenſatio, ut Miſſam celebrare poſſit in caſu &c.* = Sac. Congregatio *die* 13. *Julii* 1725. reſpondit = *Ad I. Affirmativè*. *Ad II. Arbitrio novi Archiepiſcopi*. Similis quoque diſpenſatio in ſimilibus fere caſibus conceſſa fuit in *Placentina* relat. *die* 1. *Februarii* 1766., & in *Lunen. Sarzanen.* 16. *Decembris anni elapſi*.

Emi PP. qua ornantur juris Sacri peritia, & æquitate edicent, quid agendum in præſenti caſu, dum quæritur.

An ſit concedenda diſpenſatio in caſu &c.

BO-

BONONIEN. REDUCTIONIS. Postquam Ludovicus Sarra publicum construxerat Oratorium SS. Camillo de Lellis, & Andreæ Avellini dicatum in Territorio Oppidi S. Joannis in Persiceto Diœcesis Bononien., Testamento condito anno 1749. perpetuum hęredibus indixit onus Missam in eo celebrandi singulis diebus Festis, agendique Patronorum festum cum celebratione octo Sacrorum, additis aliis Missis sex celebrandis anniversaria die obitus sui. Legavit uxori suæ annua scuta 60., pluraque alia legata reliquit suis consanguineis, ac familiaribus, ac hæredem usufructuarium instituit Antonium Mariam Fratrem post cujus obitum assignari jussit tot bona, quæ redderent annua scuta sexaginta in erectionem unius Canonicatus in Ecclesia Collegiata dicti Loci, ad quem nominavit Sacerdotem Dominicum Fangarezzi ex sorore Nepotem cum onere annuarum Missarum 50., legemque adiecit, ut hæredes erogare in perpetuum tenerentur annua scuta 30. in reparationem, & meliorationem bonorum. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Ubi autem cessassent annua legata uxori, aliisque relicta, executoribus Testamentariis commisit ut inventarium conficerent, omniaque bona unirent dicto Canonicatui, qui nominatus fuit hęres proprietarius cum onere celebrationis Missæ quotidianæ, ac distributionis duarum dotium sc. 10. tradendarum certo generi Puellarum, & solutionis præterea annui scuti unius, & obolorum decem pro singulis tam Parocho, quam Vicario rogatis, ut quotannis dotium distributioni interessent. Executores Testamentarios nominavit Gregorium Fangarezzi levirum, & Aurelium Flandoli cum annua mercede lib. 15. Præscripsit demum, ut hæc unio residuorum bonorum Canonicatui non antea fieret, quam ex ipsorum fructibus universum æs alienum prius fuisset extinctum.

Defuncto eodem anno 1749. Testatore, executores Testamentarii inventarium confecerunt, a quo habetur, hæreditatis statum activum æstimatum fuisse sc. 7005., & passivum complecti scuta 2130.. Vita deinde functo Antonio Maria hærede Usufructuario, erectus fuit anno 1753. Canonicatus cum assignatione prædii valoris scut. 2000., & annui reditus scut. 60., ac cessatis postea cæteris annuis legatis, universa bona Canonicatui accesserunt possesso a Canonico Dominico Frangarozzi Oratore a Testatore nominato. Is autem plene noscens reditus bonorum Canonicatui postea devolutorum longe impares esse ad tot, tantisque superadditis oneribus implendis, nunc supplicat pro eorumdem reductione.

Inquit bona Canonicatui post erectionem devoluta vix æstimari scut. 1721., annuosque eorum reditus non excedere scut. 48., onera autem implenda annuam exposcere impensam scutorum 100. hæc ideo ob tantam redituum tenuitatem,

tem, & inopiam esse reducenda. Contendit autem primo detrahendas esse expensas præsentis litis, quę in commodum agitur, & utilitatem hæreditatis; dein æs alienum, quo ea adhuc gravata est, reductionem demum quoad cætera onera petit faciendam juxta votum Emi Archiepiscopi, statuto tamen certo, ac præfinito Missarum numero, quem quotannis ferant vires hæreditatis.

Emus Archiepiscopus probans tum residuorum bonorum æstimationem, tum redituum quantitatem jam supra memoratam, votum aperit pro onerum reductione addito etiam modo, *ut primo loco dimissis creditoribus Testatoris, si fortasse emergerent, esset habenda ratio de illis expensis, quæ occurrere possint in parandis iis rebus, quæ pertinent ad usum Oratorii ædificati a Testatore, in reparationibus ædificiorum, & conservationem bonorum hæreditariorum utpote debitis ex natura rei, sed tantum in annua summa, quæ erit opportuna indigentiis, ac circumstantiis, non autem in summa taxata, & fixa scut. 30. annuorum.*

Secundo loco videretur exequendam esse mentem Testatoris quoad legatum Missarum, quas in ejus Oratorio Testator mandavit celebrari, tum quia in hoc legato videtur quædam prioritas ordinis, & intentionis, utpote primo loco inscripta in Testamento, tum quia peculiarem affectionem idem Testator ostendisse videtur erga idem Oratorium, in quo ejus corpus mandavit sepeliri.

De cæteris legatis (quamvis fortasse supervacaneum sit inquirere ob deficientiam redituum) existimarem retinendum esse ordinem, quem ipse Testator servavit in ejus Testamento, nempe primo exequendum esse legatum Missæ quotidianæ, vel saltem celebrandas esse tot Missas, quot celebrari poterunt ex reditibus dictorum bonorum.

Si aliqui supersessent adimplemento legatorum, quæ prius indicata sunt, deinde deveniendum esse ad solutionem dotium, & ad alias gratificationes relictas a Testatore. Tali methodo putarem satis consultum remanere, & adimplemento legatorum juxta vires hæreditarias, & quieti, & conscientiæ Oratoris.

Addendum tamen censerem posse demandari eidem Oratori, ut quolibet triennio rationem redderet in hac Curia de reditibus perceptis, & de proportionata dictorum legatorum executione.

Non est dubium quin onera sint reducenda, si reditus hæreditatis iis ferendis non sunt pares *Rot. in Ravvenaten. Salviani 16. Febr. 1753. §. 10. coram Emo Molino*, & Sac. Congr. in *Maceraten. oneris Missarum 15. Novembris 1687., in Montis Politiani 3. Sept. 1716., & in Bergomen. Reductionis Missarum 10. Julii 1728.*

Id itaque in præsens inquirendum, an reditus residuorum bonorum revera pati possint onera a Testatore præscripta, itemque quæ nam ex dictis oneribus servanda sint, quæve abroganda. Ex inventario sane per executores Testamentarios post Testatoris obitum exarato constat, hæredita-

taria bona fuiſſe valoris ſcutorum 7005., & æs alienum aſcendiſſe tantum ad ſcut. 2130. Detractis itaque his ſcut. 2130., aliiſque ſcutis 2000. antea ſeparatis in Canonicatus erectionem, ſupereſſe adhuc debuiſſent bona valoris ſcutorum 2865. Illiquidum vero eſt, unde nam tantum horum bonorum decrementum obvenerit, ita ut modo ea vix æſtimationem habeant ſcut. 1721.

Advertendum quoque præceptum Teſtatoris in fine Teſtamenti ita adjectum = *Finalmente voglio, che nella eventualità della naturale mancanza della Signora Lucia Sarti mia Conjorte, ed in conſeguenza della ceſſazione della preſtazione da me fatta tanto a dilei favore, che di qualunque altra perſona nominata nel preſente mio Teſtamento, dette annue preſtazioni ſiino da detti miei Signori Commiſſarj tenute a parte, nè ſieno incorporate nell'uſufrutto da me laſciato come ſopra, ma ſia fatto cumulo delle medeme per pagare debiti, e così debbono pur anche fare nell'eventualità della ceſſazione dell'uſufrutto del Signor Canonico, non volendo, che gli miei Signori Fiduciarj dimettino l'Amminiſtrazione del mio ſtato, e che queſto ſia unito al mio Benefizio, ſino a tanto che queſto non ſarà intieramente appurato, e ſieno pagati tutti gli debiti del medemo, raccommandandomi con ſpecialità di premura per queſto fine all'attenzione di eſſi miei Signori Fiduciarj.*

Ubi autem urgerè judicetur reductionis neceſſitatem, ac juſtitiam, ponderandum eſt, quænam ex injunctis oneribus expediat, ut reducantur, & numquid potius alia legata, quam Sacrorum celebratio in animæ Teſtatoris ſuffragium præſcripta, ſint minuenda *Amoſtaz. de cauſ. piis lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. *lib.* 2., *Rot. cor. Anſald. dec.* 66. *num.* 28., vel potius ſingula pro modo ſuæ cujuſque quantitatis ſint reducenda *leg. ſi quis teſtamento §. Apud Julianum ff. de leg.* 1.

Singulis itaque mature pro more perpenſis dignentur Emi Patres reſpondere.

An, & quæ onera, ac legata ſint reducenda, & reſpective omittenda in caſu &c.

SUTRINA STALLI. Canonicalem Præbendam vacantem in Eccleſia Cathedrali Sutrina per obitum Canonici Pii Blaſii Caprinozzi in menſe non reſervato, a Rmo Sutrino Epiſcopo aſſequutus eſt Canonicus Franciſcus Spiridion Neſula, qui cum alium Canonicatum in eadem Cathedrali jam ante poſſideret, & ratione ſuæ antianitatis in priori Chori Stallo ſederet, non prius novi Canonicatus poſſeſſionem adipiſci curavit, quam antiquioris Stalli reten-

Seſs. 5 cap. 1. de Reform.

tioni Capitulum assentiretur. Data igitur a Capitulo fide, plenoque consensu pro retentione prioris Stalli sub conditione reportandi Beneplacitum Apostolicum intra decendium, Canonicus Nesula possessionem nactus est, deindeque ut conditionem adimpleret, & retentionem antiqui Stalli assequeretur, preces SSmo dedit, quæ Sacræ huic Congregationi fuerunt remissæ. Verùm petitioni obstitit Canonicus Joannes Suscioli, qui tamen etsi jam monitus, & expectatus, cum nihil adhuc deduxerit, idcircò dubium in calce transcriptum ab EE. VV. erit definiendum.

Retentionem antiqui Stalli pluribus ex causis sibi competere sustinet Canonicus Nesula, & primo quidem ex descriptione sui nominis in eminentiori Tabellæ Choralis loco, atque ex sui installatione, ac possessione, quam tum Episcopo, tum Capitulo annuente adeptus est *Vivian. de Jurepatr. part.2. lib. 5. cap.1. num. 102.*, *Rot. cor. Buratt. decis.249. num.2.*, *& in recen. dec. 168. part. 16. num. 2.*, ut proindè injuria videatur ipsum jure jam quæsito, nactaque possessione privare. Præsertim quia consensus etiam accessit Canonici Suscioli, cui non amplius licet resilire, *Cap. de his, quæ fiunt a major. part. Capit.*, *Barbos. de Canon.*, *& Dignit. cap.38. num.3.*, *Card. de Luc. de Canon. disc. 1. n. 9. Rot. in recen. dec.88. n.25. par.6.*

Observat insuper Capituli consensum pro retentione antiqui Stalli acquisivisse vim contractus, & obligationis ob præcedentem protestationem a se emissam de non capienda novi Canonicatus possessione, nisi prioris Stalli retentio concederetur; Multoque magis post adimpletam conditionem petendi Beneplacitum Apostolicum, quod intra præfinitum decem dierum terminum expostulavit; Atque ex hoc illud necessario sequi affirmat, quod adimpleta conditione, Capituli consensus omnimodam executionem obtinuerit, quodque dum Pontificia gratia expectabatur, nemini liceret contra proprium factum insurgere.

Neque opponi posse existimat Sac. Congregationis rescriptum, quo preces pro retentione antiqui Stalli remissæ fuerunt Episcopo pro Informatione, & voto, *audito Capitulo*. Respondet enim ideo demandatum fuisse, ut Capitulum audiretur, quia in supplici Libello expositus non fuerat Capituli consensus, non tamen ad exquirendum novum consensum, qui nunquam requiritur, si semel intercesserit, *Bartol. in Leg. 1. ff. ad municip. num. 23.*, *Pignatel. tom.1. consult.44. num.4.* Perperamque etiam objici dicit defectum Pontificiæ gratiæ, cum ad conditionis implementum satis sit, ipsum ex parte sua adimpleviisse, nec propriæ culpæ tribuendum, si gratiæ compendium, quæ a Pontificis voluntate pendet, non fuerit intra præscriptum terminum assequutus, *Rot. decis. 567. n.1. part.1. decis.14. n.39. part.9.*, *& dec.316. n.8. part.16. rec.*

Addit

Addit ex juris dispositione præpeditum non fuisse novam Præbendam optare, priori Stallo, ac titulo retentis, cum Præbenda sit distincta a Canonia, cui Stallum dicitur adnexum *Gonzalez de Reg. Cancell. gloss. 34. num. 12.*, *Lotter. de re benef. quæst. 19. lib. 1. num. 21.*, *& seq.*, *Monet. de option cap. 7. num. 18.*, *Rot. cor. Falconer. de Benef. dec. 16. num. 13.* Hinc absurdissimum fore asserit, si antiquum Stallum, quod ratione suæ antianitatis possidet, dimittere cogatur, ut junior seniori præcedat, *Card. de Luc. de Pens. disc. 76. n. 16. & 17.*, *Monet. loc. cit. num. 30.*, *Panimoll. dec. 33. n. 30.*

Nec attendendum actum, quo post installationem, adeptique Canonicatus possessionem ipse in inferiori Stallo, & Canonicus Suscioli in priori sederit, cum iste actus tanquam violentus, spoliativus, & qui liti causam dedit attendi non mereatur, nullumque eidem Canonico Suscioli post præstitum jam installationi assensum jus tribuere potuerit, *Posth. de Manuten. observ. 17. num. 44.*, *Rot. cor. Celso dec. 292. n. 3.*, *& in rec. dec. 168. a n. 2. ad 9.*

Denique observat Canonicum Suscioli excipere de jure Tertii; cum non is sit, qui priorem, atque antiquiorem Stallum occupare possit, sed Canonicus Stephanus Celluzzi, qui ratione antianitatis eidem præcedit, quique datam semel fidem ratam habuit. Concludit itaque ex hoc etiam capite multo magis rejiciendam omninò esse oppositionem d. Canonici Suscioli, quia Canonicus Celluzzi, de cujus jure, atque interesse agendum esset, acquiescit.

Episcopus in sua relatione rejectis exceptionibus Canonici Suscioli plenissimè favet Canonico Nesula, & votum suum aperiendo ait = *Quo circa gratiam quam postulat in injunctis precibus, quas EE. VV. remitto mereri videtur, attento etiam diligenti servitio per tot annos eidem Ecclesiæ præstito, nec non impedimento legendi lectiones in Choro, aliisque rationibus EE. VV. expositis.*

Optio definiri vulgò solet jus quoddam, quo antiquiores Canonici propria dimissa Præbenda, aliam vacantem, quæ reservata non est, intra certum tempus eligere, & consequi valent *Monet. de Option. cap. 1. num. 13.*, *Barbos. de Can. cap. 30. num. 1.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 4. tit. 6. num. 1.*. Præstat autem distinguere jus ipsum Præbendæ, quatenus pro titulo Beneficii sumitur, a fructibus ex ea provenientibus, qui nihil Spiritualitatis habent, nisi per quamdam communicationem, & participationem, qua rei Spirituali adhærent *Monet. loc. cit. cap. 7. quæst. 1.* cum aliis.

Quoties itaque Præbenda ita Canonicatui adnexa est, atque ab eo inseparabilis, ut per utrumque fiat unum individuum, tunc optio Præbendæ, tituli etiam optionem, ac mutationem necessario præsefert. Si verò unio Præbendæ cum Canonicatu sit temporalis, & revocabilis, utpotè quia, firmo remanente Canonicatu, ab eo sejungi valeat,

tunc priori Canonicali titulo retento, bona tantum Canonicatus per optionem mutari possunt, *Scarfanton. ad Ceccoper. part. 3. decis. 34. num. 2.*, *& seqq.* Cum itaque in hujusmodi optione non mutetur titulus Canonicatus, sed dumtaxat temporalitas Præbendæ, illud omnino sequitur, quod Canonicus Senior digniorem locum in Choro non amittat *Gonzal. de regul. Cancell. gloss. 34. n. 44.*, *Gigas de pens. quæst. 63.*, *Ceccoper. lib. 2. tit. 3. n. 9.*

Quod si in optione Præbendæ mutari etiam aliquando solet locus, & Stallum in Choro, id tamen non fit ratione novi tituli Canonicalis, quia scilicet locus ille addictus sit Canonicatui, vel Præbendæ, sed ratione antianitatis, quia nempe Canonicus, qui optaverit, ascendit ad Stallum Superiorem, quod occupabat defunctus, non tanquam de juribus Canonicatus, & Præbendæ, sed tanquam de pertinentiis illius, qui uti senior majus Ecclesiæ servitium præstitit, *Rot. cor. Emerix. Jun. dec. 743. num. 14., & 15., Rot. dec. 1385. n. 2. part. 3. Recen.*

Hæc in jure animadvertenda videntur; in facto autem ponderandum quanti habenda sit declaratio Canonici Nesola, qui solemniter protestatus est, non aliter Canonicatus possessionem assequi velle, nisi primum in quo sedebat Stallum retineret, & quanti etiam habendus sit Episcopi, & Capituli consensus, qui prioris Stalli retentionem unanimi suffragio probarunt, & admiserunt. Hisce autem perpensis, videndum,

An sit concedendum Indultum Canonico Francisco Spiridioni Nesula retinendi antiquum Stallum in Choro in casu &c.

Die

Die Sabbathi 28. Julii 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque mox deſcribendæ Cauſæ diſcuti non potuerunt in poſtrema Congregatione habita die 7. currentis Julii; ideoque hodie ab EE.VV. ſapientia cum aliis quatuor, quæ ſubjiciuntur, definitionem expectant.

ALEXANDRINA MISSÆ CONVENTUALIS.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſæ Conventualis, in caſu &c.*

II. *An a dicto onere exemptus ſit Præpoſitus ratione Curæ Animarum, in caſu &c.*

Seſs. 22. Decret. de obſer., & evit. in celebr. Miſs.

Ad I. Affirmative pro reductione applicationis ad omnes dies Feſtos de præcepto, ſatisfactis omnibus oneribus Fundationum juxta Votum Epiſcopi. Ad II. Negativè ad formam Conſtitutionis ſan: me: Benedicti XIV. = *Cum ſemper*.

PISAUREN. JUBILATIONIS.

An ſit concedendum indultum jubilationis, in caſu &c.

Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.

Affirmativè.

ABELLINEN. IRREGULARITATIS.

An ſit concedenda diſpenſatio, in caſu &c.

Seſs. 24. cap. 6. de Reform.

Negativè.

BO-

Sess.25. cap.4. de Reform.

BONONIEN. REDUCTIONIS.

An, & quæ onera, ac legata sint reducenda, & respective omittenda, in casu &c.

Dilata, & scribatur Emo Archiepiscopo pro firmatione status juxta instructionem.

Sess 5. cap.1. de Reform.

SUTRINA STALLI.

An sit concedendum Indultum Canonico Francisco Spiridioni Nesula retinendi antiquum stallum in Choro, in casu &c.

Affirmativè.

Sess.22. Decret. de obser., & evit. in celebr. Miss.

VERCELLEN. REDUCTIONIS. Parochialem Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis Oppidi Messerani Vercellen. Diœcesis san.mem. Pius IV. anno 1561. in Collegiatam erexit, & in ea Præposituram primam Dignitatem instituit una cum sex Canonicatibus, duobus Rectoriis, & binis Ecclesiasticis Beneficiis *Sacristiæ* nuncupatis. In Præposituræ dotem assignavit omnia Parochialia bona, in dotem vero aliorum Beneficiorum perpetuam imposuit pensionem sc. 180 super Prioratus S. Petri fructibus ita partiendam, ut ex ea quilibet Canonicus vigintiquinque, singuli Sacristæ sex, & singuli Rectores præfati quinque scuta anno quolibet perciperent, cum onere, quod tenerentur *in dicta Collegiata Ecclesia continuam, perpetuamque residentiam facere, illique Horas Canonicas, & alia Divina officia celebrando, & cantando laudabiliter, in Divinis deservire, ac Lunæ, & Jovis diebus cujuslibet hebdomadæ super Joannis Philippi defuncti sepultura officium mortuorum pro ejus, aliorumque fidelium defunctorum animarum salute celebrare debeant.*

Neglecta postmodum celebratione, & applicatione Missæ Conventualis, *san.mem. Clemens XIII.* mense Januarii anni elapsi ad preces Capituli annuit pro absolutione quoad præteritum, mandato huic Sacræ Congregationi reductionis arbitrio. Nunc itaque Capitulum reductionem petit dictæ Missæ Conventualis ad solos dies Dominicos, & festos de præcepto, simulque exemptionem a quotidiano Ecclesiæ servitio.

Ad I. inquit, singulorum reditus vix ad annua scuta 41. ascendere, & hæc aliis obnoxia oneribus visitationi-

nis

nis Episcoporum, stipendii Clericorum, & litium pro juribus Ecclesiæ tuendis agendarum: Teneri vero ter quotidie Choro interesse, singulis diebus Missam canere, ac diebus Lunæ, & Jovis Officium Defunctorum pro Fundatore canere, & recitare. Justam ideo urgere causam, ut attenta reddituum tenuitate, & assiduo, ac gravi Ecclesiæ servitio onus Missæ Conventualis ad solos dies festos reducatur.

Hinc ad II. concludit, ob tantam reddituum inopiam imparium ad decentem Capitularium sustentationem, reducendum etiam esse onus quotidiani servitii ad solos dies festos, & Dominicos, ne plus æquo Capitulares gravati existant, & ne Ecclesiæ inservientibus congruum desit stipendium.

Vicarius Capitularis confirmat exposita onera, ac reddituum tenuitatem, precesque judicio EE.VV. submittit.

Sæpius Sacra hæc Congregatio declaravit Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum teneri ad applicandam quotidie pro Benefactoribus in genere Missam Conventualem non obstante quacumque contraria consuetudine quamvis immemorabili, ut in *Squillacen.* 17. *Martii* 1714., *in Camerinen.* 9. *Junii ejusdem anni*, *in Ferrarien.* 18. *Martii* 1719., *in Comen.* 11. *Maji* 1729., *& in Veliterna* 14. *Martii* 1722.. Idemque edixit san.mem. *Benedictus XIV.* in sua celebri Constitutione incipien. *Quum semper* 19. *Augusti* 1754.

Ad occurrendum tamen Ecclesiarum paupertati, & inopiæ idem Benedictus XIV. in citata Constitutione §. *Alio* ita monuit = *Tridentina quidem Synodus Sess.* 24. *cap.* 15. *opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Sacram Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit perspecto ex vestris relationibus rerum statu auctoritate Apostolica a Prædecessoribus nostris eidem impartita, & a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut aliàs, ad festos tantummodo dies reducere.*

Hinc sæpius Sacra Congregatio urgente gravi reddituum tenuitate reductionem Missæ Conventualis ad solos dies festos de præcepto, & Dominicos concessit, ut in *Narnien.* 11. *Junii* 1712., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad* III. *Dubium*, *in Spoletana applicationis Missæ Conventualis* 23. *Junii* 1729., *in Amerina Missæ Conventualis* 12. *Martii* 1746., *& in Ariminen. Missæ Conventualis* 18. *Septemb.* 1751.

Quod vero spectat servitium Chori, Tridentina Synodus generalem legem edixit *obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra*

tre

tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe , ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum Conſtitutionibus , quæ longius ſervitii tempus requirunt ſeſs. 24. cap. 12. de Reform.: Item in literis Apoſtolicis erectionis expreſſe ſtatutum fuit , quod Capitulares tenerentur *continuam , perpetuamque reſidentiam facere , illique Horas Canonicas , & alia Divina officia celebrando, & cantando laudabiliter in Divinis deſervire , ac Lunæ , & Jovis diebus cujuslibet hebdomadæ ſuper Joannis Philippi defuncti ſepultura Officium Mortuorum pro ejus , aliorumque fidelium defunctorum animarum ſalute celebrare debeant .*

At vero Sacra Congregatio ex undique urgentibus cauſis , nempe ex tenuitate Præbendarum , & diſtributionum , nimio aeris rigore , & intemperie , pleniſſimo Canonicorum numero , gravi plurium ætate , & mala valetudine, neceſſitate ſcilicet ſuadente , & cogente , ſervitium per tertiarias , vel ut alternis Choro adeſſent , admiſit , ut in *Auximana* 12. *Julii* 1631. , *in Montis Regalis* 28. *Novembris* 1649., *in Farfen.* 13. *Novembris* 1655., *in Arianen.* 12. *Decemb.* 1696., *in Cathacen. ſervitii Chori* 5. *Septemb.* 1699. , *in Iſernien.* 26. *Junii* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Julii* 1725. , *in Tranen.* 22. *Novembris* 1738. : imo aliquando reductionem ſervitii arbitrio Epiſcopi commiſit , ut in *Vigilien, Decanatus* 23. *Julii* 1729.

Tota itaque inſpectio ex redituum quantitate pendet , an ii nimirum ita ſint imminuti , ut vel æquitas ſuadeat oneris Miſſæ Conventualis reductionem , vel neceſſitas cogat , ut ſervitium Chori ſit aliqualiter minuendum . In Bulla Erectionis in dotem Præpoſituræ aſſignata fuerunt omnia Parochialia bona , in dotem vero Canonicorum , Rectorum , & Beneficiorum impoſita fuit perpetua penſio annuorum ſcutorum 180. ſuper fructibus Prioratus Sancti Petri expreſſa lege , quod *ex ea quilibet Canonicus vigintiquinque , ſinguli Sacriſtæ ſex, & ſinguli Rectores quinque ſcuta anno quolibet perciperent .*

Verum penſio hæc adhuc integra eſt , nullumque ſubiit decrementum , quin imo augumentum habuit ex aucto ſcutorum aureorum intrinſeco valore *Rigant. ad Regul. Cancellar.* 25. *num.* 9. , *Rot. in Vercellen. annuæ præſtationis* 22. *Junii* 1701. *coram Tremoille* . Inveroſimile inſuper eſt per integra duo ſæcula a die erectionis Collegiatæ jam decurſa nihil ex pia fidelium largitione Eccleſiæ , & Capitulo acceſſiſſe , de quo augumento nulla nec in precibus,nec in relatione Vicarii Capitularis mentio habetur .

Ponderandum hinc , an de tali conſtet inopia , ut reductioni Miſſæ Conventualis , & ſervitii Chori locus eſſe debeat: itemque an ſaltem eadem quantitate penſionis integra , & illæſa manente , nullaque nova urgente , ac impellente cauſa, reducendum ſit quotidianum onus in literis erectionis præſcriptum .

Per-

Perpendendum demum, an alicui reductioni Miſſæ Conventualis locus eſſe debeat ob expreſſam erectionis legem, quæ ita ſe habet = *ac Lunæ, & Jovis diebus cujuslibet hebdomadæ ſuper Joannis Philippi defuncti ſepultura Officium Mortuorum pro ejus, aliorumque fidelium defunctorum animarum ſalut celebrare debeant.*

Emi Patres, qua ſplendent, doctrina, ac rerum Eccleſiaſticarum peritia, dignentur reſpondere.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſæ Conventualis, in caſu &c.*

II. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris quotidiani ſervitii Chori, in caſu &c.*

Non propoſita cum ſequentibus.

MAJORICEN. REDUCTIONIS. Perantiquum extat in Cathedrali Eccleſia Majoricen. Beneficium a pia Muliere Petronilla Bach anno 1498. ad Altare S. Petri erectum: Ignoratur porrò, qui fuerint aſſignati reditus, quæve onera impoſita; ex viſitatione tamen initio præteriti ſæculi ab Epiſcopo tunc temporis peracta, habetur, Beneficiatum deſignaſſe reditus ex fructibus Cenſuum aſcendentes ad libras 18., ſolidos 5., & denarios ſex monetæ Majoricen., conſtituentes ſcuta 12. 6. circiter monetæ Romanæ: Onera verò indigitaſſe, unius ſcilicet Miſſæ qualibet hebdomada celebrandæ, cum Reſponſorio poſt Miſſam ſupra Teſtatricis tumulum recitando, nec non ſolutionis librarum quinque Arcæ Anniverſariorum Cathedralis Eccleſiæ ſingulis annis præſtandæ. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Succeſſu verò temporis, ob judiciorum ſumptus, Beneficiatorum incuriam, aliaſque cauſas, Beneficii reditus adeo ſunt imminuti, ut vix hodie ſuperſit ſumma librarum trium, & ſolidorum 17., quæ ſcutis 2. & obul. 54. monetæ Romanæ reſpondet; Quare Subdiaconus Bartholomæus Quetgles hodiernus Beneficii Poſſeſſor onerum reductionem efflagitat.

Inquit exiguam ſummam librarum trium, & ſolidorum 17. quæ ex beneficio retrahitur, ne ſatis quidem eſſe pro annua præſtatione Arcæ Anniverſariorum Cathedralis perſolvenda, pro qua ipſe de proprio obulos 76. ſingulis annis ſupplere tenetur. Miſſas verò 52. totidemque Reſponſoria gratis omnino eſſe adimplenda. Infert proinde hujus oneris reductionem omnino concedi oportere. Abſque eo quod ratio habenda ſit de annuis diſtributionibus ſcutorum cir-

citer 40., quas quilibet Beneficiatus percipit ob assistentiam, quam occasione Anniversariorum Ecclesiæ Cathedrali præstat, cum distributiones hujusmodi sint præmium residentiæ, & diurni laboris, nullamque cum dote Beneficii connexionem habeant, sed a diversis institutionibus, aliisque piorum Fundatorum largitionibus constituantur.

Episcopus Majoricen. expositа confirmans, & præcisè loquens de distributionibus ait = *Quapropter cum istæ non solum partem suorum fructuum constituant, sed etiam in prædictas distributiones vertantur fructus antiquorum Beneficiorum, licet a suis respectivis Fundatoribus non dimanent, attamen tanquam accessorii dotationis, quam stabilierunt, eandem videntur induere naturam, & partem oneris, quo illa gravata fuit, sustinere* = Deinde postquam retulit Beneficii reditus absque ulla Oratoris culpa fuisse imminutos, addiditque pensionem Arcæ Anniversariorum Cathedralis præstandam reductionem non pati, sic tandem suam aperit sententiam = *Meum est hoc judicium hac in re: Omnibus attentis circumstantiis, quæ ad expostulantis petitionem occurrunt, ipsum & Missarum, & a Responsoriorum obligatione liberum esse declarandum ob totalem dotis extinctionem, & propter utilitatem, quæ ex perceptis ex residentia distributionibus fruitur, gravari posse duarum, triumve Missarum celebratione.*

Quando de onerum reductione ob redituum tenuitatem agitur recepta communiter distinctio est inter onus *per contractum*, & *per ultimam voluntatem*, cum in primo casu nunquam reductio indulgeri soleat, in secundo verò inquiritur, num bona *taxativè*, ut ajunt, vel *demonstrativè* relicta fuerint. Inutile profectò esset de hoc fusius disserere, cum pluries ea de re actum fuerit in Sac. Congregatione, recentius verò in folio Causæ, cui titulus *Calceaten. Reductionis* die 16. elapsi mensis Junii, ubi latè res expenditur.

Inspiciendæ proinde diligenter sunt fundationes. In præsenti casu cum fundatio deficiat, videndum, quanti habenda sit depositio Subarchivarii, asserentis, Petronillam Fundatricem in sui, suique Patris, & Viri suffragium pensionem Arcæ Anniversariorum, & Missas cum Responsoriis reliquisse, ut inde inferri valeat, quo modo, quave ratione legatum fuerit relictum.

In reductionibus concedendis cavit semper Sacra Congregatio, ne redituum imminutio culpa, & facto Beneficiati acciderit, ut in *Romana Reductionis* 7. *Februarii* 1756.. Insuperque alia potius onera, quam Missarum numerum reducendum censuit, dummodo unus, idemque fundus omnibus implendis oneribus fuerit a Testatore relictus, ut in *Lunen. Sarzanen.* 15. *Maji* 1728., aut aliunde certò non con-

conſtet Teſtatorem, de Sacrificiis æque, ac de aliis piis operibus fuiſſe ſollicitum, vel alia potius pia opera adimpleri, quam Miſſas celebrari optaſſe, *Fagnan. in cap. Ex parte de conſtit.*, & docuit *ſan. mem. Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib. 13. cap. ult. num. 23.*

Duo itaque in hac Cauſa ponderanda præcipue ſunt: Primum eſt, an totum id, quod ex Beneficio ſupereſt, tres nempe libræ, & obul. 17. reſpondentes ſcutis 2. & obul. 54. monetæ Romanæ aſſignari debeat pro celebratione Miſſarum cum Reſponſoriis, ſeu pro penſione Arcæ Anniverſariorum ſolvenda; itaut unum potius, quam aliud onus ad ratam fructuum Orator adimplere teneatur. Alterum verò, an diſtributiones, quas pro Anniverſariis *Beneficii cauſa, & ob inceſſantem reſidentiam*, ut ait Epiſcopus, in annuis ſcutis 40. circiter Orator percipit, poſſint ſpectata earum natura in partem redituum Beneficii comprehendi, itaut onerum ſatisfactioni obnoxiæ cenſeantur.

His omnibus maturè perpenſis, decernent EE. PP. *An, & quomodo ſit locus reductioni, in caſu &c.*

CAMERINEN. Marcus Antonius Zocchi in teſtamento, quod condidit anno 1747. inſtitutis hæredibus Maria Angela Sorore, & Quirico Antonio Diondi Leviro poſt utriuſque obitum juſſit *ut ex reditibus ſuæ hæreditatis celebrarentur tante Meſſe alla ragione di un giulio per Meſſa nell' Altare della Cappella della Madonna di Loreto di Sarnano in ſuffragio tanto della ſua anima, quanto de ſuoi*; Et ſicuti quæ ad eoſdem ſcriptos hæredes pertinebant, donationis jure provenerunt ad Conjuges Antonium Agoſtini, & Joannem Baptiſtam Merli, ita ad hos quoque pervenerunt bona hæreditaria dicti Teſtatoris, quorum reditus in tot Miſſarum celebrationem ſunt erogandi. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Tum ob horum redituum tenuitatem, tum etiam ob æs alienum, quo hæreditas gravata erat, petierunt memorati Conjuges ut omnia eadem bona hæreditaria ſibi concederentur cum onere extinguendi integrum æs alienum, & ut certus Miſſarum celebrandarum numerus ab EE. VV. præfiniretur. Propoſitis autem precibus in Congregatione *diei* 17. *Junii anni elapſi* dilata reſolutione, id conſilii captum fuit, ut Epiſcopo ſignificaretur = *mentem eſſe, ut quæ ab Oratore oblata eſt Miſſarum celebratio unica vice abſolvatur, ſeu potius ut ſacrum aliquod in expiationem animarum legantium, & diſponentium perpetuo celebretur; quo in puncto an peculiaris fundi aſſignationem, vel annuam pecuniarum præ-*

ſtationem ab Oratore faciendam magis ex re futurum, aut expedire judicaverit exponere non prætermittet. Tandem EE. PP. tametſi exactam firmationem ſtatuum hæreditariorum ſingulorum diſponentium minime requirant, folia tamen, quæ a Vicario Foraneo Terræ Sarnani deſuper exarata ſunt tranſmitti volunt. Viden. folium ejus diei, in quo integra facti ſpecies exhibetur.

Epiſcopus tranſmiſit folia Vicarii Generalis, votumque aperiens inquit opportunius eſſe Oratores gravare certa annua pecuniarum præſtatione pro perpetua Miſſarum celebratione, *cum in præfata annua pecuniarum præſtatione ab EE. VV. præfigenda, & ab Oratore promittenda nedum ſub generali hipotheca omnium ſuorum bonorum, verum etiam ſub altera ſpeciali ſuper bonis hæreditariis quondam Marci Antonii Zocchi eidem aſſignandis neque annuorum redituum incertitudo, neque Adminiſtratoris infidelitas, neque expenſarum incomodum timeatur.*

Ex tranſmiſſis autem foliis conſtat, integrum hæreditatis valorem ad ſexcenta ſcuta circiter aſcendere, ejuſque fructus annua ſcuta 25. circiter pertingere. Habetur quoque Oratores eſſe Creditores hæreditatis in ſumma ſc. 219. probata publicis inſtrumentis, & receputis ſolutionum factarum in ſolutionem æris alieni, quod ad eamdem hæreditatem pertinebat. Gravata eſt adhuc hæreditas tam cenſu in ſorte ſcutorum 130., tam etiam onere perpetui anniverſarii, & miſſarum 300. intra terminum decem annorum celebrandarum.

Nunc itaque idem reproponitur dubium, ut EE. Patres aſſueta juſtitia, & æquitate dijudicent.

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Seſſ. 22. cap. 14. de Reform.

COMEN. BENEFICII. De Præbenda Magiſtrali, & Coadiutoriali erecta in Oppido Bellinzonæ, deque perſonis ad eam præſentandis actum eſt in Congregatione diei 31. elapſi menſis Martii, quo die duobus propoſitis dubiis =, I. *An ad Beneficium Communitatis Bellinzonæ, de quo agitur, ſit præſentandus Sacerdos actu, ſeu potius conferri poſſit ſimplici Clerico in caſu &c.* II. *An ſuſtineatur electio facta in perſonam Clerici Defendentis Molo, ita ut danda ſit eidem inſtitutio in caſu &c.* = reſcriptum fuit = Ad I. *Præſentandum eſſe Sacerdotem actu idoneum, & in ejus defectu eum, qui infra annum poſſit promoveri ad Sacerdotium, & iis omnibus deficientibus etiam ſimplicem Clericum.* Ad II. *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.* = Præſtat benigne reſu-

ſumere folium præcedentis Congregationis *dici* 10. *ejuſdem Menſis*, ubi cauſæ ſtatus fuſius exponitur.

Beneficio autem novæ Audientiæ ſuper reſolutis certamen iterum inſtituit Clericus Molo, novis prolatis argumentis, præſertim circa exiſtentiam utriuſque Præbendæ Magiſtralis, & Coadiutorialis, quarum prima in præterita propoſitione relata, fuerat jam extincta. Juvat itaque in facto animadvertere, Conſilium Communitatis Bellinzonæ evocatis è Germania anno 1649. Patribus Societatis Jeſu, Collegium ab iis regendum ad uſum Scholarum erexiſſe cum aſſignatione annuorum ſcutorum 500., comprehenſis reditibus Præbendæ Magiſtralis, ſeu Scholaſticæ ſupprimendæ, dictoque Collegio applicandæ. Inter cæteras verò conditiones, quibus aſſignatio hujuſmodi peracta fuit, ea notatu digna eſt, qua ita cavetur, ut *quotieſcumque eveniret, quod dd. RR. PP. in hujuſmodi Collegio . . poſt adeptam illius poſſeſſionem amplius in eo reſidere nollent . . dicta Beneficia Scholaſticæ, S. Mariæ &c. una cum eorum bonis, & juribus in priſtinum ſtatum reducta cenſeantur, itaut Patroni ex eis diſponere poſſint, non ſecus ac ante præſens Inſtrumentum poterant.*

Poſt moram annorum 26. evenit receſſus PP. Societatis Jeſu ab eodem Loco, & Nuntius tunc temporis Apoſtolicus apud Helvetios, Bellinzonam miſit nonnullos Monachos Ordinis S. Benedicti Monaſterii B. Mariæ d'Einſidlen, qui illud regerent, & humaniores Litteras, non tamen Grammaticæ rudimenta, pueros docerent. Hanc ob rem anno 1675. iidem met reditus fuerunt aſſignati Monachis, qui ad hæc uſque tempora Pueros, & Adoleſcentes Bellinzonæ inſtruunt.

Hæc de Præbenda Magiſtrali. Præbenda verò Coadiutorialis in eodem ſemper collativo ſtatu perſtitit, firmoque præſervato apud ejus Poſſeſſorem onere docendi Grammaticæ rudimenta, ademptum eidem tantum fuit onus coadiuvandi Ludimagiſtro, quum iſtius Officium quoad humaniores Litteras fuerit translatum in Monachos Benedictinos. Verum immutatis deindè ob temporum calamitates ejuſdem Coadjutorialis Præbendæ reditibus, Communitas Bellinzonæ ex propriis bonis merè Laicalibus eos auxit, obtinuitque a ſa. mem. Clementis XI., ut ea Beneficium manuale, & ad nutum amovibile conſtitueretur, quemadmodum in præcedenti folio relatum eſt.

Hiſce autem in facto prænotatis, ſuſtinet Clericus Molo habendum præ oculis ſemper eſſe, hic agi de Præbenda *Coadjutoriali*, non autem de *Magiſtrali*, quæ ſub nomine Præbendæ *Scholaſticæ*, unita olim fuit Collegio, cui nunc Monachi Benedictini, prius verò Religioſi Societatis Jeſu præerant. Nec referre, quod in Brevi Clementino Præben-

benda Magiſtralis nuncupetur *Beneficium manuale, & ad nutum amovibile*, cum id eveniſſe aſſerat ex errore Epiſcopi, qui in Litteris ad Sac. Congregationem datis anno 1719. opinatus eſt, duplicem Præbendam Magiſtralem a D. Carolo fuiſſe inſtitutam. Conſtare autem ex iiſdem Litteris, unam ex his Præbendis, quæ Sacerdotalis eſt, ac pinguior, & verè, ac proprie magiſtralis, prædicto Collegio fuiſſe olim unitam, alteram verò, quæ abuſivè Magiſtralis nuncupata eſt, & a D. Carolo inſtituta, ac Præbenda Coadiutoralis appellata, in Statu collativo, ut antea manſiſſe.

Hoc autem ſublato æquivoco, contendit tum Juris diſpoſitionem, tum Litteram fundationis ſuadere receſſum a præcedenti reſolutione. Nam ex jure dici non poteſt Præbenda actu Sacerdotalis, quoties Miſſarum onus per alium adimpleri permittitur, prout permiſſum fuit in erectione Præbendæ, de qua agitur. Fundatio verò non præſcribit, ut in actu præſentationis gradualis Ordo ſervetur, præſentandi ſcilicet actu Sacerdotem ſi idoneus exiſtat, deindè eum, qui intra annum promoveri poſſit ad Sacerdotium, ac tandem in utriuſque defectum etiam ſimplicem Clericum, ſed tantum decernit, ut *Coadiutor quoque ſit Sacerdos, vel intra anni Curriculum ad illam Dignitatem promovendus*. Advertit enim, dictionem illam alternativam *vel* vi ſua importare, ut exercitium Præbendæ adimpleri poſſit tam a Sacerdote, quam ab eo, qui infra annum promoveri poſſit *Rot. deciſ.* 136. *num.* 20. *part.* 9. *deciſ.* 153. *num.* 25. *part.* 11. *Recen.*, *& in Melevitana Beneficii* 12. *Martii* 1759. *§. fin. cor. Olivatio*.

Perperamque opponi dicit, Præbendam Magiſtralem temporis decurſu periiſſe, in ejuſque locum Præbendam Coadiutorialem fuiſſe ſuffectam. Reſpondet enim ſatis conſtare de illius exiſtentia ad hodiernam uſque diem, deque ejus unione facta Collegio Monachorum S. Benedicti pro Scholarum exercitio. Negat, Præbendam Coadjutorialem per Breve ſa. mem. Clementis XI. fuiſſe reformatam. Ac denique contendit canonicam fuiſſe ſuam electionem majori ſuffragiorum numero peractam, proindèque nonniſi injuria ſuam inſtitutionem poſſe præpediri: Præſertim cum tempore habili productus fuerit actus electionis, ſeu nominationis coram Vicario Generali, qui illum admiſit, ut proindè nominatio hujuſmodi vim veræ, ac perfectæ præſentationis acquiſierit *Piton. de controv. Patron. alleg.* 60. *num.* 2., *& alleg.* 6. *num.* 10., *Rot. coram Falconer. de Jurepatr. deciſ.* 15. *ſub num.* 7., & *deciſ.* 59. *num.* 2.. Nec amplius poſſe Patronos tollere jus ad Beneficium jam plenè quæſitum *Garz. de Benef. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 214., *Rot. coram Molin. dec.* 1031. *num.* 11., *& cor. Criſpo dec.* 335. *num.* 13.

Præ-

Præſtat in hac cauſa diligenter primo loco perpendere verba fundationis utriuſque Præbendæ Magiſtralis ſcilicet, & Coadiutorialis. Quoad Præbendam Magiſtralem Statutum legitur, ut *ejus Poſſeſſor, nempè Ludi Magiſter pro tempore exiſtens ſit in Sacerdotali dignitate conſtitutus*: Quo verò ad Coadiutorialem decernitur, ut *Coadiutor quoque ſupradictus ſit Sacerdos, vel intra anni curriculum ad illam Dignitatem promovendus: Si verò non erit Sacerdos, ſit ſaltem in aliquo Ordine Eccleſiaſtico conſtitutus, dictaſque Miſſas per alium ſuis ſumptibus celebrare faciat.*

Inquirendum præterea, an Præbenda Magiſtralis, ſeu Scholaſtica ita dilapſa ſit ut non amplius exiſtat, & num in ejus locum Præbenda Coadjutorialis ſucceſſerit. Qua quidem in re animadvertere oportet, cæteros inter reditus anno 1649. Patribus Societatis Jeſu aſſignatos, ut ſcholas ſaltem Grammaticæ, humaniorum litterarum, & Rethoricæ aperirent, recenſeri *fructus, & reditus Beneficii Scholaſticæ ab ipſis Regentibus, & univerſitate fundati ſumma ſcut.* 200. *annuorum, quod eſt de jurepatronatus eorumdem, quod ſupprimendum ſperant ex ipſius Illmi D. Epiſcopi benignitate, & auctoritate.*

Ejuſdem quoque Beneficii *Scholaſticæ* fit mentio in decreto Epiſcopi Comen., qui dictos reditus Collegio applicavit, in eoque decreto exprimitur *onus celebrationis Miſſarum beneficii d. Scholaſticæ*. Poſt receſſum verò PP. Societatis Jeſu, ſuffecti fuerunt Monachi Benedictini, cum eadem redituum aſſignatione, nempe *i beni, e Capitali provenienti da redditi della Scolaſtica*. Epiſcopus etiam Comen. in ſuis litteris anno 1719. ad hanc Sacram Congregationem datis, retulit, primum, & pinguius Beneficium ſuppreſſum fuiſſe, *ejuſque reditus aggregatos hoſpitio RR. Monachorum Ordinis S. Benedicti Monaſterii Enſildenſis*; Idque ipſum narravit Communitas Bellinzonæ in ſupplici libello eodem anno Sac. Congregationi exhibito. Videndum itaque an Præbendæ Magiſtralis exiſtentia ita dilucidè ex his omnibus eruatur, ut cum Præbenda Coadiutoriali confundi non debeat.

Ponderandum denique an vigore Brevis ſa. mem. Clementis XI. alia qualitas inducta fuerit Præbendæ Coadiutoriali, eaque nedum manualis, ſed etiam Sacerdotalis effecta. Anno 1718. Communitas Bellinzonæ nil aliud a Summo Pontifice efflagitavit, niſi ut Beneficium inferioris reditus, (alterum enim pinguius Beneficium ſuppreſſum jam fuerat, & hoſpitio Monachorum S. Benedicti aſſignatum) *a perpetuo, & collativo ad Mercenarium, & manuale reduceret*. Sacra autem Congregatio, cui preces remiſſæ fuerant, *die* 2. *Decembris* 1719., *cenſuit, ſi ſanctitati ſuæ placuerit, per ſuas litteras Apoſtolicas in forma Brevis eidem*

Epi-

Episcopo committi posse, ut veris existentibus narratis, supradictum Beneficium de perpetuo in manuale, seu ad nutum amovibile cum superius oblato augumento redituum, firmo semper remanente jurepatronatus favore Communitatis Oratricis ad præmissum effectum pro suo arbitrio, & conscientia gratis commutet.

His itaque maturè perpensis, resumptoque folio, & juribus distributis pro Congregatione *diei* 10. *Martii proximè præteriti*, Emi PP. definient.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. *Auguſti* 1770. *in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.*

PRæter Cauſas, quæ ex præcedenti Congregatione decidendæ ſuperſunt, aliæ in præſenti adjiciuntur, ut accurata jurium diſquiſitione, juſtitiæ complementum unicuique tribuatur.

VERCELLEN. REDUCTIONIS.

Seſs. 22. *Decret. de obſer., & evit. in celebr. Miſs.*

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris Miſſæ Conventualis, in caſu &c.*

II. *An, & quomodo ſit locus reductioni oneris quotidiani ſervitii Chori, in caſu &c.*

Ad I., & II. Negativè.

MAJORICEN. REDUCTIONIS.

Seſſ. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

An, & quomodo ſit locus reductioni, in caſu &c.

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.

CAMERINEN.

Seſs. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

An, & quomodo Oratoris precibus ſit annuendum, in caſu &c.

Affirmativè juxta Votum Epiſcopi, & ad mentem. Mens eſt, quod conficiat minutam Tranſactionis præfixo numero Miſſarum celebrandarum ex diſpoſitione Marci Antonii Junioris, & tranſmittat.

Sess.22. cap.14. de Reform.

COMEN. BENEFICII.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In Decisis, & amplius.

Sess.24. cap.12. de Reform.

LEODIEN. Qua die Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ Virginis Tungrensis placuit, ut inquireretur de natura, & indole Vicariorum ejusdem Collegiatæ, de servitio ab iis præstando, de participatione emolumentorum ipsis debita, deque jurisdictione a Capitulo in eosdem competente, curarunt contra Vicarii, ut declararetur, quibus horis Canonici tenerentur Choro interesse, & canere Divina Officia, quibusque remediis, si deessent, cogendi forent. Omnia quæstionum capita in duodecim dubia dispertita fuerant, iisque sapienti EE. VV. judicio subjectis in Congregatione *diei* 12. elapsi mensis Maij, tametsi priora decem dubia, quæ Vicarios respiciebant, æquissimo definita fuerint responso, nihilominus quoad duo posteriora a Vicariis contra Canonicos proposita, his resolutioni mordicus contradicentibus, rescriptum fuit = *Ad XI.*, *& XII.* = *Dilata, & proponantur in mense Augusti etiam unica.*

Jussu proinde EE. VV. eadem dubia hodierna die reproponuntur: & nihil adhuc deducentibus Canonicis, e converso Vicarii præter ea, quæ relata sunt in præcedenti folio, opportunè nunc resumendo, animadvertunt ad illorum primum, toto jure caveri, ne Canonici materialem tantum Choro exhibeant præsentiam, sed Divina etiam peragant Officia, Psalmosque concinant, & Hymnos. Id autem, ut luculentius ostendant, præter *Text. in Leg.* 42. *§.*10. *Cod. de Episcop., & Cleric.* allegant Concilium Aquisgranense sub Stephano PP. V. celebratum anno 816. in *cap.*31., Synodum Basileensem *sess.* 21. *cap.* 3., decretum Concilii Thenonensis anni 1528. *can.*18.; & Synodum Colonienſem anno 1536. sub Paulo III. celebratam *part.*3. *cap.*5., in quibus omnibus statuitur, ut quisque non muto ore, clausisque labiis, sed in Hymnis, Psalmis, & Canticis modulando Ecclesiæ debeat inservire, suumque officium adimplere.

Hæc autem, quæ Concilium Tridentinum præcesserunt, majus robur acquisivisse dicunt, postquam a Tridentino præscriptum legimus *sess.*24. *cap.*12., ut unusquisque obire debeat *onus residendi, & canendi reverenter, distincte, ac devotè in Choro per se, & non per Substitutos, non obstante quolibet Statuto, aut consuetudine.* Hinc coherenter ad hanc Tridentini dispositionem, onus interessendi, & canendi injun-

injunctum fuisse a Concilio Primo Mediolanensi *part.* 2. *cap.* 38., a Concilio Cameracensi biennio post absolutam Tridentinam Synodum celebrato anno 1569. *tit.* 6. *cap.* 7., a Synodo Andomarensi anni 1583. *tit.* 12. *cap.* 6., & a Concilio Mechliniensi anni 1607. *tit.* 12. *cap.* 2.. Recentius verò in Constitutione 35. S. Pii V., & nuper a san.mem. Benedicto XIV. in Constitutione *Cum semper*, in qua §. 8. decernitur = *Canonicos Choro quidem intereſſentes, aſſiſtenteſque, minimè verò canentes, pſallenteſque nullo pacto ex Præbendis, & diſtributionibus facere fructus ſuos, atque adeo reſtitutioni obnoxios eſſe, & fore.*

Neque objici posse existimant contrariam consuetudinem, aut Statuta, cum hæc a Conciliis, & Summis Pontificibus sublata fuerint, nulliusque roboris declarata. Consuetudinem verò deletam fuisse a Conciliis Belgicis, Aquisgranensi, & Colonienſi, præcisius verò ab ipsis Ecclesiæ Tungrensis Statutis anno 1248. a Præposito Mevo Aldo digestis. Cæterum qualecumque sit ejusdem Ecclesiæ Statutum, sustinent illud non esse attendendum, tum quia a Sede Apostolica non confirmatum, tum etiam quia utpote Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino contrarium reprobatum fuit a *Rota in Leodien. Præpoſituræ Tungren.* 19. *Januarii* 1650. §. 3. *ad* 9. *coram Otthobon.*, inter ejus impressas 222.. Immo plura hujus generis Statuta rejecta expresse fuisse anno 1536. a Synodo Colonienſi *part.* 3. *cap.* 19.

Ad alterum verò dubium, quo quæritur de modo cogendi Canonicos ad interessendum, divinasque laudes canendas, asserunt, pœnam iis, qui defecerint, jam fuisse præfinitam a Concilio Tridentino *ſeſs.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.*, ubi statuitur, ut prius, dimidia parte fructuum Præbendæ priventur, deinde fructibus omnibus careant, ac demum crescente contumacia ad privationem quoque tituli procedendum sit, qualibet sublata consuetudine, & Statuto omnique sepositа collusione, & remissione, quas a Concilio exclusas prorsus fuisse declaravit san. mem. Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſ.* 107. *num.* 42.. Addunt, præsentes in Choro, sed nullo modo, aut submissa tantum voce canentes, tanquam absentes esse coercendos, ut habetur *ſeſs.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.*

Denique advertunt, quod sicuti in Collegiata Ecclesia Tungrensi distributiones admodum tenues sunt, ut idcirco negligi contingat, ita ne hac de causa desides Canonici fiant in suis adimplendis oneribus, adhibendum esse remedium a Tridentino præscriptum *ſeſs.* 21. *cap.* 3. *de Reformat.*, quod scilicet tertia pars fructuum pro distributionibus constituatur. Hoc ipsum remedium adhibitum fuisse anno 1668. in Collegiata Ecclesia Oppidi Thorensis, Diœcesis pariter Leodiensis, a Nuntio Apostolico, dum illius Collegiatæ

Visitationem ageret. Concludunt itaque discedendum in præsenti casu non esse a Conciliari dispositione, quæ in eadem met Diœceli jam fuit exequutioni demandata.

Perseverante adhuc Capitulo in sua contumacia, viderint EE. PP. ex iis, quæ pro parte Vicariorum tum in præcedenti folio deducta sunt, tum in præsenti animadvertenda proponuntur, quid respondendum, dum quæritur

XI. *An, & in quibus horis Canonici teneantur interesse, & canere in Choro Divina Officia una cum Vicariis, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

XII. *An, & quibus remediis, & a quo sint cogendi in casu defectientiæ, in casu &c.*

Dilata, & coadjuventur probationes juxta mentem.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

CONSTANTIEN. DECIMARUM. Jamdiu Monasterium, & Abbas Salemitanus Ordinis Cistercienlis evadere studeant solutionem Decimarum ex Novalibus Agrorum in Nusdorff, & Burnau Parochiæ Seelfendensis, quas Transactio anni 1581. post aliam vetustiorem, Cubiculo Cathedralis Ecclesiæ Constantiensis adscripserat. Cum autem Capitulum ad suum tuendum jus decimandi S. Congregationis auctoritatem imploraverit, proposito dubio = *An, & in qua summa debeantur Decimæ ex Novalibus Agrorum in Nusdorff, & Burnau Parochiæ Seelfendensis in casu &c.* = *Die 16. Decembris anni elapsi*, responsum fuit = *Affirmativè ad formam Transactionis anni* 1581. = Beneficio novæ Audientiæ potestas facta est Succumbentibus oppugnandi hujusmodi resolutionem, sed in nova istius Causæ propositione, quæ habita est *die* 28. *præteriti mensis Aprilis*, quanta virium contentione Capitulum pro illius confirmatione instetit, tantundem Monasterium, & Abbas Salemitanus pro dilatione supplicarunt. Non dedignatæ sunt EE. VV. preces benignè excipere, & dilationem ad hodiernam usque Congregationem impertiri, edito rescripto = *Dilata, & proponatur in prima mensis Augusti etiam unica*.

Nunc itaque de viribus captæ resolutionis quærendum est imperio EE VV., cumque ex parte Monasterii, & Abbatis Salemitani nil quidquam fuerit hactenus deductum, supereft, ut resumpto folio *diei* 16. *Decembris*, in quo causæ status, & merita fusius recensentur, dijudicent

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

CON-

CONSTANTIEN. JURISDICTIONIS. De turbata ab Abbate Monaſterii Salemitani Ordinis Ciſtercienſis juriſdictione ſuper Monaſteria Monialium, Perſonas, ac Loca eiſdem ſubjecta, conqueſtus eſt Eminentiſſimus Cardinalis de Rodth Epiſcopus Conſtantienſis, qui ſingula quæſtionum capita in XXVI. dubia diſpertita Sac. Congregationi ſubmiſit *die* 28. *elapſi menſis Aprilis*. Verum Abbas Salemitanus totus tunc fuit in poſtulanda dilatione, quæ ad hodiernam uſque diem fuit benignè impertita, prævio reſcripto = *Dilata, & proponatur in prima menſis Auguſti etiam unica* = Parendo igitur EE. VV. mandatis Cauſa reproponitur, Abbate nihil uſque adhuc deducente; Quare eadem dubia cunctas controverſias complectentia denuò diſcutienda proponuntur, quæ proſtant in folio *diei* 31. *præcedentis menſis Maji*, pro cujus reaſſumptione EE. PP. rogantur, cum in eo quidquid ad unumquodque dubium animadvertendum occurrat, recenſeatur, ad hoc ut EE. VV. eorum perſpecta Sacrorum Canonum peritia definiant *Seſs.* 24. *cap.* 11. *de Reform.*

I. *An Epiſcopus Conſtantienſis, ejuſque Vicarius Generalis poſſint inhibere Abbati, & Monachis Abbatiæ Salemitanæ, & quibuſcumque aliis Regularibus Ordinis Ciſtercienſis, ne ſine prævia, & ſpeciali ejus approbatione excipiant Confeſſiones Monialium in Diœceſi Conſtantienſi exiſtentium, illarumque etiam, quæ ejuſdem ſunt Ordinis? in caſu &c.*

II. *An quilibet Confeſſarius tam ordinarius, quam extraordinarius ſemel, vel pluries a Superiore Regulari pro tempore deputatus, vel deputandus ad audiendas Confeſſiones Monialium cujuſdam Monaſterii Ordinis Ciſtercienſis, teneatur novam approbationem ab eodem Ordinario petere, & impetrare quoties eumdem, vel ad aliud, vel ad idem interpellato tempore contigerit deputari? in caſu &c.*

III. *An poſſit Ordinarius Conſtantienſis admonere tam mediatos, quam immediatos Monialium Superiores, ut amoveant Confeſſarios, atque Adminiſtratores Bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium pro tempore deputatos, ſeu deputandos? in caſu &c.*

IV. *An Superiore Regulari, vel alio quocumque, ad quem pro tempore ſpectat, negligente deputare bis, aut ter anno quolibet Confeſſarios extraordinarios Monialium, eos deputare valeat Epiſcopus Conſtantienſis? in caſu &c.*

V. *An eidem Ordinario Conſtantienſi, ſalvo jure Advocatiæ favore illorum, quibus competit, liceat petere rationes Adminiſtrationis Bonorum Monaſteriorum Monialium Ordinis Ciſtercienſis? in caſu &c.*

VI. *An eidem Ordinario Conſtantienſi competat jus intereſſendi, & præſidendi electioni Abbatiſſarum ejuſdem Ordinis? in caſu &c.*

VII. *An eidem Ordinario Conſtantienſi competat jus explorandi voluntatem Puellarum tam ad Habitum, quàm ad Profeſſionem in Monaſterio ſæpedicti Ordinis? in caſu &c.*

VIII. *An*

VIII. *An Capellæ ab Ecclesia Monasteriali separatæ, & distinctæ, atque sive per se stantes, sive Domibus, & Arcibus jure proprietatis ad Monachos Salemitanos pertinentes, apud quas tamen, vel nulli residentRegulares, vel nonnisi unus, aut duo, illique solummodo ad curandas res Dynastiales, aut Oeconomicas, & publicum habentes accessum, sint cum ipsis Domibus, aut Arcibus a Parochorum, intra quorum Districtus situantur, & Episcopi jurisdictione exemptæ? in casu &c.*

IX. *An Officiales Laici, Domestici, Famuli, & Coloni, qui extra septa Monasterii, vel Clausuræ degunt, exempti sint a jurisdictione Episcopali, & Parochiali, itaut teneantur a Parocho recipere Sacramenta omnia, & præsertim Matrimoniorum? in casu &c.*

X. *An iidem Officiales, Domestici, & Famuli teneantur servare Festa tam ab Episcopo præscripta, quàm consuetudine recepta, iisque diebus ab operibus servilibus æquè, ac ab omni strepita judiciali abstinere? in casu &c.*

XI. *An iidem Officiales, Domestici, & Famuli teneantur interesse supplicationibus ex causis ab Episcopo præscriptis? in casu &c.*

XII. *An cum eisdem Officialibus, Abbas Salemitanus in jejunio dispensare, vel si Episcopus dispensaverit, eosdem ad jejunium obligare possit? in casu &c.*

XIII. *An præfatus Abbas iisdem Officialibus &c, pro lucrando Jubilæo aliud tempus, quam Episcopus præscripserit, determinare valeat? in casu &c.*

XIV. *An sæpefatus Abbas Monialibus sui Ordinis pro lucrando Jubilæo speciale tempus determinare valeat, seu potius tempori ab Episcopo determinato in tota Diœcesi se conformare debeat? in casu &c.*

XV. *An Abbas Salemitanus Causas Matrimoniales sæpedictorum suorum Officialium, Domesticorum, Famulorum, & Colonorum decidere valeat? in casu &c.*

XVI. *An eidem Abbati Salemitano respectu eorumdem suorum Officialium &c. competat titulus Ordinarii? in casu &c.*

XVII. *An si Episcopus quemdam ex hisce Officialibus, Famulis, & Domesticis in quacumque Causa Ecclesiastica ad suum Tribunal citaverit, is comparere debeat, alias cogi possit, quibuscumque necessariis juris remediis? in casu &c.*

XVIII. *An si Episcopus, vel ejus Curia indigeat testimonio jurato alicujus Subditi Sæcularis Monasterii Salemitani, & Monialium ejusdem Ordinis possit hunc propria auctoritate ad suum Tribunal citare, & reluctantem quoque per censuras compellere? in casu &c.*

XIX. *An Domus, Capellæ, Arces proprietatis jure ad Monasterium Salemitanum pertinentes, in quibus tamen, aut nullus, aut unus dumtaxat, alterve Religiosus, & quidem in ordine tantum ad administranda Negocia temporalia, & Dynastialia resi-*

resident, gaudeant exemptione ipsi Monasterio Salemitano concessa? in casu &c.

XX. *An Religiosi in his Domibus, Arcibus sic, ut præmittitur, expositi subsint jurisdictioni Parochi &c.; itaut si forte decumbant Sacrum Viaticum, & extremam Unctionem de manu Parochi, intra cujus districtum sitæ sunt hæ Domus, suscipere, atque ab eodem si ex hac vita discedant, sepelliri debeant, idque etiam obtineat quoad Officiales, Famulos, & Colonos ibi habitantes? in casu &c.*

XXI. *An si fortasse Abbas contenderet jus habere deputandi aliquo in loco Parochum, debeat hic Episcopo præsentari, ab eodem examinari, atque approbari? in casu &c.*

XXII. *An Episcopo competat jus visitandi quascumque Capellas prædicti Ordinis, simulque Religiosos Curam Animarum in ea administrantes, juxta Constitutionem, quæ incipit* Firmandis *? in casu &c.*

XXIII. *An Abbas Salemitanus in Ecclesiis Sæcularibus suæ tamen quoad Temporalia jurisdictioni subjectis, sine licentia Episcopi possit uti Pontificalibus, vel an etiam in his teneatur servare Decretum ab Alexandro VII. editum? in casu &c.*

XXIV. *An Abbas Salemitanus a Clericis sui Patronatus possit exigere juramentum fidelitatis? in casu &c.*

XXV. *An idem Abbas impedire possit, ne Possessoribus Beneficiorum Monasterio Salemitano adnexorum Clericis Sæcularibus gravi, & justa ex causa imponatur Pensio ad Successorem non transitura, & ex congrua ipsius Beneficiati solvenda, si non obstante hac Pensione eidem adhuc sufficiens ad honestam sustentationem Congrua superstit? in casu &c.*

XXVI. *An Episcopus Abbatem, Monachos, & Officiales quoscumque Monasterii Salemitani ad observantiam eorum, quæ in expositis Dubiis resolventur per Mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, aliasque pœnas, nec non etiam per Ecclesiasticas Censusas compellere possit? in casu &c.*

ANDRIEN. Incursiones militum, Latronumque refugiens Clerus, Populusque humilis Oppidi de Trimodia in proximam Civitatem Andriæ se recepit anno 1104. Desidius Episcopus Andrienſis consensiente Capitulo Ecclesiæ Cathedralis facultatem eidem Clero concessit transferendi ejus Ecclesiam S. Mariæ de Trimodia ad alteram sub titulo *S. Nicolai* in Andriæ Civitate erigendam *cum omnibus eidem Sanctæ vestræ Ecclesiæ pertinentiis, juribus, actionibus, mobilibus, & stabilibus, & sine aliqua immutatione status Ecclesiæ*

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

clesiæ &c. sed sit in potestate vestra, quæ voluerint, ordinare ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ sine omni nostra, nostrorumque successorum molestatione, vel requisitione.

Concessit etiam *eidem Ecclesiæ vobis simul, suisque Clericis communem animarum curam cum nostra Episcopali, potestatemque Baptizandi, ac etiam recipiendi Clericos cum omnimoda permanentia vestræ Ecclesiæ, & nec ego, vel mei successores audeamus removere, vel molestare sine probata culpa Regis, quam etiam potestatem habeant Clerici ejusdem Ecclesiæ sonare campanas in divinis horis, & Festivitatibus omni tempore, antequam sonent in nostra Episcopali Ecclesia: potestatem autem habeant etiam sonare campanas ejusdem Ecclesiæ pro mortuis, ipsosque in eorum cemeteriis sepelire, Crucem, Ceroferarios, & Thuribulum ejusdem Ecclesiæ portare, quam, & damus Clericis ejusdem Ecclesiæ annualia Chrisma, & Oleum Sanctum sine alicujus muneris requisitione, exceptis, ut eidem nostræ Sedi denarios octo anno quolibet reddant in susceptorum gratiam, & nostram majorem Ecclesiam primariam esse agnoscant, eidem obedientiam titulum, & obsequium præstent secundum Canonum decreta.*

Ob communem, & promiscuam animarum curam Ecclesiæ Cathedralis, & dictæ Ecclesiæ Collegiatæ S. Nicolai variis exortis controversiis, disceptatum fuit in Congregatione diei 10. Febr. 1759. I. *An Ecclesia Cathedralis Andriæ sit unica Parochialis totius Civitatis, & Territorii, ita ut Ecclesia S. Nicolai sit mera coadjutrix in administratione Sacramentorum, & quatenus affirmative.* II. *An possit dicta Ecclesia Cathedralis totam exercere curam etiam quoad totalem Sacramentorum administrationem ex se, & in exclusionem Ecclesiæ S. Nicolai.* III. *An sit locus divisioni Parochiarum.* IV. *An, & quomodo sit facienda divisio*, & rescriptum fuit Ad I. *Affirmative*, Ad II. *Negative*, Ad III. *esse locum divisioni quoad exercitium curæ animarum tantum*, Ad IV. *divisionem esse faciendam arbitrio Episcopi, & approbandam a Sacra Congregatione.* Viden. folium *diei* 20. *Januarii ejusdem anni* 1759.

Delegato deinde Metropolitano Tranensi, ut divisionem per confinia perageret, *ita ut duæ ex tribus partibus populi spectare debeant ad Cathedralem uti unicam Parochialem, alia tertia pars ad Ecclesiam Coadjutricem S. Nicolai*, Metropolitanus Andriam profectus divisionem per confinia explevit, assignato Ecclesiæ S. Nicolai numero Animarum 3171., quæ erat tertia pars populi. Hanc tamen divisionem acriter impugnavit Ecclesia Collegiata, tum quia Populi pars eidem assignata infimæ conditionis esset, & pauperior, tum etiam quia nulla habita fuerit ratio de habitantibus extra menia, sed Sacra Congregatio *die* 20. *Septembris* 1766. divisionem probavit, reservato jure quoad habitantes extra menia Civitatis.

Hinc in Congregatione *diei* 24. *Januarii* 1767. actum est de habitantibus extra menia, atque alia 25. quæstionum capita re-

respicientia divisionem formalem, & emolumentorum participationem proposita fuerunt, quæ omnia silente Ecclesia Collegiata plene fuerunt deffinita. Re autem iterum discussa sub *die* 19 *Septembr. ejusdem Anni*, quæstiones plures ad sua specialia dubia reservatæ fuerunt, & quoad præcedens, resolutio partim confirmata, partim infirmata, ac partim etiam ob suffragiorum scissuram in suspenso remansit Viden. folia *diei* 29. *Augusti*. & 19. *Sept.* 1767. Nunc itaque primum de peculiaribus dubiis agendum est, deinde de aliis quærendum, quæ in postrema Congregatione vel infirmata, vel indecisa remanserunt.

Quoad nova Dubia specialiter addita ad I. inquit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, eam unice esse Parochialem totius Civitatis, & Territorii, Ecclesiam vero S. Nicolái esse meram coadjutricem in Sacramentorum administratione: Archipresbytero proinde Cathedralis Vicario nato, & totum Capitulum Ecclesiæ Cathedralis repræsentanti apertam favere juris dispositionem pro funebri officio, ac exequiis peragendis super quocumque Cadavere in Ecclesiis Civitatis, & Territorii tumulandis *Rot. cor. Herrer. dec.* 2. *num.* 1. Jus ideo Archipresbytero esse exequias, ac funebria officia agendi aliaque munia parochialia exercendi super omnibus defunctis vel intra limites Ecclesiæ Cathedralis, vel etiam in Ecclesia S. Nicolai sepeliendis.

Nec jurium parochialium functionibus ab Archipresbytero absolvendis repugnare peractam animarum divisionem. Hanc enim materiale curæ exercitium dumtaxat respicere, & in nihilo Parochialitati Ecclesiæ Cathedralis derogasse. Et revera in Congregatione *diei* 24. *Janu.*, & 19. *Sept.* 1767. Ad II. Dubium resolutum fuisse, munus Parochi in associationibus Cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ Sancti Nicolai, & tumulandorum in quavis Ecclesia sive Seculari, sive Regulari ejus ambitus, interveniente tamen Capitulo Cathedralis, explendum esse a Vicario Capituli Cathedralis exclusive ad Vicarium S. Nicolai.

Hinc ad II. concludit, eo minus posse Vicarium S. Nicolai funebre officium agere in Ecclesia Cathedrali super cadaveribus defunctorum intra limites Ecclesiæ S. Nicolai, & sepeliendorum in dicta Ecclesia Cathedrali, cum dicto Vicario nullum jus Parochiale competat, præsertim in Ecclesia Cathedrali, & in præjudicium Capituli Ecclesiæ Cathedralis unicæ Parochialis, ejusque Archipresbyteri munus Parochi fungentis.

Itidemque ad III., & IV. arguit, nullum jus Vicario S. Nicolai esse peragendi funebres functiones in aliis Ecclesiis filialibus sitis intra limites Ecclesiæ Cathedralis, maxime quum Canonici in his semper sacras functiones privative exercuerint. Et neque eidem Vicario jus esse, associandi cadavera defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, &

tumulandorum in Ecclesiis Regularium sitis in ambitu Cathedralis : Ita sane usque nunc ab immemorabili servatum fuisse ; sicque decrevisse Sacram Congregationem Rituum anno 1631., & Sacram Congregationem Episc., & Reg. anno 1740.

Contendit vero ad VI. ex resolutis *standum est in secundo loco Decisis*, ut in Ecclesia Cathedrali sepeliantur Canonici, Presbyteri, & Clerici servitio Cathedralis adscripti, licet habitantes in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, decedentes absque electione sepulturæ, nec alibi eam habentes, ob claram juris dispositionem, juxta quam Canonici, aliique addicti servitio Ecclesiæ Cathedralis, in hac sepeliendi sunt, etiamsi alibi domicilium habeant ; maxime quia res hic est de Ecclesia Cathedrali unica Parochiali, & quilibet in propria Parochia, non electa Sepultura, ac deficiente sepulcro majorum semper est tumulandus.

Eamdemque ob rationem contendit ad VIII. Dubium *standum esse in secundo loco decisis* pro tumulatione in Ecclesia Cathedrali omnium Presbyterorum, & Clericorum adscriptorum servitio Ecclesiæ S. Nicolai, & habitantium in ambitu Cathedralis, decedentium absque electione sepulturæ, nec alibi eam habentium, cum Ecclesia Cathedralis sit unica Parochialis totius Civitatis, & Territorii. Ecclesia vero S. Nicolai quovis jure careat tumulandi defunctos non eligentes sepulturam, nec sepulcrum majorum in ea habentes,

Postulat item ad IX. referibi *in secundo loco decisis* pro tumulatione in Ecclesia Cathedrali omnium decedentium in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai ab intestato, aut cum testamento sine electione sepulturæ, nec illam habentium gentilitiam. Advertit enim, nullo jure potiri Ecclesiam S. Nicolai sepeliendi defunctos non eligentes sepulturam, nec gentilitiam habentes. Ita expressis verbis conventum fuisse in solemni Transactione anni 1446., quæ non solum inviolabiliter hactenus servata fuit, sed pluribus etiam sententiis confirmationem promeruit emanatis coram Ordinatio, Delegatis Apostolicis, coram A. C., & Sacra Congregatione Rituum. Et jure merito ob Parochialitatis prærogativam unice insidentis penes Ecclesiam Cathedralem pro tota Civitate, & Territorio, & ob id apertum esse, omnes non eligentes sepulturam, nec sepulcrum majorum habentes in ea esse tumulandos,

Inane vero esse diffugium ad peractam divisionem. Cum per eam non fuerint constitutæ duæ distinctæ Parochiæ, sed tantum materiale exercitium curæ animarum divisum fuerit, firma remanente qualitate unicæ Parochialitatis penes Ecclesiam Cathedralem. Si itaque etiam post divisionem Ecclesia Cathedralis adhuc est unica Parochialis, inde sequitur, etiam post dictam divisionem omnes indistincte

non

non eligentes sepulturam, nec sepulcrum majorum habentes in ea tumulentur.

Gradum inde Capitulum faciens ad alia quatuor dubia XVII., XIX., XXI., & XXIII. quæ in Congregatione *diei* 24. *Januarii* favore Collegiatæ S. Nicolai resoluta fuerant, & inde in posteriori Congregatione 19. *Septemb. ejusdem anni* indecisa manserunt ob suffragiorum scissuram, inquit ad Dub. XVII., Ecclesiam S. Nicolai esse simplicem Parochiæ coadjutricem a Capitulo omnino dependentem; non posse idcirco illius Vicarium merum ministrum, & auxiliatorem veri Parochi, hoc inconsulto, Paschale præceptum implere, negligentes Episcopo denunciare, sed munus hoc privative Capitulo competere uti vero Parocho, seu illius Archipresbytero Capitulum representanti, & revera ita huc usque inconcusse fuisse servatum.

Hinc ad XIX. arguit, nonnisi obtenta licentia ab Archipresbytero Capitulum repreheſentante posse invalidos, ac legitime impeditos præceptum Paschale implere in alia Ecclesia præter Cathedralem, & Coadjutricem, cum sola Cathedralis Ecclesia sit Parochialis, & tantum de licentia veri, & proprii Parochi in alia beneviſa Ecclesia Paschale præceptum impleri possit.

Ad XXI. responsum fuerat in Congregatione 24. Janu. 1767. *unicuique Vicario respective de licentia Episcopi* competere jus concedendi licentiam aliis Sacerdotibus conjungendi in Matrimonium, & administrandi Sacramentum Baptismi. Hanc resolutionem modo Capitulum impugnat, tum quia Parochus independenter ab Episcopo, & absque hujus licentia potest alium Sacerdotem delegare *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 1., tum quia hic actus jurisdictionis ad Parochos spectantis nullomodo competere potest Vicario Ecclesiæ Sancti Nicolai, quæ Parochialis non est, sed tantum mera coadjutrix in Sacramentorum administratione.

Ad XXIII. inquit, Officium esse Parochorum retinere libros Baptizatorum, Confirmatorum, in Matrimonium conjunctorum, Mortuorum, & status Animarum: Penes Cathedralem proinde Ecclesiam, unicam Parochialem Civitatis, & Territorii dictos libros custodiendos esse, ac propterea Ecclesiam S. Nicolai meram coadjutricem teneri ad transmittendos anno quolibet ad Parochialem hujusmodi libros. Accedente potissimum uniformi observantia, cum in Archivio Ecclesiæ Collegiatæ nunquam dicti libri retenti fuerint, sed omnes existant in Archivio Ecclesiæ Cathedralis.

Contra Ecclesia Collegiata nihil novi addidit, sed tantum præces dedit ut resumantur præterita jura. Viden. folium diei 29. Aug. 1767., in quo late ejusdem jura, ac rationum momenta habentur.

De habituali cura Animarum Civitatis, & Territorii Andrien. gravis anno 1763. acta quæstio est inter Episcopum, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis. Sacra Congregatio sub die 23. Aprilis proposito dubio *An Ecclesiæ Cathedralis unicæ in Civitate, & Territorio Andriæ Parochialis, Parochus sit Episcopus, & ad quos effectus, seu potius Capitulum ejusdem Cathedralis*, responsum dedit *Affirmative ad* 1. *partem quoad omnes effectus*. Sed renovato certamine sub *die* 26. *Novemb. ejusdem anni*, Capitulum ex novis adductis juribus meliorem sortem expertum est: Obtinuit enim responsum *Fracto recessu a decisis, curam animarum habitualem esse penes Capitulum*, quod confirmatum etiam fuit in posteriori Congregatione *dici* 12. *Maii* 1764.

Itaque habitualis cura tantum residet penes Ecclesiæ Cathedralis Capitulum, quod est unicus verus Parochus totius Civitatis, & Territorii Andriæ, quare Sacra Congregatio Ad II. Dubium concessit ejusdem Archipresbytero Vicario nato muneris Parochialis exercitium in associationibus cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ, & tumulandorum in quavis Ecclesia sive Seculari sive Regulari ejus ambitus, interveniente tamen eodem Capitulo, cum omnimoda exclusione Vicarii Ecclesiæ S. Nicolai.

Hic tamen prænotandum est, quoad nova quatuor dubia nullam vere agi controversiam cum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Parocho totius Civitatis, & Territorii, Ecclesia enim S. Nicolai non inficiatur exercitium muneris Parochialis in associatione, & Exequiis defunctorum pertinere ad Capitulum Cathedralis. Status veræ quæstionis in eo versatur, num Capitulo Cathedralis non interveniente in d. funebribus functionibus, munus Parochi explendum sit a Vicario ejusdem Cathedralis, vel potius a Vicario Ecclesiæ S. Nicolai. Porro semel ac habitualis cura penes ipsum Capitulum residet, manifestum est, utrumque ex iisdem Vicariis nomine Ecclesiæ Cathedralis unicæ Parochialis in tota civitate, & Territorio actualem tantum curam habere, seu exercitium curæ Animarum. Demandata itaque per Sacram Congregationem divisione confinium *quoad exercitium curæ animarum tantum*, eademque jam absoluta, ac perfecta, ponderandum est, an quisque Vicarius in propria Ecclesia, & Territorio cuique dato æque liberum habeat curæ animarum exercitium, ita ut unus ab altero pænitus independens sit, sed quilibet de exercitio curæ animarum in proprio districtu contentus esse debeat, & habendi sint tamquam duo Vicarii curam actualem singuli nomine ejusdem Ecclesiæ Cathedralis in suis distinctis limitibus exercentes.

Ante oculos idcirco habenda est generalis declaratio edita a Sac. Congregatione Rituum in una *Eugubina* 5. *Julii* 1614. *quando quis in una Parochia moritur, & in alia sepelitur, bene-*

nedictionem in Domo mortui faciat circa corpus proprius Parochus, qui ſtolam deferens a domo defuncti uſque ad Eccleſiam, in qua corpus ſepeliendum erit, aliis omnibus præcedere debet. In Eccleſia vero, in qua corpus ſepelitur, Officium faciat circa corpus, & aliis præcedat Parochus ipſius Eccleſiæ.

Ad VI., & VIII. notiſſima eſt generalis regula conſtabilita a Sacra Congregatione in *Thyburtina juris adminiſtrandi Sacramenta* 12. *Maii* 1685., in qua propoſito. *An Canonicus decedens non electa ſibi ſæpultura debeat ſepeliri in Eccleſia Cathedrali, vel in Parochia Domicilii, vel potius in Eccleſia, in qua adeſt ſepulcrum ſuorum majorum*, reſpondit *In Cathedrali, ſi in ea adſit ſepulcrum proprium Canonicorum, ſin minus in ſepulcro majorum*. Idque ipſum edixit S. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in una *Senogallien.* 13. *Maii* 1650. apud *Nicol. Tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 15. *num* 23. = *Clericus non ſepellitur in ſepulcro majorum, quando in Cathedrali vel Mitrice adeſt proprium Clericorum ſepulcrum a Laicalibus ſeparatum.*

Et jure meritoque, nam ut arguit *Rota in Hydruntina ſepulturæ* 27. *Novembris* 1713. *cor. Anſald. dec.* 633., *quoties ageretur de Sacerdotibus aut Clericis perpetuo Eccleſiæ illius ſervitio addictis, & titulum in ea retinentibus, ſeu Beneficiatis, tunc enim cum tales Clerici ita ſint conjuncti cum ſua Eccleſia, ut ſint cum illa cor unum, & anima una, ut ad dict. Text. in cap. requiſiviſti* §. *Secus de teſtam. æquum etiam videtur, ut ii omnes Clerici, quos cum eadem Eccleſia unicum vinculum devinxerat, & quorum viventium una mens in Domino erit, ita poſt eorum obitum nec inter ſe ſeparentur, ſed in communi ſepulcro ad id præciſe deſtinato inſimul condantur*. Viden. folium in *Viterbien. juris tumulandi* 10. *Maii* 1766. in quo late, ac erudite quæſtio hæc agitur.

Inquirendum itaque eſt, an ſive in Cathedrali, ſive in Collegiata Eccleſia proprium adſit ſepulcrum pro reſpectivis Canonicis, Beneficiatis, aliiſque ſevitio addictis, & an ſepulcrum Collegii, quod peculiare, ac proprium eorumdem eſt, anteferri debeat ſepulcro familiæ, vel Parochialis. Deficiente autem ſepulcro Collegii, regula eſt, ſepeliendos eſſe in Parochia domicilii Sac. Congr. in *Derthonen. jurium Parochialium* 3. *Decembris* 1718. *ad XIII. Dub.* unica idcirco inquiſito erit, an Eccleſia S. Nicolai jus habeat tumulandi habitantes intra ſuum diſtrictum ſepulturam in ea non eligentes, nec ſepulcrum majorum habentes, de quo in proximo *Dub. IX.* agendum eſt.

Ad IX. advertendum eſt, non ſolum Clerum Eccleſiæ ſuburbanæ de Trimodia ſe recepiſſe in Civitatem Andriæ, & in Eccleſiam S. Nicolai, ſed in Civitatem conveniſſe etiam populum, qui eidem ſuburbanæ Eccleſiæ ſubjectus erat. Hæc autem receptio ab Epiſcopo, & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis admiſſa fuit, collata Clero S. Nicolai facultate communem in Civitate Andriæ curam Animarum exercen-

cendi, baptizandi, sonandi campanas, mortuos sepeliendi, aliaque jura, & prærogativas dictæ suburbanæ Ecclesiæ exercendi, addito tantum onere, ut *nostræ Sedi denarios octo anno quolibet reddant in susceptorum gratiam, & nostram majorem Ecclesiam primariam esse agnoscant, eidem obedientiam, titulum, & obsequium præstent secundum Canonum decreta*, ut legitur in publico instrumento anni 1104.

Non injuria itaque communis animarum cura comissa est Clericis S. Nicolai, cum proprius quoque populus in Civitatem Andriæ se contulisset. At in promiscuo hoc curæ animarum exercitio utrique Clero Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ commisso permittendum plane non erat cumulativum jus tumulandi defunctos non eligentes sepulturam, nec sepulcrum majorum habentes, quia cum nullus adesset distinctus Parochianus alterutrius Ecclesiæ, assidua fuissent dissidia, ac controversiæ, quatenus tumulationi locum facere debuisset præventio. Honestas itque, ac necessitas effecit, ut quamvis in receptione anni 1104. Clero S. Nicolai indefinita concessa fuisset mortuos Sepeliendi facultas, hæc tamen ad solos eligentes sepulturam, vel sepulcrum majorum habentes coerceretur, cæterorum tumulatione reservata Ecclesiæ Cathedrali uti unicæ Parochiali, & in promiscuo exercitio digniori.

Perpendum hinc, an peracta modo animarum divisione quoad exercitium curæ animarum, singuli Parochiani in suis respectivis Ecclesiis sint tumulandi. Utraque Ecclesia suos habet distinctos limites quoad exercitium curæ animarum, proprioque Parochianos agnoscit, cessat etiam causa rixarum, ac præventionis, urgetque præsumptum defunctorum votum, ut in ea sepeliantur, in qua Sacramenta receperunt, suadetque insuper naturalis æquitas, ut Vicarii S. Nicolai, qui onus sustinuerunt administrationis Sacramentorum, emolumenta quoque funeris percipiant: maximè quia Ecclesiæ Collegiatæ infima, ac pauperior populi pars assignata fuit in peracta divisione, ob quam inequalitatem aliqua compensatio eidem Ecclesiæ in hac divisione formali indulgenda sit.

Ad XVII. XIX., & XXI. Sacra Congregatio sub die 10. *Februar.* 1759. injunxit divisionem per confinia quoad exercitium curæ animarum tantum. Completa ideo jam divisione Vicarii utriusque Ecclesiæ in suis limitibus exercitium curæ animarum habent. Ponderandum itaque, an hi controversi actus ad exercitium curæ animarum spectent, ita ut a Vicariis in suis respectivis limitibus libere exerceri possint.

Ad XXIII., in quo quærebatur, *An in fine cujuslibet Anni Vicarius, seu Vicarii Ecclesiæ S. Nicolai adferre debeant ad Archivium Ecclesiæ Cathedralis quinque libros Parochiales, in quibus Baptizati, Confirmati, in Matrimonium conjuncti, Mortui*

sint, & status animarum fuerint descripti Sacra Congregatio sub die 24. Januarii 1767. respondit *servetur solitum*. Orta dein quæstione super verificatione dicti soliti, responsum dedit *sub die 19. Sept. 1767.*, ut scriberetur Episcopo pro verificatione soliti.

Episcopus post expletam, intervenientibus utriusque Ecclesiæ deputatis perquisitionem Archiviorum Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ, retulit sub *die 10. Decemb. 1768.*, ab antiquissimo tempore retentos in Archivio Ecclesiæ Collegiatæ fuisse libros Baptizatorum, Confirmatorum, in Matrimonium conjunctorum, & Defunctorum ejusdem Ecclesiæ, unice exceptis libris status animarum, qui singulis annis a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis tantum fieri consueverunt, eosdemque quinque libros numquam ad Archivium Ecclesiæ Cathedralis fuisse asportatos, nec in eodem custodiri, ac retineri.

Emi Patres maturo, quo solent, judicio dignentur responsum dare,

I. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione Parochianorum defunctorum intra ambitum Cathedralis, & tumulandorum in Ecclesia S. Nicolai, aut in alia ambitus ejusdem Ecclesiæ in casu &c.*

II. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in Ecclesia Cathedrali in casu &c.*

III. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in Ecclesiis secularibus sitis in ambitu Ecclesiæ Cathedralis.*

IV. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in Ecclesiis Regularibus sitis in ambitu Cathedralis in casu &c.*

An quoad dubia VI. VIII. IX. sit standum in primo, vel in secundo loco decisis.

An quoad dubia XVII. XIX. XXI. XXIII. proposita in Congregatione diei 19. Sept. 1767., & non resoluta, sit standum, vel non recedendum a decisis.

SPOLETANA JUBILATIONIS. Collegiata Ecclesia S. Michaelis Arcangeli Oppidi Mevaniæ sexdecim constat Canonicis, cum Priore, cui Animarum Cura commissa est, præter quatuor Mansionarios, quos vocant Præbendatos, in Cura Animarum Coadiutores. Ex his unus Andræas Marini post assiduum, & laudabile annorum 40. servitium

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

vitium eidem Ecclesiæ præstitum, jubilationis indultum efflagitavit. Capitulum verò quamvis illum vacatione dignum existimaverit, non aliter tamen petitioni assentiri posse censuit, quam sub conditione non solum canendi, & applicandi Missas Conventuales per turnum, quod onus unicuique Præbendæ adnexum dixit, verum etiam celebrandi Missas in Aurora, & Meridie, prout a Præbendatis fieri solet singulis Festis diebus, illudque nonnulli ex Capitularibus etiam addiderunt, ut exemptus esse non debeat abonere coadiuvandi Priorem in exercitio Curæ Animarum. De hisce conditionibus, quas Episcopus quoque sententia sua probavit, agendum modò est, ita postulante Sacerdote Marini, easdem conditionis acceptas habere recusante.

Ait enim, grandævam ejus ætatem, gravesque, quibus affligitur, morbos, non sinere, ut adjecta onera subire queat, ac potius id exigere, ut perpetua a quocumque munere vacatione donetur *Monet. de distrib. quotid. part. 2. quæst. 7. num. 5., & seqq., & num. 15., Barbos. de Offic., & potest. Episcop. alleg. 53. num. 164., Panimoll. decis. 20. annot. 3. n. 68.*, cum senectus, & infirmitas impediant, quominus Ecclesiæ valeat inservire *Card. de Luc. de Canon. disc. 15. num. 6., Barbos. de Canon. cap. 24. num. 37.* Congruum idcircò esse, ut quemadmodum assiduum præstitit Choro, Ecclesiæque servitium, dum floridæ erat ætatis, bonaque valetudine fruebatur, ita dum ætas nimium gravis facta est, & incommoda aucta sunt, ab omni Officio, atque exercitio dispensetur.

Exemplum desumit a Veteranis Militibus, qui post multos labores vacatione donantur, omniaque retinent jura, honores, & emolumenta *leg. 1. Cod. de Veteran. lib. 12.*. Hinc Veteranis Militibus assimilari dicit Canonicos, & Beneficiatos, qui Milites sunt Cælestiis militiæ *Monet. de distrib. part. 2. quæst. 12. num. 62., & quæst. 7. num. 21., Pignatell. tom. 4. Consult. 214. num. 12.*, & ideo post servitium annorum 40. digni habiti sunt judicio Sac. hujus Congregationis, ut Jubilatione fruantur, ut in *Novarien. Jubilationis 29. Novembris 1681. lib. 32. decret. pag. 44., in Lunen., Sarzanen. Jubilationis 16. Martii 1737., in Civitatis Castellanæ 20. Septembris 1766.*

Irrationabiles proinde, atque omnino despiciendas asserit conditiones a Capitulo adjectas, præsertim quoad onus canendi Missam Conventualem per turnum, & celebrandi Missas in aurora, vel in meridie, cum Jubilato onus hujusmodi imponi non debeat *Ferrar. verb. Canonicus §. 5. numer. 110., Panimoll. dec. 20. num. 70.*, & hanc fuisse sententiam Sacræ Congregationis *in Prænestina 11. Martii 1662., in Aquipendien. Jubilationis 27. Martii 1697., in Senen. Missæ Conventualis 12. Maji 1759.*, præcisius verò in dicta *Civitatis*

tis Castellanæ 20. *Septembris* 1766. nec in præsenti casu, quo eædem concurrunt qualitates, & circumstantiæ, diversimodè fore judicandum, *Rot. decis.* 458. *num.* 10. *cor. Sephin.*, *dec.* 332. *num.* 8. *coram Cerro*, & *dec.* 153. *num.* 2. *cor. Crescentio*.

Rejiciendam autem sustinet exceptionem, quod alii duo de gremio Capituli jubilationis indultum jam obtinuerint, tum quia ij sunt de cœtu Canonicorum, non autem Præbendatorum, tum etiam quia sibi obesse non debeat gratia, quæ aliis concessa fuit. Immò ex hoc ipso Capituli consuetudinem pro vacatione post diuturnum servitium probari contendit, a qua quidem consuetudine recedere non liceat.

Pro parte Capituli nihil hactenus datum est, solumque aliqui ex Capitularibus folium exhibuerunt Episcopo, in quo petitæ jubilationi obstiterunt, eo quia Missarum, & servitii onus in alios refunderetur. Folium hujusmodi inter monumenta Causæ EE. VV. circumfertur.

Episcopus de sua sententia requisitus ait = *Quod verò attinet ad meum sensum, cum Missa Conventualis, quæ est onus Capituli, non celebretur sumptibus Massæ communis, sed unusquisque illam celebret, & applicare teneatur ære proprio, crederem, jubilationem eximere quidem posse a celebratione personali, non tamen a solutione eleemosynæ, quæ accresceret aliis. Itemque crederem faciendum respectu Missarum in aurora, & in meridie, licet sine applicatione. Ac demum respectu oneris coadjuvandi Priorem in Cura Animarum, & præsertim audiendi Confessiones, cum agatur de obligatione personali, crederem Oratorem ab hoc onere dispensari posse per Indultum Jubilationis, quatenus hoc, & alia onera prædicta legitimè adnexa sint Beneficiis, de quibus agitur*.

Nihil in jure cautum reperitur de jubilationis indulto, solumque ex benignitate Sac. Congregationis sensim introductum est, ut Canonici, vel Beneficiati post laudabile, & continuum quadraginta annorum servitium Ecclesiæ præstitum, ab inserviendo in posterum eximantur, absque eo quod quidquam de fructibus, & distributionibus amittant. Hujus indulgentiæ ratio ea potissimum fuit, ut spe immunitatis alacriores fierent Canonici, & Beneficiati in præstando Ecclesiæ servitio, quemadmodum advertit *Fagnanus in cap. Licet de Præbend. num.* 165.. Hinc ad Ecclesiæ utilitatem jubilatio inducta deprehenditur.

Quid verò commodi hujusmodi privilegium jubilato afferat, ex variis Sac. hujus Congregationis decretis colligi potest. Ad rem præsentem quod attinet, notandum, sæpius actum fuisse de celebratione Missæ Conventualis per turnum, a qua jubilatum exemptum fore declaravit Sac. Congregatio *in Aquipendien. Jubilationis* 23. *Martii* 1697., *in Senen. celebrationis*, & *applicationis Missæ Conventualis* 12. *Maii* 1759.,

& in Bituricen. Missæ Parochialis, & Conventualis 19. *Augusti* 1713. *apud Scarfanton. ad Ceccoper. tom.*3. *addit.*9. *n.*14., ubi non solum agebatur de Missa Conventuali, sed etiam de Missa in Aurora a Canonicis per turnum celebranda, ad eamque Jubilatum non teneri Sac. Congregatio decrevit. Et in *Lunen. Sarzanen. Jubilationis* 20. *Junii*, & 30. *Septembris* 1684. propositum fuit dubium = *An Canonicus Jubilatus teneatur interesse Capitulis, & Congregationibus, quæ habentur pro tractandis negotiis Ecclesiæ, & Capituli* =, & responsum prodiit = *Negativè*, ut apud *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.*2. *tit.*6. *num.*18.

Conditiones autem a Capitulis additas, interdum Sac. Congregatio servandas censuit, quandoque etiam rejiciendas juxta varias rerum circumstantias, diversamque conditionum qualitatem. In una *Bergomen.* quidam Canonicus Subdiaconus assensum a Capitulo obtinuerat pro jubilatione sub conditione, quod non intelligeretur exemptus a functionibus subdiaconalibus solemnibus, quæ ab eo per turnum fieri solebant; Et quamvis Capitulum constitueretur ex tribus Dignitatibus, nec non quadraginta & uno Canonicis, & functiones Subdiaconales fierent ab aliis undecim Canonicis, nihilominus proposito dubio = *Ad indultum jubilationis sit concedendum in casu &c.* = responsum fuit *die* 8. *Augusti* 1716. = *Affirmativè ad formam consensus*.

Verum in una *Civitatis Castellanæ* Canonicus pro perpetua vacatione supplicaverat, & Capitulum assensum præstiterat, *purchè il medesimo sia obbligato fare la sua Eddomada ne suoi tempi come gl'altri Signori Canonici, tanto più che il numero di essi obbligati all'Eddomada sudetta è di soli* 13. *Canonici, ed il medesimo non entri nelle solle delle distribuzioni quotidiane*. Quæsitum itaque est *die* 29. *Novembris* 1766. = *An, & quomodo Indultum Jubilationis sit concedendum, in casu &c.* = & Sacra Congregatio respondit = *Affirmativè, demptis conditionibus*,

Expendendæ proinde sunt conditiones, & in præsenti casu præcisius observandum, quanti habenda sit reflexio, quam suggerit Episcopus quoad Missam Conventualem, quod scilicet ea *non celebretur sumptibus Massæ Comunis, sed unusquisque illam celebret, & applicare teneatur ære proprio*. Videndum etiam, an exemptio concedi debeat etiam quoad onus coadjuvandi Priorem in Cura Animarum, quod quidem onus ratione Beneficii unicuique ex Præbendatis inhæret.

His autem perpensis definient EE. PP.

An, & quomodo sit locus Jubilationi, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Septembris 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione diei 18. præteriti menſis Auguſti, quoad quatuor inferius deſcriptas Cauſas nulla prodiit reſolutio; ideoque benignè reſumpto tunc diſtributo Folio, dignabuntur EE. VV. tum eas, tum alias adjectas benigne definire.

CONSTANTIEN. DECIMARUM.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

CONSTANTIEN. JURISDICTIONIS.

I. *An Epiſcopus Conſtantienſis, ejuſque Vicarius Generalis poſſint inhibere Abbati, & Monachis Abbatiæ Salemitanæ, & quibuſcumque aliis Regularibus Ordinis Ciſtercienſis, ne ſine prævia, & ſpeciali ejus approbatione excipiant Confeſſiones Monialium in Diœceſi Conſtantienſi exiſtentium, illarumque etiam, quæ ejuſdem ſunt Ordinis? in caſu &c.*

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

II. *An quilibet Confeſſarius tam ordinarius, quam extraordinarius ſemel, vel pluries a Superiore Regulari pro tempore deputatus, vel deputandus ad audiendas Confeſſiones Monialium cujuſdam Monaſterii Ordinis Ciſtercienſis, teneatur novam approbationem ab eodem Ordinario petere, & impetrare quoties eumdem, vel ad aliud, vel ad idem interpellato tempore contigerit deputari? in caſu &c.*

III. *An poſſit Ordinarius Conſtantienſis admonere tam mediatos, quam immediatos Monialium Superiores, ut amoveant Confeſſarios, atque Adminiſtratores Bonorum ad earundem Monialium Monaſteria pertinentium pro tempore deputatos, ſeu deputandos? in caſu &c.*

IV. *An Superiore Regulari, vel alio quocumque, ad quem pro tempore ſpectat, negligente deputare bis, aut ter anno quolibet Confeſ-*

feſſarios extraordinarios Monialium, eos deputare valeat Epiſcopus Conſtantienſis? in caſu &c.

V. *An eidem Ordinario Conſtantienſi, ſalvo jure Advocatiæ favore illorum, quibus competit, liceat petere rationes Adminiſtrationis Bonorum Monaſteriorum Monialium Ordinis Ciſtercienſis? in caſu &c.*

VI. *An eidem Ordinario Conſtantienſi competat jus intereſſendi, & præſidendi electioni Abbatiſſarum ejuſdem Ordinis? in caſu &c.*

VII. *An eidem Ordinario Conſtantienſi competat jus explorandi voluntatem Puellarum tam ad Habitum, quàm ad Profeſſionem in Monaſterio ſæpedicti Ordinis? in caſu &c.*

VIII. *An Capellæ ab Eccleſia Monaſteriali ſeparatæ, & diſſitæ, atque ſive per ſe ſtantes, ſive Domibus, & Arcibus jure proprietatis ad Monachos Salemitanos pertinentes, apud quas tamen, vel nulli reſident Regulares, vel nonniſi unus, aut duo, illique ſolummodo ad curandas res Dynaſtiales, aut Oeconomicas, & publicum habentes acceſſum, ſint cum ipſis Domibus, aut Arcibus a Parochorum, intra quorum Diſtrictus ſituantur, & Epiſcopi juriſdictione exemptæ? in caſu &c.*

IX. *An Officiales Laici, Domeſtici, Famuli, & Coloni, qui extra ſepta Monaſterii, vel Clauſuræ degunt, exempti ſint a juriſdictione Epiſcopali, & Parochiali, itaut teneantur a Parocho recipere Sacramenta omnia, & præſertim Matrimoniorum? in caſu &c.*

X. *An iidem Officiales, Domeſtici, & Famuli teneantur ſervare Feſta tam ab Epiſcopo præſcripta, quàm conſuetudine recepta, iiſque diebus ab operibus ſervilibus æquè, ac ab omni ſtrepitu judiciali abſtinere? in caſu &c.*

XI. *An iidem Officiales, Domeſtici, & Famuli teneantur intereſſe ſupplicationibus ex cauſis ab Epiſcopo præſcriptis? in caſu &c.*

XII. *An cum eiſdem Officialibus, Abbas Salemitanus in jejunio diſpenſare, vel ſi Epiſcopus diſpenſaverit, eoſdem ad jejunium obligare poſſit? in caſu &c.*

XIII. *An præfatus Abbas iiſdem Officialibus &c, pro lucrando Jubilæo aliud tempus, quam Epiſcopus præſcripſerit, determinare valeat? in caſu &c.*

XIV. *An ſæpefatus Abbas Monialibus ſui Ordinis pro lucrando Jubilæo ſpeciale tempus determinare valeat, ſeu potius temporibus ab Epiſcopo determinato in tota Diœceſi ſe conformare debeat? in caſu &c.*

XV. *An Abbas Salemitanus Cauſas Matrimoniales ſæpedictorum ſuorum Officialium, Domeſticorum, Famulorum, & Colonorum decidere valeat? in caſu &c.*

XVI. *An eidem Abbati Salemitano reſpectu eorumdem ſuorum Officialium &c. competat titulus Ordinarii? in caſu &c.*

XVII. *An ſi Epiſcopus quemdam ex hiſce Officialibus, Famulis, & Domeſticis in quacunque Cauſa Eccleſiaſtica ad ſuum Tribunal*

bunal citaverit, is comparere debeat, alias cogi possit, quibuscumque necessariis juris remediis? in casu &c.

XVIII. *An si Episcopus, vel ejus Curia indigeat testimonio jurato alicujus Subditi Sæcularis Monasterii Salemitani, & Monialium ejusdem Ordinis possit hunc propria auctoritate ad suum Tribunal citare, & reluctantem quoque per censuras compellere? in casu &c.*

XIX. *An Domus, Capellæ, Arces proprietatis jure ad Monasterium Salemitanum pertinentes, in quibus tamen, aut nullus, aut unus dumtaxat, alterve Religiosus, & quidem in ordine tantum ad administranda Negocia temporalia, & Dynastalia residet, gaudeant exemptione ipsi Monasterio Salemitano concessa? in casu &c.*

XX. *An Religiosi in his Domibus, Arcibus sic, ut præmittitur, expositi subsint jurisdictioni Parochi &c.; itaut si forte decumbant Sacrum Viaticum, & extremam Unctionem de manu Parochi, intra cujus districtum sitæ sunt hæ Domus, suscipere, atque ab eodem si ex hac vita discedant, sepelliri debeant, idque etiam obtineat quoad Officiales, Famulos, & Colonos ibi habitantes? in casu &c.*

XXI. *An si fortasse Abbas contenderet jus habere deputandi aliquo in loco Parochum, debeat hic Episcopo præsentari, ab eodem examinari, atque approbari? in casu &c.*

XXII. *An Episcopo competat jus visitandi quascumque Capellas prædicti Ordinis, simulque Religiosos Curam Animarum in ea administrantes, juxta Constitutionem, quæ incipit* Firmandis *? in casu &c.*

XXIII. *An Abbas Salemitanus in Ecclesiis Sæcularibus suæ tamen quoad Temporalia jurisdictioni subjectis, sine licentia Episcopi possit uti Pontificalibus, vel an etiam in his teneatur servare Decretum ab Alexandro VII. editum? in casu &c.*

XXIV. *An Abbas Salemitanus a Clericis sui Patronatus possit exigere juramentum fidelitatis? in casu &c.*

XXV. *An idem Abbas impedire possit, ne Possessoribus Beneficiorum Monasterio Salemitano adnexorum Clericis Sæcularibus grati, & justa ex causa imponatur Pensio ad Successorem non transitura, & ex congrua ipsius Beneficiati solvenda, si non obstante hac Pensione eidem adhuc sufficiens ad honestam sustentationem Congrua superst? in casu &c.*

XXVI. *An Episcopus Abbatem, Monachos, & Officiales quoscumque Monasterii Salemitani ad observantiam eorum, quæ in expositis Dubiis resolventur per Mulctas pecuniarias piis usibus applicandas, aliasque pœnas, nec non etiam per Ecclesiasticas Censusas compellere possit? in casu &c.*

Dilata, & ad D. Secretarium ad mentem.

AN-

Sess. 24. cap. 3. de Reform.

ANDRIEN.

I. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione Parochianorum defunctorum intra ambitum Cathedralis, & tumulandorum in Ecclesia S. Nicolai, aut in alia ambitus ejusdem Ecclesiæ in casu &c.*

II. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in Ecclesia Cathedrali in casu &c.*

III. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in Ecclesiis secularibus sitis in ambitu Ecclesiæ Cathedralis.*

IV. *An, & a quo exercitium Parochiale expleri debeat in associatione cadaverum defunctorum in ambitu Ecclesiæ S. Nicolai, & tumulandorum in Ecclesiis Regularibus sitis in ambitu Cathedralis in casu &c.*

An quoad dubia VI. VIII. IX. sit standum in primo, vel in secundo loco decisis.

An quoad dubia XVII. XIX. XXI. XXIII. proposita in Congregatione diei 19. Sept. 1767., & non resoluta, sit standum, vel non recedendum a decisis.

Ad I. A Vicario Cathedralis. Ad II. A Vicario S. Nicolai. Ad III. A Vicario S. Nicolai. Ad IV. A Vicario S. Nicolai. Ad VI. In secundo loco decisis. Ad VIII. Prævio recessu a decisis Affirmativè. Ad IX. In secundo loco decisis, & amplius. Ad XVII. Prævio recessu a decisis Affirmativè. Ad XIX. In decisis, & amplius. Ad XXI. In decisis, & amplius, dempta clausula de licentia Episcopi. Ad XXIII. Quoad Libros Status Animarum quolibet anno transferendos ad Cathedralem, & amplius; quoad reliquos transferendos ad Cathedralem quolibet sexennio.

Sess. 24. cap. 12. de Reformat.

SPOLETANA JUBILATIONIS.

An, & quomodo sit locus jubilationi, in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 11. de Reform.

ROMANA LAUDEMII. Vineola quædam petiarum sex cum dimidio, pertinens ad insignem Abbatiam Sanctorum Gregorii, & Andreæ sita est in via, quæ ab Arcu, qui dicitur Constantini, ducit ad Ecclesiam iisdem Sanctis di-

dicatam. Hanc Vineolam anno 1695. cl. mem. Cardinalis Salviati illius Abbatiæ Commendatarius in emphyteusim ad tertiam generationem concessit Capritio Cornovaglia, cum onere solvendi summam scutorum 400. pro investitura, & præstandi singulis annis vindemiarum tempore cados decem Vini, seu correspondentem pretii rationem, quam Emus Urbis Vicarius fuisset impositurus.

Hujusce Vineolæ devolutionem ob lineam finitam adversus Joannem Baptistam, aliosque de Cornovaglia acceptavit coram A.C. vigilantissimus æque, ac pijssimus ejusdem Abbatiæ hodiernus Commendatarius Eminentissimus Cardinalis Chisius, qui pro eo, quo pollet conservandi Ecclesiasticorum bonorum studio, Peritum quoque elegit, ut dictam Vineolam inviseret. Retulit Peritus, confusa esse illius confinia, atque ob lapsum diuturni temporis haud ita facile posse secerni a duabus aliis circumadjacentibus Vineis, quas ibi possident Joannes Baptista, & Joseph fratres de Cornovaglia.

Interim verò iidem Fratres sese exhibuerunt dictæ Vineolæ investituram renovare, oblato investimento scutorum 400., quæ antiquæ intraturæ emolumento respondent; Eaque de re supplicem Sacræ huic Congregationi obtulerunt libellum, quo petierunt, ut Eminentissimo Abbati facultas tribueretur contractum renovandi, annuumque Canonem e quantitate cadorum Vini in numeratam pecuniam permutandi. Remissis precibus ad laudatum Eminentissimum Abbatem, qui, prævia Edictorum affixione pro investitura ad tertiam generationem, votum suum aperiret, hic summa diligentia, vigilique cura, cuncta exactè adimplevit, sed a die 15. elapsi mensis Julii, quo publica affixa fuerunt Edicta, ad hæc usque tempora, neminem comparuisse retulit; quare pro sua sententia censuit, *utilem dici posse Ecclesiæ hanc investituræ renovationem, quum satis exiguus sperari posset ejusdem Vineæ reditus, si Abbas propriis sumptibus eam colere teneretur*. Ex sua tamen singulari pietate, perspectaque omnibus religione factum est, ut nonnulla declarari petierit quoad *Intraturam* Emphyteusis, de quibus sapientissimum EE. VV. judicium cum definitione dubiorum, quæ inferius transcripta sunt, desideratur. Præstat itaque in re, quæ non raro contingere potest, incidentem quæstionem paulo accuratius investigare.

Ex juris dispositione in *Leg.3. Cod. de jur. emphyteutic.*, atque ex veteri consuetudine statutum est, ut quando res emphyteutica ad Dominum directum devoluta per novum emphyteusis contractum in alium transfertur, a novo Emphyteuta emolumentum aliquod, seu pars pretii rei emphyteuticæ Domino directo persolvatur. Emolumentum hujusmodi, seu pars pretii vulgari sermone *Laudemium*, nun-

nuncupatur, de cujus vocis origine, ac notione varia est Juris Interpretum sententia, ut refert *Capon. controvers. foren.* 30. *n.* 36.: Plerique tamen existimant, illam desumptam fuisse ex verbo *Laudo*, quod approbare, vel ratum habere significat, *De Vigr. de Laudem. tom. primo quæst. prima num.* 43. & 44.

Aliquando tamen contingit, ut transeuntibus bonis emphyteuticis ad Ecclesias, vel Loca Pia, nulla Domino directo spes suppetat devolutionis, ob vetitam iisdem Ecclesiis, vel Locis Piis a Pontificiis sanctionibus bonorum alienationem, & ita quilibet consequendi Laudemium aditus intercludatur. In hoc itaque casu, ne Dominus directus jus suum amittat, & absque propria culpa detrimentum patiatur, praxis invaluit, & ubique recepta consuetudo, qua fingitur, ut post lapsum annorum quindecim rei emphyteuticæ distractio sequatur, prout verosimiliter sequi potuisset, si res illa in libero hominum commercio versata fuisset, & alienationis causa Domino directo debitum fuisset Laudemium. Hac itaque de causa quando bona emphyteutica transeunt ad Ecclesias, vel Loca Pia, loco Laudemiorum inducta fuerunt *Quindennia*, quæ recurrente anno decimo quinto solvuntur in ea summa, quæ quantitati pretii Laudemii respondeat. Quamvis autem quindennalis ista solutio loco Laudemii præstetur, & Laudemii vocabulo quandoque exprimatur, nulla tamen de ea in jure fit mentio, sed consuetudine tantum, aut conventionibus invecta censetur *Capon. consult.* 31. *num.* 8. & 12., *Card. de Luca de Emphyt disc.* 50., *Rot. cor. Seraphin. dec.* 1401. *n.* 4., & *dec.* 1410. *num.* 29.

Concors ergo Doctorum omnium opinio est, ut in ingressu, seu, ut ajunt, *Intratura* novæ Ecclesiasticæ Investituræ, Laudemium a novo Emphyteuta Domino directo persolvatur, idque ob consensum in alienatione rei emphyteuticæ præstitum, atque etiam in recognitionem directi illius dominii, nec non in signum subjectionis, ac pro labore, seu honorario in approbando, seu laudando novum Emphyteutam, aliisque similibus de causis, quas passim tradunt Doctores hac de re agentes.

Laudemia proinde, & Quindennia inter fructus civiles recensentur *Fulgin. de jur. emphyteut. tit. de Laudem. quæst.* 21. *num. primo*, & *seq.*, *Joannes Lopez de Quindenniis cap.* 96. *n.* 5., *Rot. decis.* 98. *num.* 11. & 12. *coram Ubaldo*; & si fermo sit de præbenda canonicali, numerantur inter fructus, & emolumenta canonicalia, quæ inter Canonicos partiuntur. Hinc *Rota in Romana Coadjutoriæ super Quindenniis*, & *Laudemiis* 14. *Maii* 1695. *coram Muto*, relat. post *tract. Joannis Lopez de Quindenniis decis.* 13. *pag.* 573. censuit, non Canonico Coadjutori, sed Coadjuto deberi Quindennia, & Laudemia, eo quia omnes Canonicatus fructus in Apostolicis Litteris

teris fuerant Coadjuto reſervati. Similiter cum Collegio Pœnitentiariorum Liberianæ Baſilicæ aſſignata fuiſſent emolumenta unius Canonicatus, inſtitit Collegium apud Sacram Congregationem Viſitationis Apoſtolicæ, ut admitteretur ad participationem quorumdam emolumentorum, de quibus antea participare non conſueverat; præſertim verò Laudemiorum pro conſenſu, qui præſtatur in alienatione rei emphyteuticæ, ac Quindenniorum, quæ debentur ratione exiſtentiæ illius rei penes Eccleſias, & Loca Pia. Sacra autem Congregatio pro Collegio ſententiam dixit, ut teſtatur *Card. de Luca* relat. poſt *d. Tractat. Joannis Lopez pag.493.*. Ex his igitur, aliiſque, quæ adduci poſſent exemplis facilè dijudicari poterit, an Laudemium cedere debeat in utilitatem Beneficiati, ſeu potius in commodum Beneficii, ita ut teneatur Beneficiatus pro Beneficio inveſtire quidquid in cauſam Laudemii perceperit.

Laudemii quantitas, ſpectato jure communi, excedere non poteſt quinquageſimam partem pretii, quo bona emphyteutica æſtimantur. Etenim in *Leg. fin. Cod. de jur. emphyteut.* hæc habentur = *Et ne avaritia tenti, Domini magnam molem pecuniarum propter hoc efflagitent (quod uſque ad præſens tempus perpetrari cognovimus) non amplius eis liceat pro ſubſcriptione ſua, vel depoſitione, niſi quinquageſimam partem pretii, vel æſtimationis loci, qui ad aliam perſonam transfertur, accipere* = Ex qua quidem juris diſpoſitione illud etiam deprehenditur, Laudemium non eſſe dimetiendum juxta æſtimationem rei de tempore, quo primum in emphyteuſim tradita eſt, ſed juxta valorem, quo emi, & vendi poſſet de tempore translationis, ſeu novi emphyteutici contractus, ut apertè indigitant verba illa, *quinquageſimam partem pretii, vel æſtimationis Loci, qui ad aliam perſonam transfertur*. Quapropter ſi augeatur bonorum emphyteuticorum valor, Laudemii etiam quantitas augeri debet. Inſpecta autem conſuetudine, cui hac in re inhærere oportet, alicubi trigeſima, alicubi vigeſima, vel decima quoque rependi ſolet. Hinc pro varia utriuſque Regionis conſuetudine, pretiique ratione, Laudemium variis appellari nominibus conſuevit, nimirum Tertiaria, Quartaria, Penna Aurea, Quintellum, Decima, Vigeſima, Ventes, Rachatus, Accordamentum, Acapita, Relevium, Capoſoldus, de quibus *Capon. in citat. controv. for. 30. num. 37., & ſeq.*

Quo verò ad annuam præſtationem, ſeu Canonem pro bonis emphyteuticis Domino directo ſolvendam, illud nonnullis viſum eſt intereſſe diſcriminis inter emphyteuſim, & locationem, quod ſcilicet pro contractu emphyteutico modica rependi debeat penſio, ſeu canon bonorum fructibus longè inferior, pro contractu verò locationis penſio

fructibus respondere debeat. Ita sentiunt DD. relati in Decisione, cui titulus *Neapoli ana Quindennii super bono jure 13. Januarii 1703. coram Muto*, quæ est *decisio 19. post tract. Joannis Lopez de Quindenniis pag. 590. num. 12.* Alii tamen arbitrati sunt, quod licet in dubio ex modica pensione, vel canone contractus emphyteuticus desumatur, quemadmodum ex pensione fructibus respondente locationis contractus argui possit, nihilominus de essentia emphyteusis non sit, ut modica pensio solvatur, ita ut si pensio magna sit, emphyteusis natura, & substantia subvertatur *Valasc. de jur. emphyteut. quæst. 1. num. 8.*, *Surd. decis. 198. num. 20.*, *Panimoll. decis. 132. num. 11.*, *& seq.*, *& decis. 165. num. 33.* Quin immò putant nonnulli, in emphyteusi Ecclesiastica pensionem fructibus respondere debere, alias contractus non cedat in evidentem Ecclesiæ utilitatem, ut aliis relatis tradit *Surd. d. decis. 198. num. 22. & 23.*, & tunc solum emphyteusim pro minimo canone constitui posse, quando res sterilis, vel boschiva, vel ruinosa traditur *Rot. decis. 553. per tot. coram Pœnia*. Horum autem sententiæ visa est adhærere Sacra Congregatio in *Nullius, seu Asculana 24. Aprilis 1723.*, in qua renuit approbare concordiam, adversus quam inter cætera opponebatur, augumentum canonis non fuisse ritè constitutum, ut in folio illius Causæ impresso *die 6. Martii 1723. Thes. resol. pag. 292. §. Ad alteram*.

Præter hæc attendenda præcipuè sunt, quæ in Concilio Romano anno 1725. celebrato sub san. mem. Benedicto XIII. sancita fuerunt, *tit. 19. de reb. Ecclesiæ non alienandis*. Ibi enim reprobatis bonorum Ecclesiasticorum locationibus, & emphyteusibus, *quæ ab Ecclesiarum Rectoribus, Œconomis, & Administris, humano potius effectu, immò & effrænata quadam, certam in primo Conductorum ingressu ab his pecuniarum summam recipiendi cupiditate, quam habita Ecclesiarum utilitatis ratione, modico sub annuo canone, vel in perpetuum, vel ad longum tempus, seu sub emphyteusis titulo ad vigintinovem, sæpiusque etiam ad bis vigintinovem annos, vel tertiam generationem iniri solent*, statutum inter cætera fuit, *ne hujus occasione Locationis, vel in emphyteusim concessionis, aliquid, sub contractus nullitatis pœna, pro Laudemio, seu pro primo, ut ajunt ingressu, a quoquam recipiatur, ex quo Ecclesis, piisque Locis præjudicium fiat, vel justus annui Canonis valor decrescat, aut imminuatur*. Hæc itaque verba sedulo expendenda sunt, atque inquirendum, an absolutè, & indiscriminatim vetita sit quæcumque Laudemii exactio, vel potius ea tantum, quæ excedens sit, & in magna quantitate constituta, & ex quo eveniat, ut justus annui Canonis valor imminuatur, atque ita Ecclesiis, piisque Locis detrimentum afferatur.

Anno 1674. actum est in Sac. Congregatione de Laudemio in qua-

quadam causa *Amerina Laudemii*. Expositum scilicet fuerat, Capitulum Cathedralis ab antiquissimo tempore consuevisse bonorum emphyteusim renovare de 29. in 29. annos, seu ad tertiam generationem sub rigoroso Laudemio, vel Intratura, & sub tenuissimo canone: Laudemia autem hujusmodi ab anno 1566. per Synodalem Constitutionem quotidianis distributionibus applicata reperiri, eaque Canonicos inter sese dividere, vel in expensas pro Capitulo necessarias impendere. Additum quoque fuerat, Capitulum haud ita pridem Domum in emphyteusim concessisse pro intratura scut. 100., & sub annua responsione bononenorum 5. in recognitionem directi dominii, & jam de divisione Intraturæ agi cæptum fuisse. Verum quia Intratura potiorem fundi valorem æquabat, idcircò quatuor ex Canonicis junioribus, an id rite fieri posset, dubitarunt, animadvertentes, quod si Intratura considerari vellet tanquam pars pretii, tunc investienda esset pro ea rata, quæ quantitatem Laudemii a jure præfinitam excederet; si verò habenda foret tanquam solutio compensativa fructuum, qui ex fundo percipi potuissent, tunc saperet naturam illarum Locationum, quas Concilium Tridentinum *Sess. 25. cap. 11. de Reform.* fieri vetuit, irritasque declaravit. Hinc erogatis scutis 30. in redemptionem dominii utilis ejusdem Domus, appositoque sequestro super reliquis scut. 70. petierunt per Sacram Congregationem declarari = *An pecunia, quæ solvitur pro Intratura ultra decem pro centenario, dividi possit inter Canonicos, an potius reinvestienda?* Die autem 14. *Aprilis* Sacra Congregatio distulit resolutionem, mandavitque, ut exhiberetur Instrumentum primæ Investituræ *lib. 28. Decret. pag. 270. a terg.*

Ex tenore autem Instrumenti perspectum fuit, Domum fuisse alias concessam cuidam Stephano Bologna ad tertiam generationem pro simili responsione bononenorum quinque, dictumque Bologna anno 1639. illius utile dominium vendidisse Marco, & Felici Fratribus de Antoninis pretio scutorum 100., Capitulum verò alienationi, & novæ Investituræ consensum præstitisse, receptis solidis 20. in Ecclesiæ utilitatem erogandis, receptoque Laudemio ad rationem decem pro centenario. Hisce præhabitis renovatum fuit propositi dubii examen die *prima Septembris* ejusdem anni, prodiitque responsio: *Ex dicta pecunia scuta 60. esse reinvestienda, reliqua verò decem distribuenda*, ut ex *citat. lib. 28. Decret. pag. 366. terg.* Supplicantibus denuò Canonicis, ut decerneretur, an hujusmodi investimentum fieri deberet favore Mensæ Capitularis, & reditus indè retrahendi in quotidianas distributiones converti possent, prout fieri consueverat, Sacra Congregatio, audito prius Episcopo, qui Capitulo in omnibus favebat, *die 18. Julii 1676.* censuit pecunias ex Laudemio obve-

nientes *reinvestiendas esse ad favorem Capituli : lib. 19. Decret. pag 275. terg.*

Rebus itaque matura deliberatione perpensis Emi PP. definire dignabuntur

I. *An, & in qua summa Fratres de Cornovaglia solvere debeant Intraturam pro renovatione emphyteusis Vineæ, de qua agitur, in casu &c.*

II. *An summa pro Intratura solvenda in totum, vel in parte investiri debeat favore Abbatiæ, in casu &c.*

III. *An imminuta quantitate Intraturæ, augeri potius debeat annuus Canon, in casu &c.*

Sess. 21. cap. 17. de Reformat.

FIRMANA CAPELLANIÆ. Publicis exaratis tabulis anno 1677. *Spiritus Spiriti* amovibilem sub invocatione Sancti Spiritus erexit Capellaniam in Plebana Ecclesia S. Stephani Oppidi Montis Sancti cum onere Missarum sex singulis hebdomadis celebrandarum. Jus eligendi Capellanum dedit Plebano pro tempore ejusdem Ecclesiæ, & in hujus defectum Sacerdoti Seniori, adjecta lege nominandi *un Prete Sacerdote di buoni costumi, nativo di Monte Santo, non applicato al servizio altrui, quale doverà celebrare in detta Cappellania, ed Altare per se stesso, e non per altra Persona sei giorni di ciascheduna settimana con l'applicazione del Sagrifizio per la propagazione della divozione dello Spirito Santo, per la salute dell'anima di esso Signor Spirito, e de' suoi Consanguinei.*

Hanc ipsam fundationem confirmavit in posteriori Instrumento anni 1679. adjecta declaratione, *se quando occorrerà deputare il Sacerdote, fosse vacante là Pieve di detta Chiesa di Monte Santo, o trasmutata in Collegiata, ed in conseguenza non potesse farsi la deputazione dal Pievano, allora, ed in tali casi si faccia tal deputazione dal Sacerdote più anziano nell' Ordine Sacerdotale nativo, ed abitante nella Terra di Monte Santo.*

Assequutus fuit anno 1749. Capellaniam hanc Sacerdos Constantinus Thesauri : Verum erecta anno 1754. in Collegiatam eadem Ecclesia, adscriptoque inter Canonicos ipso Sacerdote Thesauri, novam ipse obtinuit ad Capellaniam nominationem a Sacerdote Seniore, ut in ejus possessionem se contoveret. Acris hinc controversia orta est ipsum inter, & alterum nominatum ab eo, qui ante erectionem Plebani munere fungens, post erectionem Collegiatæ Præposituram obtinebat, & lis primum coram A.C., ac deinde in Sacræ Rotæ Auditorio secundum vota Sacerdotis Thesauri finem habuit, ut ex decisione in *Firmana Capellaniæ 10. Martii 1760. coram Canilliac.*

Eo autem nuper e vivis erepto, Canonicus Joannes Baptista Ga-

Gaſperini ex Presbyteris ſenior in Capellanum elegit Sacerdotem Carolum Saſſetti ejuſdem Collegiatæ Eccleſiæ Canonicum. Electionem hanc ægreferentes cæteri Sacerdotes ejuſdem Oppidi, nullitatis eam accuſarunt ope monitorii coram A. C. expediti. Quæſtionis tamen definitione huic Sacræ Congregationi mandata, nunc utraque parte jura ſua tuente, de viribus quærendum eſt ejuſdem nominationis.

Inquiunt Sacerdotes, Fundatorem præſcripſiſſe electionem ejus Sacerdotis, qui nulli alieno ſervitio eſſet addictus, & qui per ſe ipſum, & non per alium ſex Miſſas ſingulis hebdomadis celebraret in ipſa Eccleſia Collegiata: Sacerdotem verò Saſſetti addictum eſſe ſervitio Eccleſiæ Collegiatæ, cujus Canonicatum poſſidet, & jam ratione Canonicatus obſtrictum eſſe ad Miſſas per ſe ipſum in ea celebrandas, nec non ad Sacrum Conventuale per turnum agendum, proindeque inhabilem eſſe ad onera Capellaniæ per ſe ipſum implenda. Injuria idcircò, & contra legem Fundatoris nominatum fuiſſe, ejuſdemque nominationem eſſe omninò irritandam *Rot. in Jacen. Portionis 9. Decembris 1757. §.6. coram Emo Paracciano.*

Nec referre, quod in poſteriori inſtrumento anni 1679. haud legatur iterum expreſſa lex de Capellano eligendo, qui nulli alieno ſervitio eſſet addictus: Quum in eo Fundator omnia confirmans in anteriori inſtrumento præſcripta, eamdem conditionem repetiiſſe cenſeatur. Nihilque item obeſſe, quod Capellania erecta ſit in eadem Eccleſia Collegiata; Cum nihilominus non poſſit Canonicus eadem die per ſe ipſum reſpectiva onera tam Canonicatus, quam Capellaniæ implere: Et præterea poſſe Sacerdotem, jure nominandi pollentem, in vim facultatis ſibi a Fundatore tributæ pro ſuo arbitrio ad aliam Eccleſiam transferre Capellaniæ onera.

Extraneum demum eſſe exemplum Canonici Theſauri, qui ad obitum uſque Capellaniam cum Canonicatu retinuit. In primis enim inquiunt, magnum intercedere diſcrimen inter Canonicum Theſauri, & Canonicum Saſſetti; quum ille Capellaniam obtinuiſſet, dum eſſet adhuc ſimplex Presbyter, nullique alieno ſervitio addictus, & ita actum magis fuiſſe de retinenda poſſeſſione, dum nihil ei obſtaret legitimè quæſita: Canonicum verò Saſſetti ſtudere de Capellania acquirenda, poſtquam jam incapax evaſit illam aſſequendi ob ſervitium, quo tenetur erga Collegiatam. Deinde advertunt, Sacerdotes tunc de legibus Fundationis nondum edoctos fuiſſe, libenterque etiam acquieſcere debuiſſe ob graves litis ſumptus ab eis factos pro tuenda paſſiva omnium Presbyterorum electione: & demum inquiunt, hunc unicum actum nec præſcripſiſſe leges fundationis, nec Capellaniæ ſtatum immutaſſe.

Con-

Contra inquit Canonicus Saſſetti, ſe eſſe actu Sacerdotem, in Oppido natum Montis Sancti, boniſque moribus imbutum; Expleta itaque a Presbytero ſeniore ejus electione, in nihilo contra Fundationis legem peccatum fuiſſe, ſuamque idcircò nominationem undique validam, ac legitimam eſſe, *Rot. cor. Anſaldo dec. 351. num. 1., & in d. Firmana Capellaniæ 10. Martii 1760. §. 6. cor. Canilliac.*

Nec Capellaniam incompatibilem eſſe cum Canonicatu. Clare ſiquidem hanc incompatibilitatem rejectam fuiſſe tum ab A.C., tum a Sacra Rota ſolemni re judicata anni 1760., cujus auctoritate Canonicus Theſauri Capellaniam obtinuit: Nefas autem modo eſſe tam ſolemnem rem judicatam, obfirmatamque fundationis interpretationem in diſcrimen revocare. Et revera rem eſſe de Capellania, quæ in ipſa Collegiata erecta eſt, ita ut rectè poſſit Canonicus per ſe ipſum Capellaniæ onera implere, ſimulque Choro, & Divinis Officiis intereſſe, ac etiam Conventualia ſacra per alium implere, prout conventum fuit in limine erectionis Collegiatæ, & ſubſequuta obſervantia huc uſque docuit.

Hinc perperam opponi, ſe uti addictum Eccleſiæ Collegiatæ ſervitio cenſeri debere a Fundatore excluſum. Non enim rem eſſe de Canonico addicto ſervitio extraneæ Eccleſiæ, ita ut utriuſque ſervitium incompatibile ſit, ſed de addicto ſervitio ipſiuſmet Eccleſiæ, in qua Capellania erecta eſt; ac propterea ceſſare cauſam excluſionis, quæ in mente Fundatoris verſata fuit. Demum addit, conditionem eam nullibi adjectam fuiſſe in poſteriori inſtrumento anni 1679., vel ſaltem ſibi favere obſervantiam maximè in linea interpretativa ſpectandam, ac favere etiam ultimum ſtatum, juxta quem quæſtio nunc definienda eſt.

Sacroſancta Tridentina Synodus inhærens antiquioribus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ inſtitutis pluralitatem Beneficiorum improbantibus, de quibus *in Can. Sanctorum diſtin. 70. cap. 1., & cap. Nonnulli de Cleric. non reſiden.* ſaluberrime in *ſeſſ. 21. cap. 1. de Reformat.* edixit = *Impoſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.*

Verum hæc cenſura rectè locum obtinet, quoties res eſt de duobus Eccleſiaſticis Beneficiis, quæ verè titulum collativum habeant, vel abſolutam reſidentiam expoſcunt, cum ipſamet titulorum beneficialium pluralitas odioſa ſemper habita fuerit, ne quis duabus Eccleſiis conſcriptus utrumque Beneficium occupare præſumat. At non æquè id obtinet, quando res eſt de ſimplici, & temporali Capellania nullum canonicum, & Eccleſiaſticum titulum præferente;

& quæ

& quæratur de ea aquirenda, vel retinenda cum alia Capellania, aut Canonicatu, *Gloss. in Extraagv. Execrabilis de Præb., Laur. in for. benef. tom. 3. sect. 1. cap. 2. quæst. 130. num. 4., Corrad. in prax. disp. lib. 4. cap. 2. num. 20.*

Incompatibilitas tamen, quæ in Capellaniis ex titulo oritur, sæpè desumitur vel ex lege Fundatoris, vel ex oneribus inter se non compatibilibus. Hinc habenti jam Capellaniam vetitum est aliam appetere, aut Canonicatum assequi, quoties vel Fundator prohibùit alterius assequutionem, vel utriusque onera impleri a Capellano nequeunt, *Amostaz de Causis piis lib. 3. cap. 12. num. 2., Garz. de Benef. part. 11. cap. 5 num. 280.* & latè *Rot. cor. Falconer. de Benef. dec. 1. num. 11.*

Quarè Sac. Congregatio in una *Romana Capellaniarum*, in qua Fundator tres Capellanias in Ecclesia Archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis de Urbe erexerat, cum lege celebrandi quinque Missas hebdomadales, data tamen facultate celebrandi per alium, si Capellanus vel infirmus, vel procul esset ab Urbe, aut inserviret alicui S. R. E. Cardinali, aut Prælato, cum Memmius Capellanus de Beneficio Curato provisus fuisset proposito dubio, *An attento, quod Memmius de Beneficio Curato extra Vrbem provisus fuerit, eadem Cappellania vacare dicatnr;* respondit die 7. Julii 1686. *Assignandum esse terminum duorum mensium Memmio ad eligendum alterutrum.*

In una *Neapolitana Capellaniarum*, in cujus casu quatuor erectæ fuerant Capellaniæ adjecto Capellanis onere personaliter residendi, & per se ipsos celebrandi quotidiè in Altari S. Joannis Baptistæ Ecclesiæ Sanctissimæ Domus Annuntiationis, proposito = *An Capellani, de quibus agitur, possint obtinere Beneficia Curata, vel æconomias Ecclesiarum Parochialium, aut incumbentias excipiendi Confessiones Monialium, vel alia onera cum celebratione Missarum incompatibilia acceptare, satisfaciendo per Substitutos oneri prædictarum Missarum;* Respondit sub die 14. Aprilis 1725. *Negativè, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione Missarum per se ipsos.*

Et in una *Senogallien. Capellaniæ*, in qua Sacerdos Mezzocchius possessor Capellaniæ habentis onus celebrandi per se ipsum tres Missas singulis hebdomadis, & interessendi Divinis Officiis in Ecclesia S. Joannis Evangelistæ Terræ Montis S. Viti, cum electus fuisset ad aliam Capellaniam in Ecclesia S. Amici Castri Muri expressa lege, *che sia obligato officiare la nostra Chiesa, ed adempire gli obligbi della Capellania per lui medesimo, ne vi possi sotto qualunque pretesto sostituire altro in sua vece, a riserva nel caso d'infermità*, proposito, *An constet de incompatibilitate duarum Capellaniarum, de quibus agitur, ita ut sit factus locus vacationi utriusque, sive potius alterius, & quæ vacaverit;* Respondit die 6. Ju-

6. Julii 1739. *Affirmativè ad primam partem, & alterutram ex Capellaniis esse dimittendam.*

Ante oculos igitur habere præstat in præsenti themate, & fundationis legem, & onera, indeque inquirendum, an Fundator excluſum a Capellania voluerit Sacerdotem jam Canonicum, & servitio Ecclesiæ addictum, vel an utriusque onera ita incompatibilia sint, ut unus, idemque Sacerdos singula implere nequeat. Eminentissimi PP. maturo, quo solent, judicio, singulis perpensis dignentur definire:

An electio Capellani per Joannem Baptistam Gasparini facta in personam Canonici Caroli Suffetti sustineatur, in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

BITUNTINA SERVITII CHORI. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Bituntinæ, sex numerat Dignitates, triginta Canonicos, triginta sex Manſionarios, seu Portionarios, & octo Clericos. Non eadem tamen est singulorum Canonicorum Præbenda, nam aliqui carolen. 15., alii 20., alii 30. habent, alii vero ducatos 10. 11., 12., 13., unus ducatos 15., duo ducatos 17', alii duo ducatos 22., & tres demum nullam habent Præbendam. Distributiones vero adeo tenues sunt, ut Capitularis quotidie interveniens Choro vix lucretur summam ducatorum 13. 41., plus minusve, pro modo interventus Capitularium.

Capitulo ineſt onus canendi quotannis tercentum circiter Missas defunctorum, cum interventu triginta sex Presbyterorum Choralium, seu medietatis Capitularium, nec non celebrandi alia 28. anniversaria nuper injuncta, quibus omnes interesse debent, & præsentes esse quoque tenentur vesperis, matutinis, ac laudibus secundum voluntatem piorum fundatorum.

Potitur Capitulum indulto alternativæ servitii Chori eidem jam usque ab anno 1627. concesso a Sacra Congregatione cum expressa lege *dummodo communia absorbeant tot dies, ut non remaneant oratoribus, nisi tres Menses, quibus absint a servitio Ecclesiæ*. Verum cum demptis diebus Dominicis, festis, aliisque communibus, ac anniversariis, singuli Capitulares nequidem quinquaginta dies vacationis habere contendant, supplicant modo ut attenta redituum tenuitate, ac insalubri Ecclesiæ Statu, donentur indulto interessendi per tertiarias tam Choro, quam Anniversariis, ac Missis cantatis.

Ad I. inquiunt, Ecclesiam valde humidam esse, atque hinc hyemali tempore asperum frigoris rigorem, æstivo autem nimium fervidam vim caloris exitiosam esse valetudini Capitularium, aliorumque Sacerdotum divina Officia peragentium. Reditus vero, ac distributiones adeo tenues esse, ut honestam haud præbeant sustentationem. Apertam ideo necessitatem, vel saltem æquitatem urgere, ut totum servitium ad tertiariam reducatur. Sa-

Sicram porro Congregationem anno 1627. indultum alternativæ dediſſe ea lege, ut ſinguli Capitulares tres haberent menſes vacationis. At præſtito alternatim ſervitio, ſi excipiantur dies feſti, Dominici, aliique communes, ac anniverſarii, vix quinquaginta ſupereſſe vacationis dies. Mentem ideo Sacræ Congregationis expoſcere, ut pluribus nunc adauctis oneribus totum ſervitium tertiatim impleatur, adhoc ut ſinguli trimeſtrem Conciliarem vacationem conſequantur.

Hinc ad II. concludunt, tertiatim quoque intereſſendum eſſe anniverſariis, & Miſſis cantatis quæ fere quotidie Capitulo incumbunt, ne aliter inanis, ac fruſtratoria reddatur indulgenda vacatio, coganturque ſinguli fere quotidie Choro pro Anniverſariis ac Miſſis defunctorum intereſſe.

Vicarius Generalis confirmat Præbendarum, ac diſtributionum tenuitatem, nec non Eccleſiæ inſalubritatem, & quoad ſervitium Chori ita concludit=*quæ cum ita ſe habeant, ut, & Prebendæ Canonicales, & diſtributiones quotidianæ ſint tenuiſſimæ, ſervitium vero quaſi continuum, incomoda ſalutis in Capitularibus maxima, nec ulla ſit ſpes aquirendi, augendique fructus, & proventus &c. imo potius diminuantur reditus ob damnum plurium millium ducatorum a ſiccis, frigidiſque ventis illatum arboribus præſertim Olivetis, pro ingenti mei tenuitate arbitror, niſi aliter EE. VV. videbitur, opportunius concedi poſſe ab EE. VV. Capitulo hujus Cathedralis, ut in poſterum ſervitium Chori dirigatur tertiatim cum aſſiſtentia in qualibet hebdomada duarum Dignitatum, decem Canonicorum, duodecim Participantium, & quatuor Clericorum.*

Has tamen adiiciendas proponit conditiones I. quod Punctaturæ ſubſit tam Capitularis abſens, quam qui debito tempore ad Chorum non accedat, ita tamen ut Autumno liceat Capitularibus alium ejuſdem dignitatis, ac gradus per aliquot dies ſubſtituere. II. ut omnes de mane tantum teneantur intereſſe diebus Dominicis, feſtis primæ, & ſecundæ Claſſis, tota octava Corporis Domini, die Cinerum, & a primis veſperis feriæ IV. majoris hebdomadæ ad Sabathum uſque incluſive. III. ut punctandi ſint omnes celebrantes Miſſam tempore divinorum Officiorum, niſi a Punctatore vocati, ac miſſi fuerint, itemque punctaturæ ſubſint audientes Sacras Confeſſiones, exceptis diebus feſtis ob populi frequentiam.

Demum de Anniverſariis, ac Miſſis cantatis hæc habet = *Cum denique in Anniverſariis communibus totum Capitulum, & Miſſis cantatis medietas Capituli intereſſe debeat, EE. VV. poſſent caſu, quo ſervitium tertiatim concedatur, obligare tantum, qui de Hebdomada, ad ipſa Anniverſaria, & Miſſas, implorando tamen pro defectu perſonarum a Sanctiſſimo D. N. indulgentias plenarias in dictis Anniverſariis, & cantatis Miſſis Defunctorum, vel alio quovis ſpirituali, aut ſalutari modo providere.*

Sacroſancta Tridentina Synodus ad doctrinam Sacrorum Canonum conſtabiliendam, & corruptelas exterminandas, miſcuit ſeveritati indulgentiam, & intra tres menſes vacationem in Eccleſiis tolleravit, longiorem proſcripſit, ac generalem legem edixit *obtinentibus in Eccleſiis Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis abeſſe, ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt* ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform.

Abrogavit itaque Concilium eas conſtitutiones, ac conſuetudines, quæ longiorem concedebant vacationem ultra tres menſes, eas vero retinuit, quæ longius ſervitii tempus ſtatuebant. Hinc Sacra Congregatio deficiente neceſſaria cauſa ſemper reprobavit ſtatuta, vel conſuetudines vacandi a ſervitio Chori ultra tres menſes, ut in *Vercellen. lib. 2. decr. pag. 96.*, *in Leyrien. anni 1616. lib. 14. decr. pag. 381.*, in *Burgen. 22. Aprilis 1624.*, in *Catacen. 29. April. 1698. lib. 48. pag. 567.*, & in *Vrgellen. Statuti 8. Martii 1750.*

Procul tamen a neceſſitate, ob cauſam videlicet nimiæ tenuitatis Præbendarum, & diſtributionum, nimiæ rigiditatis aeris, & intemperiei, pleniſſimi Canonicorum numeri, gravis plurium ætatis, & malæ valetudinis aliquando etiam conceſſit ſervitium alternis vicibus, & etiam per tertiarias ut in *Auximana 12. Julii 1631. lib. 14. decr. pag. 467. in Montis Regalis 28. Nov. 1649. lib. 19. decr. pag. 10.*, *in Farfen. 13 Novemb. 1655. lib. 19. decr. pag. 582.*, *in Arianen. 12. Dec 1696. lib. 49. decr. pag. 447.*, *in Catacen. ſervitii Chori 5. Sept. 1699. lib. 49. decr. pag. 312.*, *in Iſernien. 26. Junii 1723.*, *in S. Severinæ 13. Julii 1725.*, & *in Tranen. 22. Nov. 1738.*

In Omni tamen caſu juſtiſſimam certe, & æquiſſimam legem adjecit præſcribentem, *ut Capitulares omnes tempore Adventus, & Quadrageſimæ, omnibus diebus feſtis, & ſollemnioribus Nativitatis, & Reſurrectionis D. N. J. C., Pentecoſtes, & Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & per totam octavam ejuſdem, ac aliis temporibus Ordinario beneviſis jugiter ſervire teneantur*, ut plene in *Tarraconen. 23. Martii 1765.*

Atque ita conſtans, immotaque fuit hæc Sac. Congregationis providentia, ut in eadem *Tarraconen. 23. Martii 1765.* propoſito dubio = *An moderandæ ſint clauſulæ appoſitæ in reſcripto, ſeu potius augendus ſit numerus Capitularium, qui abeſſe poſſint*, reſponderit = *Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam pro ſex Capitularibus tantum.*

Ponderandum itaque num in caſu, de quo agitur rationabilis urgeat neceſſitas, ut vacatio an. 1627. conceſſa ad mediariam, modo ad tertiariam ſit amplianda. Confert in hanc rem plura circumſpicere, nimirum ante oculos habere fructuum, & diſtributionum quantitatem, onera Capitularium,

rium, eorumdem numerum, ac insalubrem Ecclesiæ conditionem.

Demum quoad 28. anniversaria, quæ ex voluntate piorum fundatorum celebranda sunt cum interessentia omnium Capitularium, advertendum est, Sacram Congregationem semper ab eorum participatione excluſisse omnes quomodocumque privilegiatos, & etiam jubilatos, ut in *Novarien.* 29. *Novemb.* 1681., *in Lunen. Sarzanen. jubilationis* 30. *Septemb.* 1684. *in Aquipendien. Indulti* 1. *Aprilis* 1719., *& in Aquilana indulti* 16. *Junii* 1745.

Omnibus idcirco more solito perpensis EE. PP., qua eminent juris sacri doctrina, & æquitate, respondere dignabuntur.

I. An Dignitatibus, Canonicis, & Capitularibus, Ecclesiæ Cathedralis Bituntinæ sit concedendum indultum inserviendi Choro & Ecclesiæ per tertiariam in usu &c.

II. An sit consulendum Sanctissimo pro facultate explendi Anniversaria, & Missas cantatas defunctorum per dictas Dignitates, Canonicos, & Capitulares etiam per tertiariam.

MONTIS FALISCI. Perpetuum Ecclesiasticum Beneficium titulo Canonicatus insignitum instituit an. 1614. in Collegiata Ecclesia S. Joannis Baptistæ Terræ Cryptarum Capitaneus Leonardus Cordelli, nonnullis pro dote Beneficii collatis bonis, certisque adjectis conditionibus, atque oneribus a Beneficiato adimplendis. Reservavit porro Patronatum favore personæ a se infra annum nominandæ: statuit ut Canonicus quatuor singulis hebdomadis Missas cum applicatione Sacrificii celebraret, unam videlicet feria secunda de Requie, si festo duplici ea dies non fuisset impedita, reliquas verò tres ad ipsius Canonici libitum tam quoad ritum, quam etiam quoad diem. Quemadmodum verò idem Canonicus de aliorum Canonicorum decimis particeps esse non poterat, ita voluit, ut nec ordinariis Capituli expensis esset obstrictus; non ideo tamen ab acquirendo jure antianitatis, ac præeminentiæ depelleretur, sed occurrente alicujus Canonici obitu, cæteris post ipsum in Capitulo admissis præcederet, idque etiam in Sacris supplicationibus, aliisque Ecclesiasticis functionibus servari præcepit: mandavit enim, Canonicum tanquam partem, & Capituli membrum in quibuscumque actibus haberi, non tamen adigi posse ad onus Curæ Animarum, cæteris Canonicis inhærens. Conditiones hujusmodi Capitulum admisit, & Episcopus erectionem Canonicatus ad tramites fundationis decreto suo probavit. Denique Fundator se ipsum quoad viveret, suosque post sui obitum hæredes, & successores in Patronos nominavit.

Sess. 25. *cap.* 4. *& 5. de Reform.*

Canonicatum hujusmodi anno elapso 1769. obtinuit Sacer-

dos Angelus Sebastiani. Is autem bona in illius Dotem assignata ad statum adeo pessimum redacta adinvenit, ut sola sc. 22. 90. quolibet anno retrahantur, ex eo potissimum, quod una ex vineis, cujus reditus in annuis scutis 20. computantur, concessa fuerit a Canonico Antecessore in emphyteusin ad tertiam generationem pro canone obulorum 50.: Altera vero, quæ tota exsiccata est, vix reddat obulos 40. Supplex idcircò adiit Sacram Congregationem pro reductione Missarum ad quantitatem reditibus respondentem, cum eleemosina computanda in obulis 17. cum dimidio, inspecto onere residentiæ, cui ratione Canonicatus obstringitur.

Vicarius Generalis, cui expositorum indago commissa fuerat, transmisit epistolam Vicarii Foranei Terræ Cryptarum, ex qua constitit, a longo jam tempore bonorum deteriorationem accidisse; cumque invenire datum non sit culpæ Auctorem, nullum idcircò judicium pro damni emendatione institui posse. Patroni verò, qui non adeo faciles se præbuerant præstationi expostulatæ reductionis, cum cognoverunt Canonicum Oratorem meliorandis bonis manum appositisse, & meliorationes prosequi paratum esse, consensum dedere suum, ea tamen conditione, ut reductio inserviret meliorandis bonis, atque onera proportionabiliter revivi scerent juxta proportionatum redituum augumentum.

Relatis præcibus per supplicem libellum in Congregatione *diei* 28. *elapsi mensis Aprilis*, rem maturiori examine dignam existimarunt Eminenti ssimi PP., interim demandantes, ut de qualitate servitii Collegiatæ Ecclesiæ præstandi, de inservientium numero, de singulorum Canonicatuum reditibus accuratius cognosceretur, & insuper inquireretur, an Capituli consensus accederet. Super his itaque redditæ sunt litteræ Vicarii Generalis, cum aliis Vicarii Foranei Terræ Cryptarum, qui testatur, Capitulum constare ex Archipresbytero, tribus Canonicis Capitularibus, & novem supranumerariis, omnesque petitæ a Canonico Sebastiani reductioni consentire. Addit, omnes teneri divinum canere officium quibuscumque anni festis diebus, integra Octava Corporis Christi, & Completorium singulis diebus Quadragesiæ, nec non interesse Processioni, tum quæ in ea solemnitate, tum aliis, quæ in festo S. Marci, & in diebus Rogationum peraguntur; ac demum celebrare Missam cum cantu diebus Lunæ, & Sabbathi cujuslibet hebdomadæ, ac etiam nonnullis infra annum occurrentibus festis. Fructuum denique uniuscujusque Præbendæ notulam transmisit, ex qua apparet, reditus Canonicatus ab Oratore possessi inferiores esse iis, qui ab aliis percipiuntur, cum unus 30., alius verò 40., nonnulli etiam 50., & sexaginta scuta, & Archipresbyter scu-

ta

ta biſcentum lucretur. Hiſce igitur illuſtrata luminibus cauſa EE.VV. judicio denuò ſubjicitur.

Ad obtinendam autem reductionem ſuſtinet Canonicus Sebaſtiani, quod imminutis reditibus Miſſarum oneri ſuppoſitis, iſtarum etiam numerus imminui debeat *Gonzal. in Cu Cap. Nos quidem de Teſtib., Felin. in cap. cum acceſſiſſent 19. fin. de Conſtit.*, *Rot. coram Anſald. deciſ. 66. num. 35.* Quin locus eſſe valeat actioni contra hæredes Fundatoris exercendæ, cum in fundationis Inſtrumento prius aſſignata fuerint bona pro Dote Canonicatus, deinde adjectum onus Miſſarum, quo caſu bonorum aſſignatio taxativa dicitur, nec alia ſuppetat via, quàm ad Miſſarum reductionem devenire, ut legitur in inſtructione, quam Sacra Congregatio Epiſcopis ſolet tranſmittere, relata a Sa. Me. Benedicto XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 13. cap. ult. num. 32.*

Nec inquirendum eſſe, an juxta ordinem Sctipturæ, quo prius Sacrorum celebratio, deinde perſonalis reſidentia præſcripta fuit, alia potius onera, quam Miſſarum numerus reduci debeat. Aſſerit enim, non ordinem Scripturæ, ſed Fundatoris voluntatem eſſe attendendam *Card. de Luc. de Fideicom. diſc. 132. n. 6. & 7.*. Ex fundatione verò undequaque apparere, Capitaneum Cordelli nil aliud optaſſe magis, quam erigere Beneficium reſidentiale, cui cætera alia onera famularentur ex animadverſis per Rotam in *S. Severini Functionum Eccleſiaſticarum 14. Aprilis 1755. §. 13. coram Vicecomite*. Infert proinde, quod ſtatim ac Canonicatus erigitur, inſpecta tum Juris diſpoſitione, tum decreto Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* reſidentia ex ipſa Beneficii natura inducta cenſeri debeat, quamvis non fuerit expreſsé demandata. Hæc autem omnia eo magis in præſenti caſu locum habere affirmat, quo Fundator onus reſidentiæ expreſſe adjecit.

Poſita igitur reductionis neceſſitate, concludit, eam fieri debere ad rationem taxæ perpetuæ, obulorum ſcilicet 20. pro qualibet Miſſa, juxta plures S. Congregationis reſolutiones, ſignanter in *Nepeſina Reductionis onerum 27. Julii 1734.*, *& in Lucana Applicationis Miſſæ quotidianæ 12. Februarii 1735.* Maximé quia reductio ad minorem Miſſarum numerum impertita fuit anno 1727. tribus aliis ejuſdem met Collegiatæ Canonicis, licet reditus Præbendarum, quæ ab ipſis poſſidebantur, longe ſuperarent eam reddituum quantitatem, quam percipiat Orator ex bonis ſui Canonicatus.

Duo hac in re præcipuè inquirenda ſunt. Primo an Miſſarum numerus reduci debeat; ſecundo, an poſita reductionis neceſſitate ea fieri debeat ad rationem, quam vocant, manualis, ſeu potius juxta taxam perpetuam. Quoad primum nota ſunt, quæ tradit Benedictus XIV. *de Synod. Diœceſ. lib. 13. cap. ult. num. 32.*, quæque referun-

runtur in Instructione Episcopis transmitti solita ad decernendum, sit nec ne *taxativa*, seu potius *demonstrativa* assignatio fundi cujuslibet Beneficii. In primis enim animaddertitur, utrum dispositio exordiatur ab assignatione fundi, deindeque onerum præscriptio sequatur, seu potius è converso initium sit ab onerum præscriptione, ac postea reditus in illorum implementum erogandi fuerint designati, cum in primo casu *taxativè*, in secundo autem *demonstrativè* bona relicta censeantur. Si autem *taxativè* bona relicta fuerint, locus est reductioni juxta proportionatam redituum quantitatem; Si verò *demonstrativè*, reductio non admittitur, sed Fundatoris hæredes cogi debent ad supplementum quantitatis, quæ omnium onerum implemento defecerit. Inspicienda proinde in præsenti casu est fundatio Canonicatus, ut de onerum reductione ferri valeat judicium.

Ubi autem expedire videatur, ut admittatur reductio, longe æquius est, ut onera cætera magis, quam Missarum numerus imminuatur *Fagnan. in cap. ex parte de Constit. n.4., Bordon. de Legat. cap.55. num.35., & 42.*, nisi aliter conjecturata mens Testatoris suadeat; tunc enim vel æqua fieri debet omnium onerum reductio, ut censuit S. Congregatio in *Bracharen. Reductionis onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib.67. decret. pag.373.* vel firmis remanentibus aliis oneribus, Missarum numerus imminuitur, *Passerin. de stat. homin. tom.2. quæst.187. num. 1101., Benedict. XIV. loc sup. cit. num. 23.* Certa de hoc regula statui non potest, cum pendeat ex conjecturis, quæ ex toto fundationis contextu emergunt.

De Missarum eleemosina præfinienda illud animadvertendum est, quod in initio, antequam pia dispositio executioni mandetur, si reditus impares comperiantur ferendis perpetuis Missarum oneribus, eleemosina præfinitur ad rationem taxæ perpetuæ, ut in *Romana* relata inter supplices libellos *die 6. Februarii* 1734., *& in Neapolitana Reductionis onerum* 24. *Julii ejusdem anni*. Si verò agitur de imminuendo onerum quantitate, constituendaque proportionabiliter æleemosina, postquam dispositio jam fuerit exequutioni demandata, tunc, ut minori, quo fieri potest numero, Missarum reductio sequatur, manualis æleemosina constituitur, ut monet Sa. Me. Benedictus XIV. *de Synod. Diœcæs. lib.13. cap. ult. n. 35.*

Vicarius Generalis existimat, bona fuisse *taxative* relicta, & in utraque relatione juxta vota Canonici Oratoris suam aperit sententiam. An autem ejus opinioni adhærendum sit, viderint Eminentissimi PP., quibus proponitur definiendum.

An, & quomodo sit locus reductioni in casu &c.

TAU-

TAURINEN. IRREGULARITATIS. Ioannes Fracchia ex Oppido, quod vacant *Cavaler Magiore*, Vir fuit, ad iram pronus, audax, multiplicique culpa inquinatus. Ob corruptos hos mores Pater ejus Joannes Baptiſta inſtituto filio in ſola legitima, in quam imputari voluit libras centum in ejus cauſam jam erogatas, hæredem ſibi ſcripſit Diaconum Joannem ex altero filio Nepotem morigerum, pluribuſque animi dotibus commendatum. Cauſa hinc indignationis, & odii Patrui in Nepotem, atque origo diſſidiorum. Hæc Parochi ope, & Amicorum conſilio compeſci aliqualiter potuerunt, non tamen penitus extingui. Tradita enim ab *hærede æſtimatione legitimæ*, *exceptis* libris centum, quas Teſtator juſſerat in illam eſſe imputandas; Patruus tanta exarſit iracundia, ut quadam die, diſtricto gladio, ad Domum Diaconi acceſſerit, & in eum licet abſentem contumelioſis primum prolatis verbis, deinde in Matrem, & Sororem lapides injicere tentaverit, quæ clauſo oſtio in domum ſeſe recipere coactæ ſunt. *Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.*

Occurrit Populus, & clamoribus excitatus Diaconus Joannes Baptiſta, qui in Domo è regione ſita manebat, furentem Patruum, & pejora minitantem conſpexit, abſque eo quod ex atrio ſuæ Domus poſſet removeri. Timens itaque proximam, jamque comminatam cædem Matris, & Sororis, arreptis duobus ſclopis ad propriam Domum acceſſit. Hunc vero, ut vidit Patruus, gladii ictum in eum cominus vibravit. Tunc Diaconus, ſclopum exploſit, & læthaliter vulneravit Patruum, qui tamen fugientem Nepotem inſequutus, atque aggreſſus, ſeptem in eum vulnera infligit, ob quæ graviter ad necem uſque egrotavit: Ipſe verò lethali ſclopi ictu ſaucius, & ad mortem properans, Nepoti data venia, poſtridiè occubuit.

Curia Archiepiſcopalis Taurinen. ſtatim in Diaconum inquiſivit, eumque irregularem renunciavit, ac ſententia damnavit ad Carcerem per ſemeſtre in Religioſa Domo. Poſt lapſum annorum ſexdecim (caſus enim accidit anno 1754.) ſupplicat pro diſpenſatione ab irregularitate, ut ad Præsbyteratum poſſit promoveri.

Inquit, irregularitatem ab eo nequaquam incurri, qui non dedit operam rei illicitæ, ſed ad ſui tantum defenſionem, ac ſervato moderamine inculpatæ tutelæ homicidium commiſerit: nec dici poſſe, quod operam rei illicitæ dederit, qui ſubita animi perturbatione, ingenitoque inſtinctu Matri, & Sorori auxilium ferendi, propriamque vitam tuendi, arma ſumpſerit *cap. olim de reſtit. ſpol.*, *Riccius in prax. par. 1. Reſolut. 325. in fin. §. Reperiuntur.* De violentia autem, atque iracundia redargui non poſſe, cum a Patruo aggreſſus diſtricto gladio, & ad necem laceſſitus, fugiendi præcluſo aditu, coactus fuit ſclopum in Patruum ex-

explodere, ut mortem, quo potuit modo, averteret, ad *Text. in Clement. si Furiosus de homicid.*

Hinc sustinet, homicidium non fuisse voluntarium, aut per insidias patratum, sed ut vim vi repelleret, quo casu dispensatio non denegatur juxta *Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*, *Fagnan. in cap. Henricus de Cleric. pugnant. in duell.*, *Barbos. de Offic. Episcop. par.* 2. *alleg.* 39. *num.* 49. immo cum commissum fuerit, ut sibi, suisque Parentibus opem ferret, nullam idcircò irregularitatem incurrisse *Innocentius III. in Cap. Dilectus* 13. *de Homicidio*; *Honorius III. in Cap.* 23. *eod. tit.*

Præsertim quia in præsenti casu ea omnia concurrunt, quæ dispensationi saltem ex gratia indulgendæ viam aperiunt quæque a Fagnano referuntur in *Cap. Henricus de Cler. pugnan. in duell. num.* 41., quod scilicet homicidium commissum non fuerit per industriam, sed tumultuarie, & ad sui defensionem, cum non alio modo mortem evadere posset; quodque Orator non fuerit rixæ auctor, immò sæpius ejus occasionem declinaverit, & læthalia vulnera a Patruo receperit. Accedere etiam testimonium Archiepiscopi de bona Oratoris fama, & moribus, ac de pessimis qualitatibus occisi; plurimique habendum esse lapsum temporis a die commissi homicidii, pœnitentiæ signa, quæ præbuit, pacemque tam a defuncto, quam ab ejus Consanguineis reportatam.

Homicidium unum est ex iis criminibus, quorum causa in aliquibus Ecclesiis etiam in mortis articulo absolutio fuit olim denegata, ut habetur ex *D. Basilio can.* 56., semperque usque ab initio sæculi XIV. irregularitatem induxisse refert Gratianus ex decreto *Joannis VIII. can.* 4., & *Nicolai I. Can.* 6. *dist.* 50. Verum Clemens V. in *Clement. unic. de homicid.* primus declaravit, ex homicidio ad sui necessariam defensionem patrato irregularitatem non incurri ibi = *Nullum ex hoc irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat invasorem*. Ratio autem est, quia *vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt*, ut expressum legitur in *Can.* 3. *de sent. Excom.*, & in *leg.* 3. *ff. de Just. & jur.* dicitur *Jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur* = atque ita communiter sentiunt DD. cum *D. Thoma* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7.

Quando autem homicidium ad necessariam sui defensionem commissum censeatur, patet ex citata *Clement. Unica de homicidio* his verbis = *Inangulatus erat, vel sic arctatus, quod fugere non poterat, nec se juvare clamore, nec aliter* = quod quidem locum non habet in homicidio commisso pro defensione Parentum, aut fratrum, quia hic casus non est de necessitate inevitabili, ut tradit glossa *verf. suum*, & explicat *Navarrus cap.* 27. *n.* 213. relatus a *Fagnano in Cap. Petitio* 24. *de homicidio n.* 3.

Ve-

Verum neceſſaria quoque defenſio certis limitibus contineri debet, itaut occiſio non ad vindictam, ſed ad propulſandam injuriam facta dignoſcatur *Cap. ſignificaſti* 18. *de homicidio*. Hinc inſpicienda eſt *cauſa*, *modus*, *& tempus*. *Cauſa* videlicet, ut aggreſſio ſit injuſta, quia juſtum aggreſſorem occidere nonlicet, *Piringh. l. 5. decret. tit. 12. n. 92.; Reiffenſtruel. ibid. num. 132.*, *Modus*, ut nempè vis neceſſaria ſit ad injuſtum aggreſſorem repellendum *Cap. Ut famæ de ſent. Excom. 35.* ibi = *Dum tamen non amplius eorum violentia ſe extendat, quam defenſio exigit* = *Tempus*, ut occiſio ad ſui defenſionem ſequatur ſtatim ac quis ſibi vim fieri, aut imminere certò cognoſcit *Cap. Si verò 3. de ſent. Excom.* ibi = *Si incontinenti vim vi repellat*.

Cohæret Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 7. de Reform.* his verbis = *Si verò homicidium non expropoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris Miniſterium, & beneficia quæcumque, & Dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committitur loci Ordinario, qui diſpenſare poſſit* = Et explicat Fagnan. in *Cap. Henricus de Cleric. pugn. in duello* ubi refert circumſtantias, quæ perpendi debent, ut dignoſcatur, an homicidium caſuale fuerit, vel voluntarium, & quando diſpenſatio concedi debeat. In præſenti itaque caſu habendæ præ oculis ſunt circumſtantiæ, quæ præceſſerunt, quæque comitatæ ſunt homicidium commiſſum a Diacono Fracchia, qui in proxima domo decumbens, duplici armatus ſclopo ad pròpriam acceſſit, ut Matri, & Sorori intra domeſticos parietes clauſo oſtio latitantibus opem ferret.

Sacra Congregatio juxta diverſas caſuum circumſtantias diſpenſationem quandoque conceſſit, ut in *Trivertina Irregularitatis 11. Decembris 1694.*, *in Nuſcana Irregularitatis 12. Aprilis 1710.*, & refert Ferraris verb, *Irregularitas*; quandoque etiam ſub conditione impertita eſt, ut in *Virdunen. diſpenſationis ab Irregularitate*, in qua agebatur de Parocho, qui baculo Parochianum in oculo vulneraverat, & ex accepto vulnere Parochianus deceſſerat; propoſito enim dubio = *An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo ſuper diſpenſatione* = die 2. Auguſti 1760. reſponſum fuit = *Affirmativè poſt dimiſſam, vel permutatam Parochiam cum alio beneficio non curato, dummodo non celebret in loco commiſſi delicti* = Aliquando etiam illam denegavit, ut in *Derthonen. Irregularitatis 8. Maii 1766.*, *in Agrigentina diſpenſationis 30. Januarii 1768.*, & alibi.

Notandum, quod diſpenſatio facilius conceditur, quando agitur de habilitando jam promoto ad Ordinum exercitium, quam ſi agatur de promovendo *gloſſ. in Cap. Ex tenore de tempor. ordin.*, *Covarr. inſt. par. relect. Clement. ſi furioſus de homicid. §. 3. num. 4.*, *Fagnan. in citat. Cap. Hen-*

ricus num.25. Dubitatum olim fuit, an decretum Concilii Tridentini *seſſ.14. cap.7.* ejiciens voluntarium homicidam a diſpenſatione, eum comprehenderet, qui ante homicidium ad Sacros Ordines erat promotus? Quid hac de re tunc ſenſerint Eminentiſſimi PP. in Congregatione Concilii habita coram Sanctiſſimo, refert Fagnanus in *d.Cap.Henricus n.23. & ſeq.*

Archiepiſcopus, qui factum fuſius enarrat, exponit etiam mores, ac qualitates tum Diaconi Fracchia, tum etiam Joannis Baptiſtæ Patrui. De hoc enim ait = *Joannem Fracchia Patruum adparuiſſe hominem malis moribus præditum, humana, nec non divina jura ſpernentem, inobſequentem erga proprios Parentes, a quibus disjunctus vivebat propter inhoneſtam ejus vivendi rationem, rapacem, nec non agrorum devaſtatorem ab omnibus communiter habitum, tam impudicum, ut Antoniam ejus Uxorem proſtituere, & propriam Domum Lupanar conſtituere non erubuerit, adeout a Rectore Pareciæ S.Mariæ Plebis, in cujus diſtrictu tunc temporis iſte degebat, accedente Laicæ poteſtatis auctoritate a dicta Parecia fuerit expulſus.*

De Diacono verò teſtatur= *apparuiſſe optimis moribus præditum, ad S. Pœnitentiæ, & Euiharistiæ Sacramenta ſæpiſſimè accedentem, pueros in primis Fidei Catholicæ rudimentis in Parochiali Eccleſia SS. Michaelis, & Petri loci Caballarii Majoris hujuſce meæ Diœceſis frequentiſſimè erudientem, in qua etiam Populos divinæ Doctrinæ pabulo nutriebat, omnibus Sacris functionibus, per totius anni curriculum in eadem Eccleſia fieri ſolitis ſedulò aſſiſtentem, omniaque alia obeuntem pietatis, ac religionis Officia, quæ Virum Eccleſiaſticum decent.*

Quare iſtius favore ita concludit = *Ego autem magis ipſum miſeratione dignum arbitrarer, quod ſententiæ ab hac Curia Archiepiſcopali in eum prolatæ, ut ſupra exactiſſimè paruerit, ab eoque tempore, uſque nunc non lævia præbuerit Pœnitentiæ, & emendationis indicia, pietatis, ac Religionis officia, in quibus antea diligenter exercebatur, diligentiſſime obeat, undè emergit indigenarum ædificatio, profectuſque, id inſuper flagitante Eccleſiæ Parochialis Sanctorum Michaelis, & Petri dicti Loci Caballarii Majoris, cui Orator adſcribitur utilitate, attento exiguo Sacerdotum ibique Miniſtrantium numero.*

Perſpectis itaque facti circumſtantijs, ac perſonarum qualitatibus, viderint Eminentiſſimi PP.

An ſit conſulendum SSmo pro gratia diſpenſationis in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 24. Novembris 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TEmporis anguſtia cogente, EE. PP. in poſtrema Congregatione diei 15. Septembris mox elapſi deciſionem ſex Cauſarum, quæ priori loco indicabuntur, hodierno reſervarunt Conſeſſui: Nunc itaque benignè reſumpto Folio illa die diſtributo, rogantur decernere.

SPOLETANA JUBILATIONIS.

An, & quomodo ſit locus jubilationi, in caſu &c. *Seſs. 24. cap. 12. de Reformat.*

Affirmativè, deletis conditionibus.

ROMANA LAUDEMII.

I. *An, & in qua ſumma Fratres de Cornovaglia ſolvere debeant Intraturam pro renovatione emphyteuſis Vineæ, de qua agitur, in caſu &c.* *Seſs. 25. cap. 11. de Reform.*

II. *An ſumma pro Intratura ſolvenda in totum, vel in parte inveſtiri debeat favore Abbatiæ, in caſu &c.*

III. *An imminuta quantitate Intraturæ, augeri potius debeat annuus Canon, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè in ſcutis quatuorcentum ad formam conventionis. Ad II. Dilata, & ſcribatur pariticulariter. Ad III. Dilata.

FIRMANA CAPELLANIÆ.

An electio Capellani per Joannem Baptiſtam Gaſparini facta in perſonam Canonici Caroli Saſſetti ſuſtineatur, in caſu &c. *Seſs. 21. cap. 17. de Reformat.*

Affirmativè.

Seff. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

BITUNTINA SERVITII CHORI.

I. *An Dignitatibus, Canonicis, & Capitularibus Ecclefiæ Cathedralis Bituntinæ fit concedendum indultum inferviendi Choro & Ecclefiæ per tertiariam in cafu &c.*

II. *An fit conſulendum Sanctiſſimo pro facultate explendi Anniverſaria, & Miſſas cantatas defunctorum per dictas Dignitates, Canonicos, & Capitulares etiam per tertiariam.*

Ad I. Affirmativè, & detur Decretum in Tarraconen., exceptis etiam Anniverſariis. Ad II. Proviſum in primo.

Seff. 25. *cap.* 4. & 5. *de Reform.*

MONTIS FALISCI.

An, & quomodo ſit locus reductioni in caſu &c.

Affirmative quoad numerum Miſſarum cum eleemoſina ad rationem taxæ perpetuæ firmis tamen remanentibus reliquis Canonicatus oneribus.

Seſs. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

TAURINEN. IRREGULARITATIS.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro gratia diſpenſationis, in caſu &c.

Non propoſita cum ſequentibus.

Seſs. 25. *cap.* 15. & 19. *de Regul.*

GRATIANOPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Poſt elapſum a profeſſione quinquennium, Monialis *Chriſtina Borgard* in ſæculo Eugenia Margarita, ejuſque germana Soror *Victoria*, vocata prius Anna Maria, ambæ profeſſæ in Monaſterio Sanctiſſimæ Annunciationis Camberiaci, petierunt in integrum reſtitui, affirmantes, per vim, & metum a Patre incuſſum ſollemnia vota, abſque animo profitendi, emiſiſſe: Illudque etiam addidit *Chriſtina*, ad profeſſionem agendam fuiſſe coactam, cum nondum ad legitimam ætatem a Concilio Tridentino præfinitam perveniſſet. Confecto de more Proceſſu, dubium proponitur ſuper hac petitione definiendum.

Su

Sustinent itaque eædem Moniales, non sponte, liberaque voluntate, sed coactè, per vim, & metum ad profitendum se fuisse compulsas; professionem verò nunquam ratam habuisse, nec unquam confirmasse: hinc deficiente consensu de illius nullitate dubitari non posse *Can. Præsens 4 cauſ. 20. quæſt. 3.*, *& Cap. Cum Virum 12. de Regular.*; denegandam ideo non esse restitutionem in integrum ob elapsum quinquennium ad reclamandum præfinitum juxta morem Sacræ Congregationis probatum a san. mem. Benedicto XIV. in *Constit. Si datam §. Hujus autem Judicii*, *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcopi par. 3. allegat. 104. num. 18.*, *Corrad. in prax. dispensat. lib. 5. cap. 14.*, *Rot. coram Molines decis. 798. num. 2.*

Constare autem Oratrices fuisse ad profitendum adactas, non ex solo metu reverentiali, qui imbecilles Puellas ad invita quæque cogere potuisset, sed ex metu gravi, qui constantem quoque, ac fortissimum Virum frangere valuisset, primò scilicet contumeliis, minis, assiduisque molestiis; deinde jejunio, carcere, verberibus; prout declaravit Joannes Borgard illarum Pater, asserens. *E vero, che per costringerle a ciò, le ho spesse volte maltrattate ambedue con parole aspere, ed altere, avendole divise per lo spazio di circa un mese in un piccolo gabinetto, separate una dall'altra con le finestre inchiodate, avendo anche dato una volta a Margarita Eugenia una percossa di mano, e ad Anna Maria una percossa con un bastone, o canna, che mi trovai allora in mano, minacciandole ambedue, che se non si fossero fatte Monache le avrei spatriate.* Idque ipsum probari testimonio Amitæ Lard, & Honoratæ Claudinæ Rovat Famulæ; unde inferunt contumelias, verbera, minas ab eo illatas, cui obsequium, & reverentia debetur, induxisse in teneras Puellas metum gravem, qui fortissimum quemque Virum commovere valuisset *Piringh. Jur. Canon. lib. 3. tit. 31. num. 120.*, *Bonacin. de Matrimon. quæst. 3. part. 8. num. 6.*, *Piton. descept. 110. num. 3.*, *Rot. coram Ludovis. dec. 325. num. 19. coram Merlin. decis. 590. num. 5.*, *& coram Molines decis. 798. num. 56.*

Hisce latè præmissis inferunt, quod si simplices paternæ minæ metum reverentialem filiarum extollunt ad gradum metus gravis cadentis in Virum constantem; multo magis gravis hic metus intercessisse dicendus sit, quando minæ fuerunt ad actum perductæ, cum in isto casu certissima habeatur probatio metus, quæ sufficit ad irritandam professionem *Cap. Abbas de iis, quæ vi, Vrsaja discept. Eccles. tom. 1. part. prima, decis. 175. num. 5*, *Rot. coram Dunzzet. Jun. decis. 930. num. 3.*, *coram Ludovis. decis. 326. num. 32.*, *& in Lucorien. Matrimonii 1. Junii 1726. §. Eo magis coram Calcagnino.* Nec obesse, quod metus probatio non aliunde desumatur, quam ex testimonio Patris, & Consanguineorum, nam cum res est de factis domesticis, & difficilis probationis admittuntur etiam domestici, & conjuncti *Rot. in Re-*

cen-

cen. part. 4. decis. 138. *num. 3. vart. 16.*, *& decis. 2. num. 1. part. 18.*, *& decis.* 115. *num. 7.*, nec melius coactio probari possit, quam depositione illius, qui metum incussit *Barbos. conf Matrim. diverf. part. 1. consil. 24.*, *Rot. coram Emerix Jun. dicis. 225. num. 10.*, *& 11.*, *& in Recent. decis. 643. num. 8. part. 1.*. Immo admittantur etiam Testes singulares, & de auditu, atque etiam inhabiles, quando veritas aliunde hâberi non possit *Pignattell. consultat. 77. num. 5. tom. 3.*, *Ventrigl. in prax. part. 1. adnotat. 4. §. 3. num. 3.*, *Ciarlin. controv. foren. cap. 168. num. 43. & 46.*, *Rot. coram Cerro decis. 294. num. 7.*

Verum advertunt insuper plura concurrere, quæ passam coactionem, aversamque a Regulari statu voluntatem ostendunt. Præter enim declarationem Patris, accedere depositionem plurium Monialium, nec non Medici Fleurj, Philibertæ Pillet, aliorumque asserentium, Oratrices fuisse ad profitendum violenter traductas, idque ipsum Victoriam patefecisse in Epistola scripta Superiori Ordinis Carthusianorum, quæ quidem Epistola combusta fuit a Superioriss Monasterii, cui exhibita fuit a Lucretia Perotin ejusdem Monasterii Ancilla, quæ illam ab eadem Victoria acceperat. Ex hisce autem Testibus satis deprehendi, Oratrices ficte, simulatèque, & absque ulla intentione vota emisisse, defectum verò intentionis irritam reddere professionem, *Sanchez de Matrimon. lib. 7. disput. 37.*, *Pignattel. consult. 163. num. 163. tom. 9.*, *Piton. desceptat. 110. num. 11.*, *Rot. coram Molines decis. 798. num. 7.*

Nec defuisse externa passæ violentiæ, & coactionis signa, pandita tam ante professionem, quam in ipso actu, & post emissam etiam professionem. Sustinent enim ante professionem earum repugnantiam apertè pandidisse. In ipso verò professionis actu apparuisse in corpore Christinæ rubentes maculas, quæ internum animi dolorem, passamque violentiam ostendebant: Victoriam autem, dum professionem emitteret, deliquisse, cumque animo defatigata, & in angustiis posita non benè professionis formulam proferre potuisset, & ab Antistite monita fuisset, ut illam repeteret, ipsam constanter recusasse, dicendo = *Basta così* = Denique post emissam professionem Oratrices de illius nullitate fuisse sæpius, iterumque protestatas. Ex hisce autem actibus, iteratisque protestationibus affirmant, nullo interiori consensu, sed ore tantum, ficte, simulatèque ad Aram fuisse traductas *Cap. Vidua de Regular. verb. licet Sacramento*, *Turrecremat. in Can. Quod interrogasti disput. 22. num. 1.*, *Pignattel. consult. 173. num. 76.*, *Piton. discept. 110. num. 21.*, omnemque tacitæ professionis præsumptionem penitus excludi *Rot. rec. dec. 211. num. 19. part. 13.*

Ad-

Addit insuper Christina, se nulliter professionem emisisse ante Conciliarem ætatem. Ob combustos siquidem Libros Parochiales, testimonio Parentis, pluriumque Testium probat se, natam fuisse *die* 25. *Novembris* 1739., hinc concludit emissam professionem sub *die* 17. *Julii* 1753., deficientibus adhuc quatuor mensibus, & diebus octo ad ætatem sexdecim annorum complendam, penitus nullam, & irritam fuisse *Rot. Recen. decis.* 175. *num.* 2. Inaniter ideo opponi tacitam professionem, cum ea sit hujus nullitatis indoles, ut non aliter sanari valeat, nisi data certa scientia nullitatis, expressa fiat professionis ratificatio *Rot. rec. par.* 14 *dec.* 134. *num.* 5.

Contra Defensor Professionis inquit, ad obtinendam in integrum restitutionem certas undique, indubitatasque exposci nullitatis probationes. Allatas autem metus probationes inanes planè, ac irrelevantes esse. Illum evinci dumtaxat ex testimonio Patris, Sororum, & Famulæ, quorum assertio maxime suspecta est. Advertit insuper pallam in manusiunculis recludionem, nec non minas, ac percussiones non ad præcisam coactionem emittendæ professionis, sed ad aliam causam referendas esse: easdem item minas, ac percusliones non graves, sed leves fuisse, demum externa singularum aversionis indicia, dicta, ac protestationes non præcisum professionis tempus percutere, sed hoc vel longe præcessisse, vel ob mutatum consilium subsequutas fuisse: & revera nec in professionis actu, nec deinde toto monastici status tempore unquam ad Superiores confugisse, nec de defectu liberæ voluntatis fuisse conquestas.

Inaniter item a Christina opponi defectum legitimæ ætatis. Non aliter enim constare de ejusdem nativitate, quam ex testimonio Patris, nec non aliorum Testium nullam causæ scientiam reddentium, sed de mero auditu ab incertis personis deponentium. Deesse item testimonium præcisi temporis initæ professionis. Nullam ideo computationem legitimæ ætatis haberi posse, nullibique evinci eam ante legitimam ætatem fuisse emissam.

Demum advertit alteram ex Sororibus ab undecim annis, alteram a novem emisisse vota, ac diu, taciteque munera Professarum propria exercuisse. Arguit idcirco ex tam diutina habitus delatione, nec non aquiescentia, silentio, ac munerum exercitio abunde evinci tacitam professionem, seu jam emissæ ratificationem, *Pignattel. consult. canon.* 145. *num.* 40. *tom.* 1., & *Rot. Recent. decis.* 370 *num.* 10. *part.* 9. *tom.* 2.

Metus, qui dicitur *instantis*, *vel futuri periculi causa mentis trepidatio*, *Leg.* 1. §. *Quid met. caus.* duplex est, alter levis, quem Vir pusillanimis concipit de levi malo, aut gravi quidem, sed remoto, & proinde nec rationabiliter, nec pru-

prudenter metuendo *Leg. metum ff. eod.*, *cap. dilectus 6. de his, quæ vi, metusque cauſ.*: Alter vero gravis, & inſtans, quem Vir conſtans, & fortis, prudenter, & rationabiliter concipit de gravi malo ſibi, aut conſanguineis, vel affinibus inferendo *Leg. metus autem ff. ex quid. cauſ. maj.*, *cap. Conſultationi de Regular.*

Arbitrio autem Judicis relinquitur an, & quando metus vel gravis, vel levis dicatur, *Fagnan. in cap. Conſultationi num.* 12. *de Regul.*, faciliuſque metus gravis in fœmina ob ſexus imbecillitatem, ſecus ac in maſculo cenſetur *Cap. Locum* 14 *de Sponſal.*, *& Rot. part.* 7. *Rec. deciſ.* 115. *num.* 12. Communiter tamen ad gravem metum quatuor requiruntur, I. quod malum timendum ſit grave in ſe, & non in ſola æſtimatione metuentis. II. quod prudens ſit, non levis, vel irrationabilis timendi ratio. III. ut metum incutiens potens ſit minas exequi. IV. quod is, qui timet non poſſit ullo modo minanti reſiſtere, aut vitare malum, quod timet: alterutra autem ex hiſce conditionibus deficiente, metus dicitur levis non cadens in conſtantem Virum, *argum. cap. dilectus 6. de his, quæ vi metuſque cauſ.*

Hinc cum ad validitatem profeſſionis requiratur libera, & ſpontanea voluntas *cap.* 1. *de Regul.* = *nullus tondeatur, niſi in legitima ætate, & ſpontanea voluntate*, nihilque magis liberæ voluntati adverſetur, quam metus gravis, qui efficit, ut profeſſus *per timorem dicat ſibi placere, quod odit*, *cap. veniens* 15. *de Sponſal.*, ambigi ideo nequit, profeſſionem ex metu gravi emiſſam, penitus nullam, & irritam eſſe, *cap. de illis* 9. *de deſponſ. impub.*, *& Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de Ref.*

Tota proinde inſpectio ad probationem metus reducitur. Hoc ſiquidem probato Sacra Congregatio reſtitutionem in integrum ſemper conceſſit, ut in *Ulyſſiponen. Reſtitutionis in integrum* 13. *Januar.* 1691., *in Januen. Reſtitutionis in integrum* 30. *Januar.* 1694., *in Veronen. Profeſſionis* 25. *Januar.* 1698., *in Corduben. Reſtitutionis in integrum* 22. *Martii* 1698., *& in Cremonen. Reſtitutionis in integrum* 18. *Novembr.* 1713., eoque concludenter non probato, conſtanter denegavit, ut in *Januen. Reſtitutionis in integrum* 29. *Julii* 1690, *in Granaten. Reſtitutionis in integrum* 19. *Auguſti* 1690., *in Argentina Reſtitutionis in integrum* 13. *Februarii* 1694., *& in Januen. Reſtitutionis in integrum* 4. *Julii* 1739.

De ætate ad emittendam profeſſionem ſtatuit Tridentina Synodus = *In quacunque Religione tam Virorum, quam Mulierum, profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem,*

aut

aut ad alios quosvisque effectus, sess. 25 cap. 15. de Regul.

Constito idcirco professionem emissam fuisse ante decimum sextum annum completum amoigendum non est, eam ex clara Concilii littera undique nullam, & irritam esse. Idque procedit etiamsi Professio fiat per aliquot tantum horas ante completum annum decimum sextum ætatis, *Sacra Congregatio in Crotonen. 4. Decembris 1627.*

Demum de tacita professione Innocentius IV. in *cap. 1. de Regul. in 6.* hæc habet = *Is, qui Monasterium ante decimum quartum annum, ut Monachus efficiatur, ingreditur, nisi eo completo professionem faciat in sequenti, vel habitum Religionis suscipiat, qui dari professionibus consuevit: quod si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit, ubi Professorum, & Novitiorum sunt habitus indistincti, professionem per hoc fecisse, vel si quam prius fecerat, ratam habuisse videtur, nisi tanta indistinctio in eo habeatur, quod & Professi, & Novitii, ac etiam alii communem vitam cum eis ducentes simili penitus habitu induantur.*

Hæc autem tacita professio sublata non fuit a Concilio Tridentino. Declaravit enim Sacra Congregatio *cap. 15. sess. 25. de Regul. non sustulisse tacitam professionem, quæ inducitur per annum, & diem computandum post 16. annum ejus, qui Monasterium ingressus est*, ut habetur in *Dub. posit. 112. pagin. 155. ad Concil. sess. 25. cap. 15.*, & *in Policastren. 17. Augusti 1726.*, & *in Nucerina, seu Fulginaten. Professionis 2. Junii 1729.*. Immo hanc tacitam professionem etiam in eo locum habere, qui ante legitimam ætatem professus est, nullamque nullitatis emissæ professionis scientiam antea habuit, declaravit eadem Sacra Congregatio in *Neapolitana lib. posit. 144. pag. 151.*, *in una Romana, seu Sorana 28. Maii 1578 lib. Posit. 165. pag. 37.*, *in una Nullius 13. Januarii 1583. lib. Posit. 147. pag. 460.*, *in una Urbis 13. Jan. 1618.* & *in Carinen. 14. Decembris 1624.*

Restat itaque, ut excussis testium dictis, eorumdem qualitate, aliisque expensis monumentis, EE. PP. ea, qua pollent sacri juris peritia, dijudicent.

An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

LEODIEN. Optantes *Carolus*, & *Franciscus* Fratres de Liboiis Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Civitatis Leodien. pium aliquod opus in eadem Ecclesia fundare, post obtentam die 25. Junii 1735. a Capitulo veniam, folium exhibuerunt, in quo animum pandiderunt fundandi duas quotidianas Missas in certis Altaribus, certisque horis celebrandas, nec non distributiones in certa quantitate statuendi pro Canonicis interessentibus *alle Messe del Vene-*

Sess. 22. cap. 6 de Reform.

nerabile di Giovedì, item *alla Messa quotidiana di Matutino*, *ed a quella di Prima*, item *alle Processioni Domenicali*, *ed alli Salmi delle Domeniche doppo vespero*, ac præterea *di aggiongere venti fiorini di rendita all'anniversario del fù Signor Prepoſto loro Padre*.

Defuncto poſtmodum *Carolo*, ſuperſtes Frater, & hæres *Franciſcus* menſe Novembris ejuſdem anni florenos 37. monetæ Capitulo tradidit, reſervato ſibi quoad viveret illorum reditu, *per dovere detta rendita doppo la ſua morte ritornare alla fondazione nella Chieſa di S. Pietro ſecondo il progetto, che è ſtato propoſto, ed altrimenti come ſarà convenuto riſpetto alla ſudetta fondazione*, idemque *Franciſcus* in ſuo Teſtamento anni 1737. hæredem inſtituit Decanum dictæ Collegiatæ *coll'obligo di dover adempire tutti i peſi, perchè poſſa goderne inſieme con gli Signori del Capitolo di S. Pietro, e regolare anche il fruttato da eſſer applicato in aumentazione di ciaſcuna parte della fondazione, che mi riſervo a fare, ſe io la trovo a propoſito*.

Verum poſt paucos dies defuncto Franciſco abſque ulla alia diſpoſitione, *Capitulum ſequendo litteram teſtamenti ex bonis hæreditariis preſentias cujuslibet partis fundationis augendas eſſe conformiter programmati exhibito reſolvit*, & ita uſque nunc ſervatum fuit, ut fatetur Capitulum in precibus exhibitis.

In vim hujuſce fundationis, valde auctis diſtributionibus pro dictis Divinis Officiis, ſæpius evenit, ut Capitulares ſedulo iis interfuerint, alia vero neglexerint in ſollemnioribus, & majoribus feſtis, pro quibus exiguæ ſunt diſtributiones, imo etiam aliquando morbos confixerint, ut licet abſentes pro præſentibus haberentur. Ut itaque conſultum foret tum trimeſtri vacationi Capitularibus competenti, tum invectis malis occureretur, Capitulum preces SSmo dedit, ut quarta pars hæreditatis, correſpondens tribus anni menſibus, applicaretur pro diſtributionum augumento in ſollemnioribus anni feſtis, itemque ſtatueretur, ut deinceps ob quamcumque cauſam etiam infirmitatis, niſi in lecto decumbens, vel egreſſum e domo impediens, abſens ab officiis a Teſtatore deſignatis ultra tres anni menſes diſtributiones non lucraretur.

Has Capituli preces maxime comendavit, probavitque Vicarius Generalis in ſua Relatione. Sed propoſito in Congregatione diei 26. Martii 1768. quæſito: *An, & quomodo votum Vicarii Generalis Leodien. ſuper diſtributione redituum hæreditariorum de Liboiis ſit exequendum*, prodiit reſponſum *Negative*. Viden. folium *diei* 27. *Febr. præcedentis*, in quo latius facti ſpecies enarratur. Obtenta autem venia, eaſdem preces nunc Capitulum renovat.

Repetit, Fratres de Liboiis pandidiſſe quidem voluntatem opus pium fundandi, ſed nullum certum opus præ-

præscripsisse. Et revera in folio inscripto *di Proposta* nullam fundationem ad actum perduxisse: in posteriori instrumento enunciasse opus pium fundandum: demum in testamento expressam de opere pio exigendo habitam fuisse mentionem. Non itaque rem esse de certa, indubitataque fundatione, sed de omnino incerta, atque dubia. Ad Judicis ideo arbitrium spectare, modum, terminumque pii operis præfinire, illudque seligendum esse, quod servitio Ecclesiæ, ac cultui Divino magis conveniat, quodque Ecclesiæ statui sit magis accomodatum.

At vero absonum esse, Capitulares privari trimestri Conciliari vacatione ipsis competente, maximeque Ecclesiæ servitio, ac cultui Divino expedire, ut distributionum quantitas in festis sollemnioribus augeatur, & demum ut inanes absentiæ causæ amoveantur. Juri idcirco, æquitatique undiqne consonum esse arbitrium Capituli, quo omnibus malis occurritur, atque Ecclesiæ servitium, ac Divinus cultus augetur, præsertim quia idem summopere comendatur a Vicario Generali de statu Ecclesiæ, ejusque necessario servitio optime instructo, cujus judicium maximi ponderis habendum est.

Res est de pio opere non quidem a Capitulo pro sua voluntate præscripto, sed a Fundatoribus in folio *di Proposta* demandato, licet revocabiliter. Nullibi autem hoc pium opus revocatum fuit, quin imo inviolabiliter ab anno 1737. ad præsens usque servatum. Ponderandum hinc an dicta fundatio, licet tunc arbitrio Institutorum revocabilis, modo adeo certa, determinataque evaserit, ut nonnificum manifesta eorumdem voluntatis commutatione sive in totum, sive in parte variare, ac immutari possit.

Advertendum, Testatorem non Præbendarum, sed præsentiarum, seu distributionum augumentum voluisse. Porro Capitularibus nulla Conciliaris vacatio suffragatur ad effectum percipiendi distributiones, sed hæ etiam tempore concessæ vacationis amittuntur *Fagnan. in cap. licet 35. de Præb. num. 32., & 93.*

Proponitur itaque.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c., & quatenus in decisis.*

II. *An sit consulendum SSmo pro exequutione resolutionis Capitularis diei 13. Aprilis 1765. in casu &c.*

CÆSENATEN. Ex quatuor, & quadraginta Synodalibus Examinatoribus in postrema Cæsenatensi Synodo anni 1738. electis modo inter Mortales vix duodecim supersunt. Istorum tum senectus, tum mala aliquorum valetudo pronum reddiderunt anno 1767. sa. mem. Clemen- *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*

tem XIII. Episcopi votis, ut novos cum consensu Capituli eligere posset Examinatores juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini. Episcopus igitur, Pontificia hac indulgentia suffultus, sex selectos viros Capitulo proposuit; sed Capitulum privato habito scrutinio tres tantum approbavit, reliquos vero rejecit, nempe *Franciscum Tadini* Canonicum Pœnitentiarium, *Vincentium Severni* Parochum SS. Joannis Evangelistæ, & Severi dictæ Civitatis, & *P. Josephum Muccioli* Ordinis S. Francisci Conventualium.

De denegata istorum confirmatione graviter conquestus est Episcopus apud Sac. hanc Congregationem, quæ licet Capitulo præfiniendum iusserit terminum ad jura sua deducenda, eo tamen rem protelante, quæstio usque nunc siluit. Interim idcirco opus fuit, ut sæpius Episcopo potestas fieret novos ad breve tempus eligendi Examinatores, ne de validitate agendorum concursuum novæ lites exsurgerent. Imperio tandem Sacræ Congregationis excitato, tum Promothore Fiscali, tum Capitulo, nunc de justitia denegatæ confirmationis utraque parte jura sua proponente disceptari contingit.

Inquit Promothor Fiscalis, claram, apertamque Episcopo favere juris præsumptionem, quod idoneos viros selegerit, unde sequatur, ut Capitulum compellatur, causas undique justas, urgentesque sui dissentus præferre. Inania vero esse, quæ vel de defectu necessitatis novos eligendi Examinatores, vel de eorumdem inidoneitate opponuntur.

Superstites siquidem Examinatores Synodales Senectute viribus fractos, vel nunquam, vel nonnisi difficillime, summoque cum incomodo obeundo eis concredito muneri interesse posse; plures etiam ex eis a Diœcesi absentes sive ad tempus, sive in perpetuum morari; hinc vix unum, vel alterum supereſſe, qui vocari posset, sæpiusque etiam ob eorumdem deficientiam debuisse concursus differri. Apertam ideo adegisse necessitatem, ut novi eligerentur Examinatores, hancque recognovisse Capitulum, quod tres ex selectis approbavit, atque hanc confirmasse Sac. Congregationem, quæ hac pendente quæstione pluries electionem novorum Examinatorum ad breve tempus indulgere debuit, ut urgentibus concursibus consultum foret.

Ex mera pariter emulatione notari doctrinam, probitatem, moresque virorum selectorum. *Franciscum Tadini* post plurima suorum studiorum specimina, varias rexisse Parochiales Ecclesias, publicas conciones, ac orationes sæpius habuisse, doctoratum obtinuisse in Sacra Theologia, ei ob præclara ejusdem merita tum ad Cathedram Philosophiæ in Universitate Cæsenatensi, tum ad Canonicatum Pœnitentiarium Cathedralis summo omnium plausu evectum

ctum fuiſſe. *Vincentium* vero *Saverna* Parochum SS. Joannis Evangeliſtæ, & Severi ejuſdem Civitatis doctrina, pietate, optimiſque moribus adeo præcellere, ut tota Diœceſis ſumma veneratione, ac abſequio ipſum proſequatur, & colat. Demum *P. Joſephum Muccioli* poſt plurimas obtentas in ſuo ordine Cathedras, pluresque aſſequutos honorificos gradus, in publicum Metaphyſicæ Lectorem Univerſitatis Cæſenaten. ſelectum fuiſſe.

Non zelo itaque boni publici, vel juſta cauſa, ſed mera emulatione tam probatos, ac idoneos viros fuiſſe a Capitulo rejectos. Diſſenſum idcirco Capituli tam irrationabilem, ac injuſtum poſthabendum eſſe, & prout alias fieri conſuevit, ejuſdem conſenſum a Sacra Congregatione ſupplendum eſſe *Pignatel. conſult. can.* 119. *tom.* 1. *per tot.*, & Sacr. Congr. in *Averſana electionis examinatoris Synodalis* 26. *Maii* 1739.

Contra Capitulum inquit, electionem examinatorum non privative ad Epiſcopum ſpectare, ſed in Synodo cumulative cum Clero, & extra Synodum conjunctim cum Capitulo habendam eſſe: utriuſque autem conſenſum adeo pro forma requiri, ut aliaselectio nulla ſit, initique concurſus cum Examinatoribus, præter eam formam electis, ſint prorſus irriti. Porro nec Capitulum teneri ad ſui diſſenſus cauſas proferendas, vel ſaltem ejus conſenſum non poſſe ſuppleri, niſi de irrationabilitate, ac injuſtitia ejus diſſenſus apertiſſime conſtet; Rem vero longe abeſſe ab hujuſmodi hypotheſi. Ex numero pluribus examinatoribus in poſtrema Synodo electis adhuc octo ſupereſſe ſanæ mentis, optimæ valetudinis, in Civitate aſſiduo morantes, & undique idoneos ad concurſus habendos. Summa ideo liberalitate tres tantum ex ſex propoſitis Viris fuiſſe a Capitulo rejectos, cum ex Decreto Clementis VIII. vetita ſit electio novorum examinatorum extra Synodum, ubi ſex Synodales adhuc ſuperſunt *Leo Theſ. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 25., *Barboſ. alleg.* 60. *num.* 47. *verſ. ſi vero*, & *Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 7.

Addit Viros rejectos adeo familiaritate, & amicitia Epiſcopo devinctos eſſe, ut pro eorum arbitrio Diœceſim regant, actioneſque Epiſcopi ad eorum libitum moderentur, & hac de cauſa univerſæ Diœceſi inviſos eſſe, ac ſuſpectos. De eorum denique doctrina, moribus, & prudentia Capitulum non ſatis contentum ſe profitetur ex iis, quæ inter monumenta cauſæ commiſcentur. Quare concludit jure merito non fuiſſe approbatos vel tamquam non idoneos, vel ſaltem tamquam ſuſpectos *Vgolin. de Offic.*, & *poteſt. Epiſc. cap.* 50. §. 5. *num.* 3.

Tridentina Synodus poſtquam in *Seſſ.* 24. *cap.* 18. præmiſerat, animarum ſaluti maxime expedire, ut a dignis, & ido-

idoneis Parochis regerentur, edixit, vacantes Parochiales Ecclesias illis dumtaxat ab Episcopo conferendas, qui in experimento, seu examine coram Episcopo, aut Vicario Generali, aliisque examinatoribus *non paucioribus quam tribus* instituendo, fuerint approbati, & idonei renunciati.

Jussit præterea *Examinatores autem singulis annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur, adveniente-que vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque. succedente alia vacatione aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam secularium, qui ad id videbuntur magis idonei.*

Sex itaque Examinatores ad minus ab Episcopo, vel ejus Vicario in Synodo proponi debent, non tamen vetitum est, plures eligi, quin imo plures dubio procul proponi possunt *Barbos. ad Conc. cap.* 18. *sess.* 24. *num.* 85.. Propositi tamen ab Episcopo, a majori parte eorum, qui Synodo interfunt, probandi sunt, secus alii ab Episcopo erunt proponendi, qui a majori parte acceptentur. Acceptatio autem hæc potest fieri per suffragia tum publica, tum secreta, ut respondit Sacra Congregatio ad Patriarcham Venetiarum *die* 11. *Julii* 1592.

Quod vero spectat qualitates Examinatorum, quamvis Tridentinum desideret, deputandos gradum aliquem jam obtinuisse in Sacra Theologia, vel in jure canonico, Episcopi arbitrio permittit, ut qui etiam nullo gradu est insignitus, proponi possit. Quare etiamsi plures in Diœcesi reperiantur Doctoratus Laurea decorati, si nihilominus Episcopus eos minus peritos existimet, poterit cum Synodi approbatione aliis sive Secularibus, sive Regularibus, qui sine Doctoratu doctiores reputantur, examinatoris officium committere *Fagnan. in cap. inter cæteras de Rescript. num.* 45.

Officium eorumdem protrahitur ad novam usque Synodum, quæ intra unius anni spatium ad Tridentini normam esset celebranda, & in qua aut iidem, aut alii de novo deputandi forent. Si autem vel omnes, vel aliqui ex designatis in postrema Synodo, decurrente anno, moriantur, aut è Diœcesi decedant, tunc si sex saltem ex designatis remaneant, eo casu cum numerum adhuc exequent a Tridentino statutum, istorum opera Episcopus utetur, nec alios in demortuorum, vel absentium locum substituere poterit. Sin vero sextus eorum numerus sit imminutus, tunc *Clementis VIII.* decreto Episcopi data facultas est alios subrogandi cum approbatione Capituli, modo una simul cum

cum superstitibus ex electis in Synodo non excedant numerum a Tridentina Synodo memoratum *Garziaf. de Benef. part. 9. cap. 2. num. 72.*, *Fagnan. in cap. cum sit de ætat., & qualit. num. 54.*

Verum anno a postrema Synodo præterlapso cessat officium Examinatorum, qui intra ejusdem anni intervallum in demortuorum, seu absentium locum forte fuerint ab Episcopo suffecti, secus verò est munus eorum, qui in ultima Synodo electi fuerint, quorum officium perseverat usque ad futuram Synodum, dumodo sex illorum superstites sint, ita tamen ut integro haud remanente senario numero ex electis in Synodo, omnium Officium expiret. Hinc elapso anno, & non existentibus sex Examinatoribus in Synodo electis, necesse est, ut Episcopus vel novam Synodum cogat, vel facultatem petat a Sacra Congregatione novos deputandi Examinatores extra Synodum, quorum Officium decernit duraturum dumtaxat ad annum, quo elapso iterum ad preces Episcopi illos in munere confirmat, quod, & deinceps semper in annum iisdem prorogat.

Horum autem Examinatorum electio a Sac. Congregatione committitur Episcopis una cum Capituli approbatione, vel consensu. Quare hac accepta facultate, Episcopus sex eligit Examinatores omnibus præditos qualitatibus a Tridentino requisitis, eosque Capitulo proponit, ut hujus approbatio, ac consensus super accedat. Verum si Capitulum illos, quamvis cæteroquin idoneos approbare recusaverit, existimat *Pignatell. cons. 119. tom. 1.* habendos nihilominus esse pro approbatis, quia Capitulum tenetur ex justitia illos approbare, & consensus ex justitia præstandus, cum injuste denegatur, habetur pro præstito *Surd. decis. 220. num. 54.*

Ne tamen excitata quæstione circa denegati consensus justitiam, interim dubium oriatur de validitate ineundorum concursuum, tutius ideo erit, ut Episcopus a Sacra Congregatione Concilii petat supplementum consensus, quem Capitulum sine causa denegavit. Hinc Sacra Congregatio *die 20. Septemb. 1645.* in una *Messanen.* nominationem, seu electionem examinatorum, quam injustè Capitulum approbare detrectaverat, ratam habuit, *Pignatel. consult. can. 119. per tot. tom. 1.*

Episcopus Cæsenaten. preces his verbis conceptas dedit *non potendo il Vescovo di Cesena per ora convocare il Sinodo, e mancandoli gli esaminatori sinodali supplica per la facoltà di eleggerne sei extra Synodum*, & Sacra Congregatio die 29. Novemb. 1766. rescripsit *ad annum accedente consensu Capituli*. Capitulum autem ex sex selectis, ac propositis ab Episcopo viris die 29. Novembris ejusdem anni 1766. tres tantum probavit, aliosque rejecit. Ponderandum hinc an adeo injustus, & irrationabilis fuerit Capituli dissensus,

ſus, ut imperio Sacræ Congregationis modo conſenſus ſupplendus ſit.

Sacra Congregatio in una *Averſana electionis Examinatoris Synodalis*, in qua Capitulum rejecerat exterum Sacerdotem Cajetanum Peruſini ab Epiſcopo ſub die 25. Martii 1738. in examinatorem Synodalem propoſitum, diſputato dubio die 26. Maii 1739. *An nominatio Sacerdotis Cajetani Peruſini in examinatorem Synodalem facta ab Ordinario ſit confirmanda non obſtante diſſenſu* 10. *ex* 19. *Canonicis in Capitulo intervenientibus, & ſuffragium ferentibus*, reſpondit; *Non propoſita, attento lapſu anni*.

Emi PP. ſingulis aſſueta maturitate, ac prudentia perpenſis dignentur reſponſum dare.

An examinatores Synodales ab Epiſcopo electi, & a Capitulo reprobati, ſint confirmandi in caſu &c.

Die

Die Sabbathi 15. Decembris 1770. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque Cauſæ diſcuſſæ fuerunt in Congregatione diei 24. elapſi menſis Novembris: Quatuor proindè, quæ ſuperſunt, cum aliis in præſenti folio adjectis ab EE. VV. definitionem expectant.

TAURINEN. IRREGULARITATIS. *Seſs. 14. cap. 7. de Reformat.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro gratia diſpenſationis, in caſu &c.

Negativè.

GRATIANOPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. *Seſs. 25. cap. 15. de Reform.*

An ſit locus reſtitutioni in integrum, in caſu &c.

Affirmativè.

LEODIEN. *Seſs. 22. cap. 6. de Reformat.*

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c., & quatenus in deciſis*

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro executione reſolutionis Capitularis diei 13. Aprilis 1765., in caſu &c.*

Dilata.

CÆSENATEN. *Seſſ. 24. cap. 18. de Reform.*

An Examinatores Synodales ab Epiſcopo electi, & a Capitulo reprobati ſint confirmandi, in caſu &c.

Affirmativè.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FIRMANA MANSIONARIÆ. Nicolaus Marcantoni scripta ejus Anima hærede, *e per essa una Mansionaria in questa Chiesa Metropolitana di Fermo*, cum omnibus oneribus, quæ alii ferunt Præbendati, primum Mansionarium nominavit Sacerdotem Cajetanum Franceschini Sororis filium a Capitulo admittendum, *senza però spedizione di Bolle*, quia fieri noluit *alcuna erezzione per la sudetta Mansionaria*; dataque eidem Sacerdoti facultate eligendi sibi Successorem, jus nominandi reliquos in futurum reliquit Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ, cum lege tamen nominandi masculum idoneum ex linea Cæciliæ Sororis suæ, eoque non extante, masculum ex materna linea, addita declaratione, quod nullo ex utraque linea extante masculo capaci, & ætatis annorum viginti, Capitulum Sacerdotem eligeret in Mansionarium amovibilem, quousque masculus ex alterutra linea ad eam perveniret ætatem, eique masculo ad addiscendas in Seminario Archiepiscopali scientias, & cantum, præstari voluit alimenta in annuis scutis 50. ex Mansionariæ reditibus detrahenda.

Cum autem evenerit, ut Sacerdos Franceschini de Parochiali Ecclesia provisus, Mansionariam dimittere debuerit, & in sui locum eligere Sacerdotem amovibilem, qui Mansionarii munus suppleret, quousque puer passivè vocatus ad legitimam ætatem perveniret, meliùs duxit Sanctissimo preces exhibere pro canonica Mansionariæ erectione in beneficium Ecclesiasticum, utque assignatis sc. 40. pro alimentis pueri vocati, quod reliquum esset applicaretur Sacrario Ecclesiæ Metropolitanæ, & interim a Capitulo adimplerentur omnia onera a Testatore præscripta.

Remissis precibus Sacræ huic Congregationi, quamvis Capitulum petitioni assentiretur, eamque admittendam quoque censeret Eminentissimus Archiepiscopus, nihilominus rejecta fuit ab EE. DD. die 10. præteriti mensis Martii, qua proposito dubio = *An, & quomodo sit faciendæ Erectio, in casu &c.* = responsum est = *Negativè* = Non tamen acquiescens Sacerdos Franceschini novas Sanctissimo dedit preces, ut facultatem Sacræ Congregationi impertiri dignaretur commutandi Testatoris voluntatem, atque annuendi erectioni Mansionariæ, aliaque decernendi quoad implementum onerum, & destinationem redituum, ut in prioribus precibus exposuerat. Relitaque sapienti EE. VV. judicio mandata, super eadem petitione redit iterum hodierna disceptatio.

Ait Sacerdos Franceschini hic agi, non tam de commutanda Testatoris voluntate, quam posthabenda simplici clausula Testamento inserta, ideoque etsi Testatoris prohibitio restare videatur, nihilominus ex delegata Summi Pontificis auctoritate locus esset commutationi voluntatis, quoties

per

per eam Divinus cultus augeatur, & commutatio bono publico fit utilior *Amoſtaz. de cauſ.piis lib.4. cap.7.num. 24., Piton. diſcept.Eccleſ. 69. num.15., Pignattel.conſultat.can.80. num.6. tom.9., Rot.in Spoletana applicationis 21. Junii 1754. §. 12. coram Canilliac.* Nec dubitaripoſſe, quin Eccleſiaſtici Beneficii erectio cedat in augumentum Divini cultus, cum certum ſit, per illam bona dicari Deo, & ex temporalibus, ſacra effici, & ſpiritualia *Lotter.de re benefic.lib.1.quæſt.5. num. 43., & ſeq., Amoſtaz. lib. 3.cap. 2. num. 3., & ſeq.* Immo expedire Teſtatoris Animæ, & Eccleſiæ, ut beneficium ſit collativum, dum ita uberius, ac firmius onera adimplentur *Bordon. de Legat. Miſs. cap. 6. num. 38., Garz. de Benefic. part. 1. cap. 2. num. 18., Rot. coram Anſald. deciſ. 690. num. 6.*

Hujuſmodi autem erectionem congruentius convenire aſſerit naturæ, & qualitati Manſionariæ, quia Manſionarii munus eſt Divina officia, & Miſſas canere, *cap. cum ad hoc 16. de Clericis non reſiden., Gloſſ. ibidem verb. Aſſiſios, Barboſ. de Canon., & Dignit. cap. 4. num. 36. & 37.* Qua de re Manſionarii, qui & *Aſſiſii* nuncupantur, veri Beneficiati dicuntur, & Eccleſiaſticum Beneficium obtinent *Fagnan. in cap. Ut Abbates num. 21. verſ. Manſionarias, & alia Beneficia de ætat., & qualit. Ordinan., Pignattel. conſultat. Canon. 118. num. 2. tom. 2.* Beneficium verò Eccleſiaſticum a canonica erectione emergere debet, ut in titulum conferatur *Barboſ. de jur. Eccleſ. lib.3. cap.4. num. 11., & cap.5. num. 3., Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloſſ.5. num. 20., Rot. coram. Buratto deciſ. 224. num.2.*

Prodeſſe quoque ſuſtinet erectionem tum Capitulo, tum Manſionario eligendo; nam Capitulo utilius eſt, ut omnes partes cohæreant; Manſionario autem honeſtius videri debet, ut cæteris aſſimiletur, & hoc modo ad honorificentiores Præbendas optare valeat. Hinc infert prope neceſſariam hoc in caſu eſſe voluntatis commutationem, ne Manſionarius eligendus in ultimam ſedem perpetuò rejectus, deſpectui habeatur; præſertim quia nec ullus invenietur Sacerdos, qui pro puero paſſivè vocato temporaneum Manſionarii munus ſupplere velit; inſpecta etiam redituum tenuitate, cum detractis ſcut. 25. pro onerum implemento, detractiſque ſcut. 50. pro alimentis eidem puero præſtandis, quid minimum ſupererit ex fructibus Manſionariæ non excedentis ſcuta circiter 80., nec ſufficiens habebitur ſtipendium pro aſſiſtentia Choro, Diviniſque Officiis præſtanda: ac proindè concludit juſtam, & neceſſariam urgere cauſam, quæ voluntatis commutationem non denegandam ſuadet, *Cap. 1. de voto, & voti redempt., Concil. Trident. ſeſs. 22. cap. 6. de Reformat., Barboſ. Collectan. ad d. Concil. in loc. cit. num. 2., Monet. de commut. ultim.volunt. cap. 5. num.152., & ſeq.*

Advertit tamen, rem hinc non esse de commutanda, sed potius de interpretanda Testatoris voluntate, quia Testator Mansionarium adstrictum voluit *alla Residenza, ed altri obblighi di Messe Conventuali come gl'altri*; nec fieri posse, ut Mansionariam instituerit similem aliis, quæ in Metropolitana Ecclesia erectæ reperiuntur, eamque nihilominus diversam naturam sortiri voluerit. Maximè quia dictio *come gl'altri*, omnimodam similitudinem, easdemque qualitates importat *Piton. de controv Patron. allegat. 27. num. 7. & 8.*, *Cyriac. controv. 69. num. 38.*, *Rot. cor. Cerro decis. 906. num. 6.*, *& in Recen. decis. 673. num. 5. part. 19.*. Additque etiam non alia de causa Testatorem voluisse, ut puer passivè vocatus in Seminario Archiepiscopali scientias, & cantum addisceret, nisi ut Mansionariam deinde constituere posset in titulum Patrimonii Sacri, cujus ope ad Sacros Ordines promoveretur.

Ex aliis vero pluribus conjecturis deprehendi sustinet optatam a Testatore fuisse Beneficii Ecclesiastici erectionem: Ac primò quidem ex impertita Sacerdoti Franceschino facultate nominandi Successorem, *se ottenesse qualche altro Beneficio Ecclesiastico*; quibus verbis Mansionariam Ecclesiastico Beneficio comparavit *Rot. coram Falconer. de Fideicomm. decis. 54. num. 12.*, *in Vercellen. Capellaniæ 13. Junii 1749. §. 8. coram Vicecomite*, *& in Constantien. administrationis 20. Januarii 1751. §. 7. coram Canilliac*. Præterea ex Patronatu Capitulo Metropolitanæ Ecclesiæ relicto, *Cap. si quis deinceps*, & ibi *glossa 16. quæst. 7.*, *Rebuff. tract. var. tit. de Pacific. possess. num. 287.*. Insuperque ex demandata nominatione personæ *da eleggersi in perpetuo &c. sempre in infinito &c. Rigant. ad reg. 9. Cancellar. §. 2. num. 1. & seq.*, *Rot. coram Kaunitz, decis. 61. num. 5.*, *& in Wilnen. 25. Junii 1751. §. 15. coram Amadeo*. Ac tandem ex requisita in eo, qui ad Mansionariam nominandus esset, doctrinæ, atque eruditionis prærogativa, *Amostaz. de Cauf. pius lib. 3. cap. 2. num. 43.*, *Gonzalez ad Reg. 8. gloss. 5. num. 26.*, *Piton. discept. Eccles. 25. num. 16. in fin.*

Despiciendam proindè censet erectionis prohibitionem, cum recedere necesse sit a verbis testamenti, ut Testatoris voluntas exequutionem assequatur, idque pluribus exemplis a Cæsareis legibus desumptis probare nititur: Præcipuè quando pars aliqua testamenti cum aliis pugnat, quia melius est ab una parte recedere, quam totam dispositionem subvertere *Cap. Intelligentia de verbor. signif.*, *Vulpian. in leg. Si quis 3. §. Conditio ff. de ademp. legat. Papinian. in leg. In conventionibus 219. ff. de verb. signif.*, ac alibi. Et voluntas Testatoris ita interpretari debet, ut in omnibus cohæreat *Leg. verbis civilibus 7. ff. de vulgar.*, *& pupillar.*, *Surd. conf. 572. n. 4. lib. 4.*, *Riminald. conf. 79. num. 25. tom. 1.*, *& conf. 400. n. 13. tom. 2.*

Hiuc

Hiſce ergo poſitis inutile fore ait, diſſerere de ſubrogando Sacerdote, qui pro puero paſſivè vocato onera adimpleat; quia omnia onera aſſumere, atque adimplere valet Capitulum Metropolitanæ; detractiſque ſcutis 40., quæ ſufficere poſſunt manutentioni pueri in Seminario Archiepiſcopali erudiendi, quod reliquum eſt, aſſignari ſupplicat ejuſdem Metropolitanæ Sacrario, quod neceſſariis ſuppellectilibus deſtituitur.

Quæ de origine, qualitate, ac natura Manſionariæ ponderanda hic denuò occurrunt, relata fuſius ſunt in præcedenti hujus cauſæ folio die 10. præteriti menſis Februarii exarato, quod opportune nunc reſumi poterit. Potiſſima inſpectio pendet a diſpoſitione Teſtatoris, qui Manſionariam in Eccleſia Metropolitana erigi voluit *con tutti quei peſi di Coro, e Meſſe Conventuali, che hanno i preſenti Signori Prebendati di Maſſa commune*, & poſtquam Sacerdotem Franceſchini in primum Capellanum nominavit, ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum rogavit, ut illum confirmaret, *ſenza però ſpedizione di Bolle, poichè non intendo, che ſi abbia a fare alcuna erezzione per la ſudetta Manſionaria*. Videndum itaque quomodo intelligenda ſit Teſtatoris voluntas, ſeù potius an juſta, & neceſſaria commutationis cauſa concurrat. Hæc ſanè aſſueta maturitate perpendenda erunt ab EE. VV., ut definiant.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, ſeu potius ſit locus commutationi voluntatis, itaut ſit facienda erectio in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM. Quamvis Jacobus Philippus Concetti poſt demandatam nonnullarum Capellaniarum erectionem, expreſsè Capellanis interdixerit ſub pæna caducitatis, ne ullo unquam tempore Miſſarum reductionem expoſcerent; Nihilominus Franciſcus Antonius Cordelli Rector Capellaniæ erectæ ad Altare Bmæ Virginis Incoronatæ in Eccleſia S. Stephani Terræ S. Juſti efflagitavit reductionem oneris eidem Capellaniæ inhærentis, quinque Miſſarum ſingulis hebdomadis celebrandarum, eo quia huic ferendo oneri, præter ſumptus pro comparandis Suppellectilibus, & ſolutione collectarum, impares reditus comperirentur. In folio diſtributo pro Congregatione diei 8. *Julii anni præteriti*, iſtius Cauſæ merita recenſentur. Verùm in ſequenti Congregatione *diei 29. ejuſdem menſis*, placuit Emis PP. reſcribere = *Dilata, & reproponatur cauſa citatis Executoribus teſtamentariis, aliiſque intereſſe habentibus*. *Seſſ 25. cap. 5. de Reform.*

Itaque Capellanus Cordelli reſcripto paruit, omneſque tam Exequutores teſtamentarios, quam alios quomodocumque intereſſe habentes interpellavit ad deducendum jura in Sac. Congregatione. A menſe autem Auguſti nuper elapſi,

quo

quo interpellatio exequuta est, ad hæc usque tempora, nemo comparuit; Quare denuo supplicat, ut definiatur dubium.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negativè, & utatur jure suo contra quos de jure.

Sess. 25. cap. 1. de Reform.

FESULANA MISSÆ PAROCHIALIS. Dubium ab Episcopo Fesulano propositum, an in Dominicis, aliisque festis de præcepto diebus possint Parochi præsente cadavere celebrare Missam pro defuncto, translata ad aliam diem applicatione Missæ pro Populo, anceps reddidit judicium EE. PP., qui *die 7. præteriti mensis Julii* demandarunt, ut quæstio hujusmodi iterum proponeretur. De ea proindè nunc denuò agendum est, & expediens videtur resumere folium *diei 16. præcedentis Junii*, in quo res paulò accuratius expenditur. Animadversum tunc fuit, quod quamvis de rigore juris unusquisque Rector Curæ Animarum, sive pingues, sive tenues habeat reditus Sacrificium Missæ pro Populo celebrare, & applicare debeat *in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto*, juxta notissimam sa. mem. Benedicti XIV. Constitutionem la 103. incipien. *Cum semper oblatas* 19. Augusti 1744. *tom.* 1. *Bullar.*; Nihilominus idem Summus Pontifex juris rigorem temperandum, ab eoque recedendum censuit, quoties agitur de Parochis, qui adeo tenues habent reditus, ut ferè ex eleemosinis, quas a Fidelium largitione pro Missarum celebratione recipiunt, vivere coguntur: Tunc enim facultatem dedit Episcopis dispensandi cum dictis Parochis, eisque permittendi, ut accepta etiam diebus festis eleemosyna, transferre ad aliam diem possint Missam pro Populo applicandam.

Quæsitum proindè fuit, & nunc denuò inquirendum est, an quæ in alio casu impertita dispensatio fuit, ad casum præsentem trahi possit, itaut tribuenda Parochis facultas sit applicandi Missam pro defunctis in die depositionis, etiamsi festum occurrat, & ad aliam diem transferendi Missam pro Populo, ubi saltem per alium Sacerdotem ea die suppleri non possit. Agitur sanè de potiori defunctorum suffragio, ac de viventium solatio, deque postrema amoris significatione ea die præstanda, qua a defunctis sejungi perpetuò in terris debent. Agitur de pia institutione ab antiquissimis ducta temporibus, a Rituali Romano enixè inculcata, ac per universum Orbem religiosissimè amplexa. Agitur tandem de pia consuetudine, quæ apud Majores nostros tanti habita est, ut ad eam constanter servandam fas esse putaverint plures eadem die Missas celebrare, quemadmodum a Doctoribus fuisse traditum, & a Synodalibus firmatum Constitutionibus, relatum est in Voto a me exarato in Causa *Derthusen. ad diem* 20. *Augusti* 1768. *tom.* 37. *Resolut. pag.* 28. *num.* 9., *& seq.*

His

His igitur, aliisque ad rem alias deductis, maturè perpensis, dijudicandum erit.

I. *An Parochi in Dominicis, aliisque festis diebus præsente Cadavere possint celebrare Missam pro Defuncto, & ad aliam diem transferre Missam pro Populo applicandam in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

II. *An saltem applicationi Missæ pro Populo supplere possint per aliam Sacerdotem in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

BONONIEN. ANNIVERSARIORUM. In testamento, quod condidit anno 1638. Bartholomæus de Saxis post electum in Ecclesia PP. S. Francisci Oppidi S. Joannis in Persiceto sepulcrum, hæredes ex asse instituit *Joannem Matthæum*, & *Petrum Antonium* Sarti Sororis suæ Filios, quibus eorum descendentes in infinitum substituit, omnesque vocatos adstrictos voluit celebrationi trium Anniversariorum in dicta Ecclesia cum interventu omnium Sacerdotum tam Secularium, quam Regularium ejusdem Oppidi, ac pœnam caducitatis adjecit, si ab oneris implemento cessarent. *Sess. 22. cap. 6 de Reform.*

Facta primum ab hæredibus bonorum divisione, anno deinde 1665. *Joannes Matthæus* cessit cohæredi *Petro Antonio* prædium cum Domo in Regione *delle Fosse*, in cujus correspectivitatem *Petrus Antonius* onus assumpsit perpetuo implendi eadem Anniversaria, & indemnem relevandi *Joannem Mattheum*, ejusque hæredes ab omni caducitatis pœna in casu contraventionis a Testatore comminata. Anniversaria itaque prædicta semper ab hæredibus *Petri Antonii* impleta fuerunt; Cumque anno 1692. quæstio orta fuisset circa expensas, & modum agendorum Anniversariorum, Vicarius Generalis sua sententia normam præscripsit circa æram, Ministros, eorumque elæmosinam perpetuo deinceps servandam.

Verum jam diù combusta domo ob casuale incendium, imminutisque prædii reditibus, Cæsar, Theresia, Angela aliique descendentes a dicto *Petro Antonio* Sarti reductionem Anniversariorum petierunt. Acriter hisce precibus se oppositerunt PP. Ecclesiæ S. Francisci, ac Clerus Secularis, nec non Medardus Sarti a *Matthæo* descendens; Hi proinde omnes interesse habentes modo postulant, ut oblatæ preces reiiciantur.

Inquiunt Fundatorem clare, expresseque hæredibus indixisse Anniversaria, pœnamque etiam caducitatis negligentibus adiecisse: hancque ipsam voluntatem jam solemni re judicata anni 1692. fuisse confirmatam, & per centum, & ultra annos religiosè servatam. Nihil ideo injustius, ac iniquius modo esse, quam ut hæc voluntas in aliqua parte fraudetur, & tanto suffragio Anima Fundatoris privetur,

maxime quia implenda Anniversaria sunt in ea Ecclesia, in qua ipse tumulari mandavit.

Assertam verò inopiam redituum undique falsam esse sustinent: probant enim ex testibus, illos annua fere pertingere scuta 140. addunt Medardum Sarti, onerum implementum libenter susceperum, si cessa bona sibi restituantur: Demum advertunt onus Anniversariorum universa bona hæreditaria afficere, ita ut quodlibet hæredum factum, ac conventio illorum onus delere, vel restringere nequiverit.

A Cæsare, Theresia, Angela, aliisque descendentibus a *Petro Antonio* Sarti, licet pluries monitis, nondum libellum habuimus. Patres Ecclesiæ S. Francisci, nec non Clerus Secularis, ac Medardus Sarti late impugnant expositam redituum tenuitatem, ut ex eorumdem foliis inter monumenta causæ adductis.

Emus Archiepiscopus refert, Oratores nihil aliud possidere præter bona prædicta, eaque affirmat ad eorum sustentationem insparia, maxime post passum Domus incendium, ac judicio EE. VV. submittit, an ex æquitate Oratorum paupertati sit succurrendum. Censet tamen magis expedire, ut non perpetua reductio, sed tantum temporalis fiat, ut sic, & egestati Oratorum consultum sit, & perpetuum damnum Fundatoris suffragio non irrogetur.

Bartolomæus de Saxis Fundator non unum quidem, aut alterum prædium subjecit oneri Anniversariorum, sed generaliter legem in perpetuum suis hæredibus indixit, & hæredes universales in omnibus bonis tam mobilibus, quam immobilibus instituit *Joannem Matthæum*, ac *Petrum Antonium* Nepotes. Universa ideo bona hæreditaria hypothecata remanserunt pro dictorum Anniversariorum implemento: Quælibet idcirco privata conventio, vel pactum inter dictos hæredes non potuit moderari generalem hypothecam super omnibus bonis pro dicti oneris implemento, nec efficere, ut huic subesset dumtaxat prædium, ac domus, quæ hæreditatis pars *Petro Antonio* cessa fuit, ut ejus redditibus Anniversariorum onus ipse subiret.

Verum nullum inventarium adest bonorum hæreditariorum, nec hæsitandum eadem universa bona longe excedere necessarias Anniversariorum expensas. Unice ideo inquirendum supereſt, an attenta gravi inopia Cæsaris, aliorumque a dicto *Petro Antonio* descendentium, æquitas suadere videatur, ut redacto Anniversariorum onere necessariæ eorumdem alimoniæ, ac sustentationi consulatur.

EE. PP. summa, qua pollent æquitate, ac benignitate dignentur responsum dare.

An sit locus adimplemento legati Anniversariorum ordinati a Bartolomæo Sassi ad formam Fundationis, & rei judicatæ, seu potius illius reductioni, vel suspensioni in casu &c.

NEO-

NEOCASTREN. MISSÆ PRO POPULO. Parochiali Ecclesiæ S. Mariæ Catholicæ, quæ Matrix est in Oppido Maidæ, tres præsunt Parochi, alteri vero Parochiæ S. Nicolai de Latinis inserviunt alii quatuor Parochi, omneique in utraque Ecclesia tamquam veri Parochi Animarum Curam alternis hebdomadis exercent, ita tamen, ut juxta casuum contingentias quilibet Parochiæ necessitatibus occurrere teneatur. A tempore autem, cujus initii memoria non extat, consueverunt Parochi unam Missam pro Populo singulis diebus per turnum in unaquaque Ecclesia applicare: Postquam verò anno 1744. prodiit notissima Constitutio san. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, Missam Parochialem ad dies Dominicos, alioque festos de præcepto, juxta sententiam tunc temporis Neocastrensis Episcopi, coercere existimarunt. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

Verum occasione Sacræ Visitationis prædicti Parochi a Vicario Apostolico petierunt declarari, an unico in unaquaque Ecclesia oblato Sacrificio, satisfactum foret oneri iis injuncto, quibus Animarum Cura commissa est. Censuit Vicarius Apostolicus a propositi dubii declaratione abstinere, illudque sapienti EE. VV. judicio definiendum remisit. Dum autem de eo quærebatur in Congregatione diei 7. elapsi mensis Julii, illud etiam in quæstionem deductum est, an iidem Animarum Rectores suo oneri adimplerent per applicationem Sacrificii, quæ etsi ante Benedictinam Constitutionem singulis diebus fieri consuevisset, nihilominus post d. Constitutionem ad dies tantum festos fuerat coercita: Quapropter dilata alterius dubii resolutione, demandatum fuit, ut reproponeretur causa, addito altero dubio, quo inquireretur etiam, quibus diebus dicti Parochi ad applicationem Missæ tenerentur.

De utroque proinde dubio hodierna die agendum est, ac de primo quidem respiciente applicationem Missarum ab uno tantum ex Parochis per turnum, seu potius a singulis in unaquaque Ecclesia pro Populo adimplendam, habita ratio fuit in folio distributo pro Congregatione *diei 16. Junii currentis anni*, cujus resumptione EE. PP. deprehendent quidquid ea super re animadversione dignum occurrit. De altero autem, quod vertitur circa dies, quibus Sacrificium applicari debeat, perspecta jam sunt, quæ san. mem. Benedictus XIV. retulit in relata Constitutione *Cum semper*, de excusationibus a Parochis proponi solitis, ut ab applicationis onere sese eximerent, deque pluribus S. hujus Congregationis decretis ad id eos cogentibus. Postquam verò fusius hæc enarravit, Apostolica auctoritate ita definivit = *Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem, & confirmationem extendimus, & quatenus opus sit, auctoritate Apostolica, iterum præsentium tenore decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, seu alii, ut supra Animarum Curam habentes, congruis præfinitis re-*

ditibus deſtituantur, & quamvis antiqua, ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis obtinuerint, ut Miſſa pro Populo non applicare ur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.

Deinde verò hæc declaravit = *Dum tamen diximus omnes Animarum Curam habentes Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo statuere voluimus, eoſdem, aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint ad præd.ctam applicationem pro Populo teneri: Equidem Sacroſancta Tridentina Synodus* ſeſs.23. can.14. *præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus Miſſarum ſacra faciant &c.: In pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus providè conſtitutos, ac deſignatos eſſe dies, quibus Animarum Paſtores Miſſas celebrare debent. At vero Nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur, & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidiè pro Populo celebrare, & applicare debere, eum verò, qui uberioribus hujuſmodi reditibus non gaudeat, feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri, cum tamen pariter Nobis perſpecta ſint, tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint, tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi decretum, tanquam plus æquo rigidum excitatæ, Nobis innoteſcant: Idcirco opportunum cenſemus Fraternitatibus Veſtris declarare, Nobis abundè ſatisfactum fore, Vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui Animarum Curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto &c. =*

In præſenti caſu certum eſt, Parochos Oratores Miſſam pro Populo quotidiè applicare conſueviſſe, nec alia ratione ab hujuſmodi conſuetudine receſſiſſe, niſi quia vigore mox relatæ Benedictinæ Conſtitutionis hujuſmodi onus in Dominicis tantum, feſtiſque diebus ſibi inhærere exiſtimarunt, proindeque ad eos tantum dies Miſſæ applicationem, auctorante quoque Epiſcopo, coercere exiſtimarunt. Jure ne, aut injuria id fecerint, EE. Patres dijudicabunt.

Quæritur

I. *An Parochi Eccleſiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur ſinguli applicare Miſſam pro Populo, ſeu potius poſſint unam tantum Miſſam in unaquaque Eccleſia per turnum applicare, in caſu &c.*

II. *An eandem Miſſam teneantur applicare quotidie, vel tantum Dominicis, & Feſtis diebus, in caſu &c.*

F I N I S.

IN-

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ ſunt in foliis Cauſarum anni 1770.

A

ABbas nequit ſe nuncúpare *Ordinarium* Locorum Abbatiæ . *pag.*94. *ad* XVI.

Poteſt tamen ſe appellare *Judicem Ordinarium* . *ibid.*

Abbates nequeunt a Superioribus deſtinari ad Curam Animarum, illamque exercere ſine approbatione Epiſcopi. *pag. ead. §. Ad* XXI.

Quoad uſum Pontificalium tenentur ſervare Decretum S. M. Alexandri VIII. *pag. ead. §. Ad* XXIII.

Abbatiſſarum electionibus per ſe , vel per alium præeſſe poteſt Epiſcopus , una cum Superioribus Regularibus . *pag.* 91. *§. Ad* VI. , *& ſeq.*

Abſque ulla tamen Monaſteriorum impenſa . *ibid.*

Ablutio aquæ Baptiſmatis , niſi aliquid obſtet , fieri debet in capite , in quo omnes vigent hominis ſenſus . *pag.*8. *§. Norunt* .

Abſentes a Choro per menſem non completum , vel non continuum mulctari tantum poſſunt per ſubtractionem diſtributionum quotidianarum pro rata fructuum dierum abſentiæ . *pag.* 132. *§. Ad* VIII.

Acta an , & quando ſuſpecta dicantur . *p.*13. *§. Et primo , & ſeq.*

Actus , qui pauci fuerint , non inducunt præſcriptionem . *pag.* 151. *§. Negat.*

Nec ſi præcario nomine geſti extiterint . *ibid.*

Qui liti cauſam dederunt , non merentur attendi . *pag.* 195. *§. Addit.*

Adminiſtratores bonorum Monialium , quæ Regularibus ſubjectæ ſunt,removeri debent a Superioribus Regularibus , quando inſtet Epiſcopus pro illorum remotione. *p.*90. *§. Ad* III.

Et ſi Superiores Regulares renuant,poteſt Epiſcopus eos removere . *ibid.*

Nec tenetur Epiſcopus cauſam pandere Superioribus Regularibus . *p.* 91. *§. Verum.*

Adminiſtratores , etiamſi Regulares fuerint , debent rationem reddere Epiſcopo , una cum Superioribus Regularibus , quibus ſubjiciuntur . *pag. ead. §. Ad* V.

Et ad eam reddendam juris remediis cogi poſſunt . *ibid.*

Gratis tamen exigenda ratio eſt ab Epiſcopo . *ibid.*

Etiamſi adeſſet contrarius uſus . *pag. ead. §. Hinc .*

Neceſſe tamen eſt , ut Monaſterii Superiores vocentur . *pag. ead. §. Neceſſe .*

Admiſſio novi Canonicatus a Capitulo facta quid importet . Vid. *Canonicatus novus .*

In Adultis requiritur intentio ſuſcipientis , ut Baptiſmus rite collatus dicatur . *pag.* 8. *§. Norunt .*

Et quæ intentio requiratur. *pag.*10. *§. Expendendum .*

Affinitas , quæ matrimonium impedit , non contrahitur ex copula , niſi hæc perfecta fuerit , & ſufficiens ad generationem prolis . *pag.* 143. *§. Ad inducendum .*

Contrahitur etiam ratione Societatis Conjugalis , ſive ex ipſo contractu Matrimonii per verba de præſenti ante carnalem copulam . *pag.* 147. *§. Non una .*

Verum ſecundum aliquos non proprie in hoc caſu contrahitur, ſed tantum initiative. *pag.* 148. *§. Alii .*

Juxta alios tamen nullo modo contrahitur , ſed tantum impedimentum publicæ honeſtatis . *ibid.*

Alienatio bonorum Eccleſiæ facta ſine juſta cauſa , & debita ſollemnitate , prohibita eſt . *pag.* 41. *§. Alienatio .*

Nomine autem alienationis quid intelligatur . *ibid.*

Alimenta debentur Mulieri etiam indotatæ , dum pendet judicium ſuper validitate Matrimonii . *pag.* 4. *§. Poſita .*

Præſertim ſi Matrimonium ratum fuerit, & conſummatum . *ibid.*

Et præſtanda ſunt a Filio defuncti Viri , ſi Pater deceſſerit . *ibid.*

Eorum quantitas dimetienda eſt non tantum ex neceſſitate , ſed pro modo dignitatis , ac decoris , juxta vires Patrimonii, & qualitatem perſonarum . *ibid.*

Anniverſaria ſunt pia legata a titulo , & Præbenda Canonicali ſejuncta . *pag.*109. *§. Neque .*

Illorum emolumenta non comprehenduntur ſub nomine diſtributionum . *ibid.*

Nec de hiſce emolumentis participat Canonicus jubilatus. Vid. *Canonicus Jubilatus.*

Apoſtolicæ reſervationes. Vid. *Reſervationes.*

Appellatio in devolutivo tantum admittitur , quando agitur de Parochialibus . *pag.* 15. *§. Neque .*

Si vero agatur de Beneficiis , quæ non

habent adnexam Curam Animarum, admittitur etiam in ſuſpenſivo. *ibid.*

Impedit exequutionem Sententiæ. *p.* 31. §. *Hinc*.

Aqua debet immediate corpus tangere, ut Baptiſmus validè conferatur. *pag.* 9. §. *Neceſſe*.

Et ſi veſtes tantum aſperſerit, non erit rite collatus. *ibid.*

Si vero Capilli, dubia, nec ſatis tuta dici poterit collatio. *ibid.*

Arborum, quæ nocivæ ſunt inciſio, permitti poteſt, etiamſi obſtet præceptum Teſtatoris. *pag.* 40. §. *Inquit*, & *pag.* 41. §. *Vulgatum*.

Quid Sacra Congregatio hac de re ſenſerit. *ibid.*

Aſſiſii qui ſint. *pag.* 40. §. *Animadvertendum*. Vid. etiam *Manſionarii*.

B

Baptiſmus. Quid requiratur ad Baptiſmi validitatem. *pag.* 8. §. *Norunt*.

Aquæ applicatio, quæ dicitur ablutio, tribus modis fieri poteſt, nempe profuſione, aſperſione, & immerſione. *pag. ead.* §. *Primus*.

Et tantum aquæ adhiberi debet, quantum ſufficit, ut quis moraliter cenſeatur perfuſus, ablutus, aut tinctus. *ibid.*

Hinc ſi unâ tantùm, aut alterâ aquæ guttâ corpus Baptizantis aſpergatur, nonnulli non immeritò dubitant de collatione Baptiſmi. *pag.* 9. §. *Eod.*

Aqua debet immediate corpus tangere. *pag. ead.* §. *Neceſſe*.

Et ſi veſtes tantum aſpergantur, Baptiſmus non erit collatus. *ibid.*

Si vero capilli, dubia, nec ſatis tuta dici poterit collatio. *ibid.*

Ablutio proinde, niſi aliquid obſtet, fieri debet in capite, in quo omnes vigent hominis ſenſus. *ibid.*

Beneficii privatio inter graviores pœnas a Doctoribus recenſetur. *pag.* 30. §. *Et primo*.

Ac proinde tria concurrere debent, nempè gravitas cauſæ, nec non cauſa plenè probata, & quod pœna infligatur juxta formam a legibus Eccleſiaſticis præfinitam. *ibid.*

Præcedere idcircò debet trina monitio. *pag. ead.* §. *Patet*.

Alias privationis ſententia nulla erit, & injuſta. *ibid.*

Etiamſi ageretur de incontinentia qualificata cum Adulterio. *ibid.*

Et crimina plenè juſtificata probentur. *ibid.*

Quia prætermiſſa monitione verificari non poteſt incorregibilitas, & contumacia ad privationem neceſſariò probanda. *ibid.*

Beneficium Eccleſiaſticum quid ſit. *pag.* 47. §. *Canonicam*.

Verè dicitur Manſionaria. *p.* 46. §. *Plura*.

Ex pluribus conjecturis deprehendi poteſt voluiſſe a Teſtatore fuiſſe Beneficium Eccleſiaſticum in erectione Mannonariæ. *pag.* 278. §. *Ex aliis*.

Quando requirat Ordinem Sacerdotalem in ipſo actu præſentationis, vel collationis. *pag.* 66. §. *Qui putant*.

Impoſitio oneris quotidianæ celebrationis per verba imperativa indicat, voluiſſe a Fundatore fuiſſe actualem Sacerdotis qualitatem. *pag.* 67. §. *Id autem*.

Atque etiam quando tributa Beneficiato fuit facultas celebrandi per alium tempore infirmitatis. *pag. ead.* §. *Addunt*.

Et quando demandata fuit præſentatio Presbyteri idonei. *pag. ead.* §. *Perperamque*.

Ex juris diſpoſitione conferri poſſe præſumitur non tantum Sacerdotibus, ſed etiam Clericis. *pag.* 68. §. *Deinde*.

Nec obſtat contraria obſervantia, niſi probetur Sacerdotum Electiones non ex actibus facultativis proceſſiſſe, ſed coactè peractas fuiſſe ad excludendos Clericos. *pag.* 69. §. *Inutiliter*.

Collativum magis prodeſt Teſtatoris Animæ, & Eccleſiæ, quia uberius, ac firmius onera adimplentur. *pag.* 276. §. *Ait*.

Ut in titulum conferatur a Canonica erectione emergere debet. *pag.* 277. §. *Hujuſmodi*.

Erectio autem cedit in augumentum Divini cultus. *pag.* 276. §. *Ait*.

Beneficiorum pluralitas vetita eſt. *pag.* 238. §. *Sacroſancta*.

Id tamen locum non habet de ſimplici, & temporali Capellania, nullum Eccleſiaſticum Canonicum titulum præſeferente, quæ retineri poteſt cum alia Capellania, aut Canonicatu. *ibid.*

Bonorum reditus ritè deſumuntur ex Inſtrumentis Locationum. *pag.* 24. §. *Addit*.

Eorum valor ille dicitur, qui ſupereſt deductis oneribus. *pag.* 25. §. *Negat*.

Alienatio, ſi ad Eccleſiam pertineant, ſine juſta cauſa, & debita ſollemnitate prohibita eſt. *pag.* 41. §. *Alienatio*.

Nomine autem alienationis quid intelligatur. *ibid.*

Locationes quoque, & Emphyteuſes, quæ Eccleſiis noxiæ ſint, reprobantur. *pag.* 234. §. *Præter*.

C

Cadaver humari non debet ſine ſacrificio præſente peracto. Vid. *Miſſa*.

Canon in emphyteuſi Eccleſiaſtica qualis eſſe debeat. Vid. *Emphyteuſis*. *Laudemium*.

Canonici non tam ſede, & loco, ſed etiam habitu diſtingui debent ab aliis Sacerdotibus, & Clericis. *pag.* 21. §. *Tota*.

Canonici quoad Diſtributiones. Vid. *Diſtributiones*.

Canonicatus novus erigi nequit ſine conſenſu Capituli. *pag.* 104. §. *Ambigit*.

Alias erectio nulla eſt. *ibid.*

Si Capitulum juſtè diſſentiat, voluntas Fundatoris eſt potius commutanda. *ibid.*

Si verò injuſtè renuat, erectio decernitur. *ibid.*

Poteſt tamen Capitulum adjicere conditiones, & quæ ſint, enumerantur. *p.* 105. §. *Capitulum*.

Quod ſi nullas adjiciat conditiones, non ideo tamen novus Canonicus indiſtinctè admitti debet ad omnia emolumenta, & legata Capitulo relicta. *pag. ead.* §. *Sin verò*.

Præſertim ſi res ſit de novis Canonicis propriam Præbendam, diſtinctoſque fructus habentibus. *ibid.*

Id tamen nonnulli intelligendum putant de iis Canonicis, qui ſupranumerarii vocantur, ab antiquis omninò ſejuncti. *pag. ead.* §. *Advertunt*.

Secus autem ſi verè, & propriè cum omnibus honoribus, & privilegiis Capitulo aggregentur. *pag. ead.* §. *Speciem*.

Verùm ſecundum alios novi Canonici excluduntur a participatione Legatorum, & emolumentorum ante erectionem Capitulo quæſitorum, non tamen ab aliis. *pag.* 104. §. *Addit*, & *pag.* 106. §. *Demum*.

Et ideo admiſſio novi Canonici a Capitulo facta jura tantum honorifica tribuere præſumitur, non jura veræ, & formalis Canoniæ. *pag.* 103. §. *Contra*.

Atque hanc diſtinctionem ſequuta eſt Sacra Congregatio. *pag. ead.* §. *Sac. Congregatio*, & *ſeq.*

Excipitur tamen, ſi vel expreſsè, vel ex conjecturis aliud ex mente Teſtatoris colligatur. *pag. ead.* §. *Verum*.

Canonici quoad ſervitium Chori. Vid. *Vacatio*.

Quoad Miſſam Conventualem. Vid. *Miſſa Conventualis*.

Jubilati revocari aliquando poſſunt ad ſervitium Chori. *pag.* 186. §. *Id tamen*.

Non participant de fallentiis. *pag.* 109. §. *Contra*.

Multoque minus de emolumentis Anniverſariorum, Proceſſionum, & ſimilium. *ibid.*

Quamvis in Indulto ei tribuantur fructus omnes, & diſtributiones quotidianæ. *pag. ead.* §. *Neque*.

Quia nomine diſtributionum non comprehenduntur emolumenta Anniverſariorum. *ibid.*

Sacra tamen Congregatio varie hac de re ſenſit. *pag.* 111. §. *Cum nihil*, & *ſeq.*

Hujuſmodi autem reſolutionum varietas non aliundè repetenda eſt, quam ex peculiaribus cujuſque Eccleſiæ ſtatutis, & conſuetudinibus. *pag.* 112. §. *Hæc autem*, & *ſeq.*

Quas quidem conſuetudines hac in re obſervandas edixit, non obſtantibus contrariis Capitularibus Conſtitutionibus. *p.* 113. §. *His ergo*.

Exempti ſunt ab onere Miſſæ Conventualis per turnum celebrandæ. *pag.* 224. §. *Irrationabiles*, & *pag.* 225. §. *Quid verò*.

Canonicus decedens non electa ſibi ſepultura, ſepeliri debet in Cathedrali Eccleſia, ſi in ea adſit ſepulcrum Canonicorum, ſin minus in Sepulcro Majorum. *p.* 221. §. *Ad* VI.

Et aſſignatur ratio. *pag. ead.* §. *Et jure*.

Canonicus Senior optans novam Præbendam, non amittit dignioremlocum in Choro. *pag.* 195. §. *Quoties*. Vid. etiam *Optio*.

Canonicorum onus præcipuum eſt Choro intereſſe. *pag.* 114. §. *Suſtinent*.

Hinc Canonicus Miſſam privatam celebrans tempore Divinorum Officiorum, gravibus pœnis puniri debet. *pag.* 110. §. *Maximè*.

Et etiamſi Organum pulſaverit, non tamen cenſetur Choro intereſſe. *pag.* 114. §. *Suſtinent*.

Nec proindè ei debentur diſtributiones quotidianæ. *ibid.*

Immo pœnis etiam pecuniariis mulctari debet, ultra amiſſionem diſtributionum. *pag.* 116. §. *Maximè*.

Contrarium aliquando procedere aſſeritur. *pag. ead.* §. *Preſſius*, & *pag.* 117. §. *Quo verò*.

Accedente præſertim mandato Epiſcopi. *ibid.*

Et longæva Capituli conſuetudine, nec non conſenſu majoris partis Canonicorum. *pag. ead.* §. *Advertit*.

Priori tamen ſententiæ conſtanter adhæſit Sac. Congregatio, quoties actum fuit de Canonico organum pulſante cum perceptione ſtipendii. *pag. ead.* §. *Quemadmodum*.

Eumque coærcendum decrevit aliis etiam pœnis pecuniariis arbitrio Epiſcopi. *pag.* 118. §. *Si verò*.

Etiamſi ſolus in arte per totam Diœceſim tempore Divinorum Officiorum Organum pulſaret in Cathedrali. *pag. ead.* §. *Animadvertendum*.

Sequus verò ſi ſtipendium non acceperit. *pag.* 117. §. *Quemadmodum*.

Capellaniæ manuales, ſeu amovibiles non ſunt ſacerdotales. *pag.* 69. §. *Nec*.

Neque admittunt prælationem Sacerdotis ſupra Clericum. *ibid.*

Eccleſiaſticæ erigi debent auctoritate Ordinarii. *pag.* 127. §. *Proponitur*.

Laicales verò non indigent Canonica erectione. *ibid.*

Et Laici quoque, immo & Mulieres, ac Infantes illas retinere poſſunt. *pag.* 128. §. *At licet*, & *ſeq.*

Hac tamen in re habenda præcipuè ratio eſt expreſſæ, vel tacitæ Fundatoris voluntatis. *pag.* 129. §. *Quare*.

Nec

Nec qualitati Laicalis Capellaniæ obſtat injunctum Miſſarum onus, vel certa eos conſtituta, vel erectio facta ad certum Altare. *pag.* 126. §. *Ad* I.

Vel exequutio Epiſcopo commiſſa. *ibid.*

Vel qualitas Fundatoris, aut Capellanorum, quos ille prima vice elegerit. *pag.* 127. §. *Hinc*.

Capellaniis ſimplicibus nunquam cenſetur inesſe onus Reſidentiæ, niſi Fundator eam demandaverit. *pag.* 23. §. *Duo potiſſimum*.

Capellaniarum incompatibilitas deſumitur vel ex lege Fundationis, vel ex oneribus inter ſe non compatibilibus. *pag.* 239. §. *Incompatibilitas, & ſeq.*

Capellani ad ſervitium Chori in Eccleſiis Cathedralibus deſtinati, beneficium Eccleſiaſticum habere dicuntur. *pag.* 47. §. *Animadvertendum*.

Et diverſis nominibus appellari conſueverunt. *ibid.*

Capitulum coercere poteſt, & levi tantum pœna punire Beneficiatos, alioſque Eccleſiæ ſervitio addictos ob leves culpas, ſervitium Chori, aut Eccleſiæ reſpicientes. *pag.* 132. §. *Ad* VII.

Cauſa commutationis reſpicere debet publicam utilitatem, & bonum publicum. *p.* 25. §. *Verum*.

Cauſæ Matrimoniales. Vid. *Matrimoniales Cauſæ*.

Celebratio Miſſæ præferri debet cuilibet alio pio operi. *pag.* 36. §. *Demum*.

Corpore vitiatis aliquando fuit conceſſa. Vid. *Miſſæ celebratio*.

Clauſula litis præſervativa adjecta in Litteris Apoſtolicis, impedit illarum exequutionem. *pag.* 14. §. *Ad* II. *dubium*.

Clericus habitum Clericalem dimittens, Clericale privilegium non amittit. *pag.* 172. §. *Immeritò*. Vid. etiam *Habitus Clericalis*.

Si militiæ Sæculari honoris cauſa nomen dederit, nec ſæva exercuerit, nec cum hoſtibus pugnaverit, idoneitatem ad beneficia non amittit. *pag.* 174. §. *Fatentur*.

Mercaturam exercens, & ab ea poſtea recedens, privilegium clericale recuperat. *ibid.*

Clerici non ſepeliuntur in ſepulchro majorum, quando in Cathedrali, vel matrice Eccleſia adeſt proprium Clericorum ſepulchrum a Laicis ſejunctum. *pag.* 221. §. *Ad* V.

Et aſſignatur cauſa. *pag. ead.* §. *Et iure*.

de Clericis, qui turpiter vivunt, quid diſponat Concilium Tridentinum. *pag.* 32. §. *Concilium, & ſeq.*

Quid Sacra Congregatio hac de re ſenſerit. *pag. ead.* §. *Circa*.

Communis opinio ſemper verificatur, quoties major pars aliquid exiſtimando conveniat. *pag.* 53. §. *Sed etiamſi*.

Communitatis jura quilibet de populo tueri poteſt. *pag.* 115. §. *Denique*.

Commutationi voluntatis locus eſt, quoties per eam Divinus cultus augetur, & bono publico ſit utilior. *pag.* 25. §. *Verum*, *p.* 46. §. *Ad alteram*, & *pag.* 276. §. *Aut*.

Vel quoties aliqua juſta, & neceſſaria cauſa urgeat. *pag.* 277. §. *Prodeſſe*.

Melius eſt enim ab una parte recedere, quam totam Teſtamenti diſpoſitionem ſubvertere. *pag.* 278. §. *Deſpiciendum*.

in Concurſibus qui modus, & quæ forma ſervari debeat. *pag.* 13. §. *Et primo, & ſeq.*

Non doctrina tantùm, ſed ætas quoque, prudentia, mores, aliæque concurrentium qualitates præ oculis habendæ ſunt. *p.* 17. §. *Quod verò*.

Confeſſarii Monialium tam Sæculares, quam Regulares, nec non ordinarii, & extraordinarii approbari prius debent ab Epiſcopo. *pag.* 89. §. *Ad* I.

Etiamſi Moniales ſubjectæ ſint Regularium regimini. *ibid.* & *pag.* 90. §. *Hinc, & ſeq.*

Et non obſtante quavis contraria conſuetudine. *ibid.*, & §. *Idemque*.

Approbatio requiritur quotieſcumque ad id munus eligantur. *ibid.*, & §. *Ad* II.

Et quamvis approbati fuerint pro alio Monaſterio. *ibid.*

Confeſſarii Regulares a quo, & quomodo removeri poſſint. *ibid.*, & §. *Ad* III., & *pag.* 91. §. *Verum*.

Epiſcopus non tenetur ſignificare Superioribus Regularibus cauſam, ob quam Confeſſarios amoveri poſtulat. *ibid.*

Conſenſus novus non requiritur ſi ſemel interceſſerit, nec fuit revocatus. *pag.* 194. §. *Neque*.

Et ſola unius Partis voluntate recedi non poteſt ab iis, quæ mutuo conſenſu conventa ſunt. *pag.* 22. §. *Præſertim*, & *pag.* 25. §. *Denique*.

Præſertim ſi conventio fuerit juramento roborata. *ibid.*

Conſtitutio Pontificia munita clauſula *ſublata*, irritam reddit contrariam conſuetudinem, quamvis centenariam. *pag.* 120. §. *Ad primum*.

Conſuetudo legitimè admiſſa cum ſubſequuta acquieſcentia ſervari debet. *pag.* 56. §. *Addunt*.

Alias tamquam abuſus, & corruptela rejici debet. *ibid.*

Unicus etiam actus in contrarium geſtus ſufficit ad evertendam conſuetudinem. *ibid.*

Legitimè probata, tanquam lex eſt omninò ſervanda. *pag.* 58. §. *Hanc*.

Nec ab ejus obſervantia deflecti poteſt. *ibid.*

Contra legem expreſſam admitti non debet, niſi in contradictorio judicio legitimè probata fuerit. *pag.* 108. §. *Addit*.

Alias nec honeſta reddi poteſt conſenſu Capituli. *pag.* 115. §. *Nec obeſſe*.

Injuſta tamen eſt omninò deſpicienda. *pag.* 109. §. *Denique*.

Conſuetudo dimittendi Cappam, adjecta Cotta ſupra Rocchettum non ſolum uſu frequens eſt, ſed etiam Eccleſiaſtico Ritu approbata. *pag.* 22. §. *Perpendendum*.

Conventio. Vid. *Conſenſus*.

Conventus parvi perpetuò ſupprimuntur. *p.* 92. §. *Ad* VIII.

Eorumdem Conventuum Regulares compelli poſſunt ab Epiſcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & ad reddendas rationes adminiſtrationis. *pag. ead.* §. *Pro rectâ*.

Poteſt etiam Epiſcopus in iiſdem Conventibus ſe ingerere, quoad ea, quæ Regularem diſciplinam concernunt. *ibid.*

Poſſunt etiam ab Epiſcopo viſitari dictorum Conventuum Eccleſiæ, & Capellæ Granciarum, in quibus degunt Converſi pro Agrorum cultura. *ibid.*

Immo viſitari poſſunt ipſæ Granciæ, & Converſi. *ibid.*, & *pag.* 93. §. *Hinc*.

Corporis inſpectio a Peritis facta probationem firmiſſimam præbet ad judicandum de conſummatione Matrimonii. *pag.* 80. §. *Accedere*.

Eaque ſola per ſe ſufficit. *ibid.*

Et Peritorum judicium pro veritate ipſa haberi ſemper conſuevit. *pag.* 81. §. *Præter hæc*. Vid. etiam *Obſtetrices*.

Ex jure tamen Canonico fallax probatio habetur. *pag.* 82. §. *Plura*.

Corpore vitiati quando ſint irregulares. Vid. *Irregulares*.

Crimen graviſſimum indubiam requirit probationem. *pag.* 175. §. *Nec*.

D

Decimæ non tantùm ad Miniſtrorum alimoniam, ſed etiam ad Eccleſiarum conſervationem ſunt deſtinatæ. *pag.* 47. §. *Quod ſi*.

Decimandi jus tranſit ad Eccleſiam Matricem cum onere reædificationis Parochiæ filialis. *pag.* 75. §. *Quum*.

Decreta Sac. Congregationis vim habent legis. *pag.* 108. §. *Addit*.

Deformitas corporis quando inducat irregularitatem. Vid. *Irregularitas*.

Depoſitiones poſteriores ex intervallo emiſſæ ſunt magis attendendæ. *pag.* 82. §. *Contra*.

Dictio *ſtatim* de ſui natura ne modicum quidem temporis intervallum admittit. *p.* 173. §. *Hinc*.

Come gli altri omnimodam ſimilitudinem, eaſdemque qualitates importat. *pag.* 278. §. *Advertit*.

Dies feſti, quos in ſua Diœceſi ſervari jubet Epiſcopus, ab exemptis etiam Regularibus ſervandi ſunt. *pag.* 93. §. *Speciatim*.

Diffamatio quando intercedat. *pag.* 31. §. *Hinc*, & *pag.* 33. §. *Inquirendum*.

Dimiſſio Habitus Clericalis. Vid. *Habitus Clericalis*.

Diſmembratio Eccleſiæ Parochialis quibus de cauſis fieri debeat. *pag.* 73. §. *His in facto*.

An neceſſe ſit, ut cauſæ conjunctim concurrant. *ibid.*

Et an per formalem Proceſſum verificari debeant. *pag. ead.* §. *Nec obſtare*.

Vel ſufficiat diuturnitas temporis ad præſumendum, adhibitas fuiſſe omnes ſollemnitates, & cauſas neceſſarias concurrere. *ibid.*

Diſpenſatio ab irregularitate ex homicidio caſuali, & involuntario concedi facilè ſolet. *pag.* 63. §. *Ubi*, & *pag.* 258. §. *Hinc*.

Et ab ea Sacra Congregatio ſæpe diſpenſavit. *pag.* 64. §. *Quare*.

Sequus verò ex homicidio voluntatio. *ibid.*

Præſertim dum res ſit de promovendo. *ibid.*

Ex vitio corporis quando concedatur, Vid. *Irregulares*, *Miſſæ celebratio*.

Ab impedimentis Matrimonii. Vid. *Affinitas*, *Publica honeſtas*.

A Dataria facile conceditur, quando agitur de paſſivè vocato. *pag.* 129. §. *Diſpenſatio*.

Item a Sac. Congregatione, quoad Beneficia. *ibid.*

Diſſolutio Matrimonii rati, & non conſummati. Vid. *Matrimonium*.

Diſtributiones quotidianæ inter præſentes tantùm, & intereſſentes dividi debent. *p.* 86. §. *Ita*, & *pag.* 87. §. *Uſum*, & *ſeq.*

Amittuntur etiam tempore vacationis ab abſentibus. *pag.* 269. §. *Advertendum*.

Nec ulla Epiſcopo, aut Capitulo facultas competit eas remittendi abſentibus. *pag.* 87. §. *Ad tramites*.

Non obſtante contraria conſuetudine. *ibid.*

Item præſentibus tantùm accreſcunt diſtributiones ab abſentibus amiſſæ. *pag. ead.* §. *Indubii*.

Diſtributiones verò extraordinariæ, & impropriæ debentur Fabricæ Eccleſiæ, aut alteri Loco Pio. *pag.* 88. §. *Equidem*, & *ſeq.*

Diſtributionum nomine non veniunt emolumenta Anniverſariorum. *pag.* 109. §. *Neque*.

Documenta expiſcata rejiciuntur. *pag.* 14. §. *Plura*.

E

Eccleſiæ bona alienari non poſſunt ſine juſta cauſa, & debita ſollemnitate. *pagin.* 41. §. *Alienatio*.

Nomine autem alienationis quid intelligatur. *ibid.*

in Eccleſia Dei habitus, eſt præcipuum dignioritatis ſignum. *pag.* 21. §. *Tota*.

Eccleſiæ Cathedralis reſtauratio. Vid. *Reparatio*.

Parochialis reædificatio. Vid. *Reparatio*.

de Eccleſiaſticis, qui turpiter vivunt quid Con-

Concilium Tridentinum disponat. *pag.* 32. §. *Concilium*, & *seq.*

Quid Sacra Congregatio hac super re sentierit. *pag. eod.* §. *Circa*.

Electio Abbatissarum. Vid. *Abbatissæ*.

Emolumenta funeris juxta consuetudinem sunt persolvenda. *pag.* 58. §. *Hinc ad* II.

Anniversariorum, Processionum, & similium debentur tantummodò actu interessentibus. *pag.* 109. §. *Contra*.

Emphyteusis differt a locatione. *pag.* 233. §. *Quo verò*.

In emphyteusi, modica rependi debet pensio, seu Canon, in locatione verò pensio respondere debet fructibus. *ibid.*

Id tamen non est de essentia emphyteusis. *ibid.*

In emphyteusi etiam Ecclesiastica ex aliquorum sententia pensio respondere debet fructibus. *ibid.*

Tunc enim solùm emphyteusis pro minimo Canone constitui potest, quando res sterilis, vel boschiva, vel ruinosa traditur. *ibid.*

Episcopi proprius, ac privativus est titulus *Ordinarii*. *pag.* 94. §. *Ad* XVI.

Non tamen titulus *Judicis Ordinarii*. *ibid.*

Hic enim titulus convenire potest etiam Abbatibus. *ibid.*

Episcopus quoad Confessarios Monialium. Vid. *Confessarii*.

Quoad Administratores bonorum Monialium. Vid. *Administratores*.

Quoad electiones Abbatissarum. Vid. *Abbatissæ*.

Quoad Virgines ad Regularem habitum, & Professionem admittendas. Vid. *Virgines*.

Quoad Conventus parvos. Vid. *Conventus parvi*.

Quoad dies festos. Vid. *Dies festi*.

Quoad approbationem Parochorum Regularium. Vid. *Regulares*.

Visitare potest quascumque Ecclesias Curatas, & Parochos omnes quoad ea, quæ ad Curam Animarum pertinent. *pag.* 94. §. *Ad* XXII., & *seq.*

Dum visitat potest ad aliquod Castrum vocare Clericos, & Laicos aliorum Locorum, ad quæ commodè accedere nequit. *pag.* 167. §. *Verum*.

Eidemque debetur Procuratio. *ibid.*, & *pag.* 168. §. *Plura*.

Non tamen si per alium visitationem expleat. *pag.* 169. §. *Hanc*, & *seq.*

Est in optione eorum, qui visitantur victualia, vel pecuniam eidem subministrare. *pag.* 168. §. *Plura*, & *pag.* 169. §. *Illud*.

Nec plures Procurationes a pluribus locis una die visitatis potest percipere. *pag.* 170. §. *Cautum*.

Ad præstationem Procurationis non solum tenentur ii, ad quorum loca Episcopus personaliter accedit, sed etiam ii, qui in aliquem locum ab Episcopo vocantur. *pag.* 167. §. *Verum*.

In erectione Beneficiorum semper censetur inclusus, quoties expressè non reperiatur exclusus. *pag.* 46. §. *Clarius*.

Ejusque auctoritati nullum infertur præjudicium ex iis, quæ ob Sacrorum Canonum imperitiam gesta sunt. *ibid.*

Erectio Beneficii. Vid. *Beneficium*.

Demandata ad instar aliorum Beneficiorum, ita intelligi debet, ut Beneficium erigendum aliorum Beneficiorum naturam, & qualitates habeat. *ibid.*

Novæ Parochialis quibus de causis fieri debeat. *pag.* 73. §. *His in facto*.

Sufficit si causæ distinctim concurrant. *ibid.*

Nec formalis Processus requiritur ad illas verificandas. *pag. eod.* §. *Nec obstari*.

Et ex lapsu temporis præsumitur intercessisse causas, & adhibitas sollemnitates. *ibid.*

Parochiæ noviter erectæ debentur decimæ, quæ a Matrice Ecclesia prius percipiebantur, *pag.* 74. §. *Ex his*.

Præsertim si justa fuerit dismembrationis causa. *ibid.*

Erectio novi Canonicatus. Vid. *Canonicatus*.

Error. Quæ per communem errorem fiunt, valida in jure censentur. *pag.* 54. §. *Clarissima*.

Idque procedit non solum quoad Ordinarios, sed etiam quoad Delegatos. *ibid.*

Et locum quoque habet in rebus spiritualibus, dummodo juri Divino non repugnent. *pag.* 55. §. *Idem quoque*.

Hic validum est matrimonium coram Parocho putativo contractum. *ibid.*

Examen. In peragendo examine qualis methodus servari debeat. *pag.* 16. §. *Sacra*, & *seq.*

Necesse non est, ut omnibus idem temporis spatium constituatur. *pag.* 17. §. *Inquirendum*.

Quando, & coram quo novum examen Sacra Congregatio fieri demandavit. *pag. eod.* §. *Observat*.

Examinatorum Synodalium electio. *pag.* 272. §. *Jussit*.

Eorum numerus. *pag. eod.* §. *Sex itaque*.

Qualitates. *pag. eod.* §. *Quod verò*.

Eorum officium quandiu duret. *pag. eod.* §. *Officium*.

Ubi sex Examinatores supersint, nequeunt alii extra Synodum eligi. *pag.* 271. §. *Contra*.

Si vero non supersint, vel celebranda est Synodus, vel petenda est a S. Congegatione facultas illos eligendi. *pag.* 273. §. *Verum*.

Electio autem committitur Episcopis de consensu Capituli. *pag. eod.* §. *Horum*.

Ca-

Capitulo injuſte denegante conſenſum, habentur pro approbatis. *ibid.*

Pendente hoc ſuper diſſenſu Capituli, Epiſcopus petere poteſt a S. Congregatione, ut interim ſuppleat conſenſum. *pag. ead. §. Ne tamen.*

Expenſæ litis ſuſceptæ ab Adminiſtratoribus hæreditatis pro adimplenda Teſtatoris voluntate, ſubeundæ non ſunt ab ipſis Adminiſtratoribus. *pag.* 175. *§. verò.*

Pro tuendis juribus Fideicommiſſi, detrahendæ ſunt ab ipſo Fideicommiſſo. *ibid.*

Item dum agitur de tuendo jure activo Patronatus. *ibid.*

Quia Patronatus eodem jure, & modo cenſetur ac fideicommiſſum. *ibid.*

Præterea ex reditibus Eccleſiæ, vel Loci, aut operis pii detrahi debent, ſi in illorum commodum, & utilitatem cedat, *pag.* 180. *§. Nonnulla.*

Si ſecus, perſolvi debent propriis litigantium ſumptibus. *pag. ead. §. Si verò.*

F

FAbricæ reditus nunquam cenſentur comprehenſi in unione, aut qualibet bonorum Eccleſiæ diſpoſitione, niſi de illis ſpecialis, & individua mentio fiat. *pag.* 121. *§. Negat.*

Reditus hujuſmodi diverſæ ſunt qualitatis, & diſtinctè debent adminiſtrari. *ibid.*

Ac de illis ratio reddi debet Epiſcopo ſingulis annis. *ibid.*

Eorumque cura ad Epiſcopum potiſſimum pertinet. *ibid.*

Ex his primariò deducenda eſt Eccleſiarum manutentio, ſeu reparatio. *pag.* 123. *§. De Eccleſiis.*

Facultas aſſiſtendi matrimoniis continetur in generali delegatione ad exercitium Parochiæ. *pag.* 53. *§. Demum.*

Fallentiæex juris diſpoſitione accreſcunt tantum inſervientibus. *pag.* 109. *§. Contra.*

Fideicommiſſum, & Patronatus æquiparantur. *pag.* 175. *§. Quo verò.*

Filii impuberes ſepeliri debent in Sepulchro Majorum. *pag.* 58. *§. Quæſtio.*

Si illud non adſit in Parochiali. *ibid.*

Nec pro his licet Parentibus alibi ſepulturam eligere, niſi adſit regionis conſuetudo. *pag. ead. §. Cohæret.*

Idque pluries declaravit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium. *pag.* 59. *§. His, & Inſuper, & ſeqq.*

Et Sacra Rituum Congregatio. *pag.* 60. *§. Hinc.*

Nec non Sacra Congregatio Concilii. *pag. ead. §. Non diſſimilis, & ſeq.*

Non obſtat Rituale Romanum præſcribens in Eccleſiis Parochialibus ſeparatum Sepulchrum pro Infantibus. *pag. ead. §. Perpendi.*

Quia non præcipit, ſed hortatur. *ibid.*

Forma, & materia a Chriſto Domino præſcripta applicari debet, ut Baptiſmus ritè conferatur. *pag.* 8. *§. Norunt.*

Forma in concurſibus ſervanda, quæ ſit. *p.* 10. *§. Et primi, & ſeq.*

G

GRanciæ Regularium, quando ſubiiciantur viſitationi Epiſcopi. Vid. *Conventus parvi.*

H

HAbitus in Eccleſia Dei præcipuum eſt dignioritatis ſignum. *pag.* 21. *§. Tota.*

Clericalis ſi dimittatur a Clericis, eiſdem præpedita eſt retentio Beneficiorum, non autem aſſequutio, *pag.* 179. *§. Præter, & ſeq.*

Et per hanc dimiſſionem ſuſpenditur tantum privilegium clericale, non vero amittitur. *pag.* 174. *§. Immeritò.*

Nec aliter diſpoſitum fuit a Concilio Tridentino, aut a Pontifice Sixto V. *ibid.*

Hæredes ultra conſuetum funus prægravari non debent. *pag.* 57. *§. Quo vero.*

Homicidium patratum ad ferendam ſibi, ſuiſque Parentibus opem, nullam inducit irregularitatem. *pag.* 258. *§. Hinc.*

Idque declaravit Pontifex Clemens V. *pag. ead. §. Homicidium.*

Et aſſignatur cauſa. *ibid.*

Quando cenſeatur patratum ad neceſſariam ſui defenſionem. *pag. ead. §. Quando.*

Verum neceſſaria quoque defenſio certis limitibus contineri debet. *pag.* 259. *§. Verum.*

Caſuale quibus ex circumſtantiis dignoſcatur. *pag. ead. §. Cohæret.*

Honeſtatis publicæ impedimentum contrahitur ex matrimonio rato, & non conſummato. *pag.* 148. *§. Alii verò, & ſeq.*

Hujuſmodi impedimentum protrahitur ad omnes gradus, ad quos ante Concilium protrahebatur. *pag. ead. §. Quidquid.*

Summus Pontifex ſuper eo diſpenſare valet. *pag. ead. §. De poteſtate.*

Et de facto aliquando diſpenſavit. *p.* 149. *§. Non deſunt.*

S. Congregatio non adeo facilem ſe præbuit in hiſce diſpenſationibus concedendis. *pag. ead. §. In hujuſmodi.*

Ac nonniſi ex urgentibus cauſis concedi ſolet. *pag. ead. §. Verum.*

Honorarii tituli nihil detrahunt juribus Epiſcoporum. *pag.* 93. *§. Ad IX.*

Regulâ tamen exceptionem patitur. *ibid.*

I

Impedimentum affinitatis. Vid. *Affinitas*.
Publicæ honestatis. Vid. *Honestas publica*.

Matrimonii antequam contrahatur, unico etiam Teste probatur, *pag.* 143. §. *Quæ autem*.

Quæ in hoc Teste qualitates necessario requirantur. *pag. ead.* §. *Ut tamen*.

Incisio Arborum, quæ nocivæ sunt, permitti potest, etiamsi præceptum Testatoris obstaret. *pag.* 40. §. *Inquit*, & *pag.* 41. §. *Vulgatum*.

Quid Sacra Congregatio hac de re senserit, *ibid.*, & *seq.*

Incompatibilitas Capellaniæ desumitur ex legè fundationis, vel ex oneribus inter se non compatibilibus. *pag.* 239. §. *Incompatibilitas*, & *seq.*

Infantes quoad Sepulchrum, Vid. *Filii Impuberes*, *Sepulchrum*.

Intentio Baptizantis requiritur ad validitatem Baptismi. *pag.* 8. §. *Norunt*.

In Adultis requiritur etiam intentio, & voluntas suscipientis. *ibid.*

Quæ autem intentio requiratur, *pag.* 10. §. *Expendendum*.

Interdicto, quando de jure supponatur Capella. *pag.* 140. §. *Inquit*.

Intratura in Emphyteusi solvenda Vid. *Emphyteusis*. *Laudemium*.

Irregularitas ex homicidio casuali, & involuntario contracta, dispensari facili solet. *pag.* 63. §. *Ubi*, & *pag.* 258. §. *Hinc*.

Et ab ea sæpe dispensavit Sacra Congregatio. *pag.* 64. §. *Quare*.

Quæ observari debeant in concedenda hujusmodi dispensatione. *pag. ead.* §. *Ne autem*.

Sequus tamen ex homicidio voluntario. *pag. ead.* §. *Quare*.

Præsertim dum res est de promovendo, *ibid.* & *pag.* 259. §. *Notandum*.

Irregulares evadunt corpore vitiati, aut aliqua parte propria voluntate, & culpa mutilati. *pag.* 188. §. *Ea hactenus*.

Si vero vitium, vel mutilatio casu contigerit, aut necessitate, tunc irregularis quis evadit in casu tantum, quo aut ineptus sit ad exercitium Ordinum, aut adeo deformis, ut sine Populi scandalo sacra ministeria exercere nequeat, *ibid.*

Afferuntur varia quoad hoc dispensationum exempla. *pag.* 190. §. *Denique*, & *seq.*

Jubilationis Indultum nullum in jure fundamentum habet. *pag.* 148. §. *Contra*, & *pag.* 185. §. *Nullum*.

Innititur tantum quadam æquitate, & indulgentia ex communi praxi a Sac. Congregatione servata. *pag.* 184. §. *Inquit*.

Hujus indulgentiæ ratio allegatur. *pag.* 225. §. *Nihil*.

Cui favet tum lex Mosayca, tum jus civile. *pag.* 184. §. *Inquit*.

Non conceditur nisi post continuum, & laudabile servitium 40. annorum. *ibid.*

Concilium Tridentinum abrogans statutum quodlibet, aut consuetudinem absentendi quolibet anno ab Ecclesiis ultra tres menses, non abrogavit Constitutiones Ecclesiarum jubilationem post annos 40. concedentes. *pag.* 185. §. *Hinc*;

Contrarium tamen aliis videtur. *ibid.*

Sed Gregorius XIII. hujusmodi statutum, seu constitutiones in cæbus particularibus tollerandas esse mandavit. *pag. ead.* §. *Verum*.

Deficiente qualitate continui, & laudabilis servitii, jubilatio denegatur. *pag.* 186. §. *Verum*.

Immo etiamsi concessa prius fuisset, nihilominus postea fuit abrogata. *ibid.*

Antequam concedatur Indultum auferi solet Capitulum, & si injuste assensum deneget, vel illum sub certis injustis conditionibus præbeat, jubilatio conceditur, *pag. ead.* §. *Licet*,

Conditiones a Capitulis additas, dum jubilationi consenserunt quandoque Sac. Congregatio rejiciendas, quandoque etiam servari mandavit, *pag.* 226. §. *Conditiones*. Vid. etiam *Canonicus Jubilatus*.

Caveri tamen solet, ne per hujusmodi Indultum Ecclesiæ, & divino cultui detrimentum inferatur. *pag.* 186. §. *Id tamen*.

Et ideo arbitrio Episcopi concedi consuevit, & aliquando cum expressa facultate eidem tributa revocandi, si opus fuerit, Jubilatum ad servitium. *ibid.*

An vero indulgenda jubilatio sit non obstante parvo numero inservientium Ecclesiæ, & quis sit parvus inservientium numerus, Sacra Congregatio generatim noluit definire. *pag. ead.* §. *Sub iisdem*.

Juramentum septimæ manus propinquorum ex parte viri in causis matrimonialibus non est de formâ judicii, sed aliunde suppleri potest. *pag.* 81. §. *Nec obstare*, & *pag.* 84. §. *Observant*.

Contrarium tamen procedit, quando utrique conjuges matrimonii consummationem impugnant. *pag.* 83. §. *Minime*.

Jus quæsitum non aquiritur, neque desumitur ex aliorum observantia mere facultativa. *pag.* 136. §. *Ad X*.

Justam, & necessariam causam commutationis voluntatis præbet bonum publicum, & privatum, nec non Divini cultus augmentum. *pag.* 46. §. *Ad alteram*.

L

LAudemium quid sit? *pag.* 331. §. *Ex justis*.

Unde dicatur. *ibid.*

Ejus loco solvuntur Quindennia ab Ecclesiis, & Locis piis. *pag.* 232. §. *Aliquando*.

Persolvitur a novo Emphyteuta Domino directo, & quare? *pag. ead.* §. *Concors*.

Inter fructus civiles accensetur. *pag. ead.* §. *Laudemia*.

Et si fermo sit de præbenda Canonicali, numeratur inter fructus, & emolumenta Canonicalia, quæ inter Canonicos dividuntur. *ibid.*

Nec debentur Canonico eo adjutori, sed coadjuto. *ibid.*

Ejus quantitas, spectato jure communi, non potest excedere quinquagesimam partem pretii, quo bona emphyteutica æstimata sunt. *pag.* 233. §. *Laudemii*.

Valor autem considerari debet de tempore translationis, seu novæ Emphyteusis. *ibid.*

Inspecta verò consuetudine, varia est Laudemii quantitas. *ibid.*

Hinc Laudemium variis nominibus appellari solet. *ibid.*

Prohibetur si Ecclesiis, piisque locis præjudium inferat, vel annui Canonis quantitas imminuatur. *pag.* 234. §. *Præter*.

Legatum pro celebratione Missarum cuilibet alteri pio legato præferri debet. *pag.* 16. §. *Demum*.

Legis vim habent decreta Sac. Congregationis. *pag.* 108. *Addit*.

Contra legem expressam requiritur consuetudo in contradictorio judicio probata. *ibid.*

Litis præservatio adjecta in litteris Apostolicis impedit illarum exequutionem. *pag.* 14. §. *Ad II. dubium*.

Litis expensæ Vid. *Expensæ, Sumptus*.

Litteræ Apostolicæ præferentes clausulam litis præservativam, exequi non possunt. *ibid.*

Locatio in quo differat ab emphyteusi. *pag.* 234. §. *Quo vero*.

Locationum instrumenta probationem constituunt ad eruendos bonorum reditus. *pag.* 24. §. *Addit*.

M

MAnsionaria verè Beneficium Ecclesiasticum est. *pag.* 46. §. *Plura*.

Et quod Beneficii Ecclesiastici a Testatore demandata fuerit erectio, ex pluribus conjecturis deprehenditur. *pag.* 278. §. *Ex aliis*.

In dubio ex injuncta illius perpetuitate dignoscitur. *pag.* 46. §. *Advertit*.

Et si volita fuerit erectio ad instar aliorum Beneficiorum, debet esse ejusdem qualitatis, & naturæ, ac alia Beneficia *pag. ead.* §. *Clarius*.

Mansionarii munus est divina Officia, & Missas canere. *pag.* 277. §. *Hujusmodi*.

Veri Beneficiati dicuntur, & Ecclesiasticum Beneficium obtinent. *ibid.*

Materia, & forma a Christo Domino præscripta applicari debet, ut Baptismus rite conferatur. *pag.* 8. §. *Norunt*.

Matrimonium rite contrahitur coram Sacerdote, qui quamvis non sit verus contrahentium Parochus, nihilominus ex communi opinione talis reputatur. *pag.* 51. §. *Et ad primum*.

Etiamsi talis opinio sit erronea. *ibid.*

Præsertim si comprobetur depositione Testium, qui Parochiani sint. *pag. ead.* §. *Nec dubitare*.

Et licet Parochus putativus titulo colorato careret, vel esset intrusus. *ibid.*

Quia in isto casu lex ipsa ad gravia incommoda evitanda defectum supplet potestatis. *ibid.*

Quamvis contrahentes scirent eum non esse Parochum, dummodo tamen veluti Parochus communi opinione habeatur. *pag.* 53. §. *Sed etiamsi*.

Si consummatum non fuerit, liberum erit Conjugibus Religionem ingredi. *pag.* 80. §. *Ad facilitorem*.

Et conceditur Conjugibus spatium duorum Mensium. *pag.* 84. §. *Quod autem*.

Hoc temporis spatium nonnulli computandum censent a die contracti Matrimonii. *ibid.*

Ex communi tamen sententia computari debet a die præfixionis termini a Judice factæ. *ibid. & seq.*

Sepositio probationum rigore, sufficit utriusque Conjugis depositio, ad probandum sequutam non fuisse consummationem. *pag.* 80. §. *Ad faciliorem*.

Ac proinde maximè deferendum est juratæ, sæpiusque repetitæ illorum confessioni. *pag. ead.* §. *In eum*.

Præsertim si aliis adminiculis fuerit roborata. *ibid.*

Exponuntur hujusmodi adminicula. *ibid.*

Majus etiam robur accipiunt, si accedat juramentum septimæ manus propinquorum. *pag.* 82. §. *Duo*.

Corporis inspectio probationem hac in re omnium firmissimam constituit. *pag.* 80. §. *Accedere*.

Et Peritorum judicium pro veritate haberi debet. *pag.* 81. §. *Præter hæc*.

Consummatio præsumitur ex sola cohabitatione, & condormitione viri juvenis cum Uxore juvene. *pag.* 32. §. *Contra*.

Adversus hanc præsumptionem nonnisi plenissimæ, & concludentes probationes admittendæ sunt. *ibid.*

Perfici poteſt, abſque ulla ſenſibili virginalis claustri læſione. *pag. cad. §. Plura.*

Diſſolutio ex capite impotentiæ utiliter poſtulari poteſt, non obſtante quocumque temporis lapſu. *pag. cad. §. Tandem.*

Matrimonii impedimenta Affinitatis, & publicæ honeſtatis. Vid. *Affinitas. Honeſtas Publica.*

Nondum contracti impedimentum unico etiam Teſte probari poteſt - *pag.* 143. *§. Quæ autem.*

Qualitates in hoc Teſte requiſitæ. *pag. cad. §. Ut tamen.*

Matrimoniales cauſæ Epiſcopi examini, & juriſdictioni relictæ ſunt. *pag.* 94. *§. Ad XV.*

Poſſunt etiam ad alium Superiorem Eccleſiaſticum ſpectare, ſi conſtet de immemorabili. *ibid.*

Mediæ Annatæ inſtitutæ ſunt, ut conſulatur reſtaurationi Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum. *pag.* 124. *§. Verum.*

Nec ideo tamen eximuntur Epiſcopi ab onere manutenendi, & reſtaurandi Eccleſias Cathedrales. *pag. cad. §. Nolunt.*

Metus quid ſit. *pag.* 265. *§. Metus.*

Inductus a contumeliis, verberibus, & minis ab eo illatis, cui obſequium, & reverentia debetur, gravis cenſetur non ſolum quoad teneras puellas, ſed etiam quoad viros fortiſſimos. *pag.* 263. *§. Conſtare.*

Ideoque ſufficiens eſt ad irritandam profeſſionem. *pag. cad. §. Hiſce.*

An, & quando metus gravis, vel levis dici debeat, relinquitur Judicis arbitrio. *pag.* 266. *§. Arbitrio.*

In fœmina ob ſexus imbecillitatem facilius, quam in maſculo gravis metus præſumitur. *ibid.*

Ad conſtituendum gravem metum, quid requiratur. *ibid.*

Miſſa præſente corpore defuncti celebrari debet, antequam illud Sepulturæ tradatur. *pag.* 156. *§. In Rituali.*

Hujuſmodi ritus antiquiſſimus eſt. *ibid.*

Ac tanti olim fuit habitus, ut bis eadie Sacrum facere liceret. *pag.* 157. *§. Hic autem.*

Quid hac ſuper re ſenſerit S. M. Benedictus XIV. *pag. cad §. Huic.*

Hinc liquet ritum illum ſervandum eſſe, non obſtante contraria conſuetudine. *pag. cad. §. Hæc ſanè.*

Cæterum ille non eſt de præcepto. *pag.* 158. *§. Cæterum.*

Pro Populo applicari debet a Parochis ſingulis Dominicis, & feſtis diebus. *pag.* 158. *§. Quæ hactenus.*

Excipiuntur Parochi inopes, qui fere ex eleemoſynis Miſſarum vivunt. *pag.* 159. *§. Verùm.*

Quid de iis, qui Canonici ſimul ſunt, & Parochi. *pag. cad. §. Quo verò.*

An anticipari poſſit, vel differri ad diem ſequentem, ut Miſſa celebretur præſente cadavere. *pag. cad. §. Cæterum.*

Conventualis quotidie pro Benefactoribus applicari debet. *pag.* 181. *§. Sacra.*

Si tamen præbendæ ſint tenues ſupplicandum erit Sac. Congregationi pro reductione. *pag. cad. §. Ad occurrendum.*

Quam quidem reductionem juxta rerum circumſtantias aliquando Sac Congregatio conceſſit, aliquando etiam denegavit. *pag. cad. §. Sæpius.*

Ab ejus celebratione eximitur Canonicus jubilatus. *pag.* 224. *§. Irrationabiles*, & *pag.* 225. *§. Quid verò.*

Miſſæ celebratio cuilibet alii pio operi præferri debet. *pag.* 36. *§. Demùm.*

Conceſſa fuit cuidam Sacerdoti, cui ob morbum manus erat impedita. *pag.* 190. *§. Denique.*

Item alteri Sacerdoti, qui dexteri brachii flexibilitatem amiſerat, ut non poſſet Sacram hoſtiam, & calicem ori admovere, niſi ope brachii, & manus ſiniſtræ. *ibid.*

Nec deſunt qui velint concedi etiam poſſe Sacerdoti utraque manu carenti, itaut per manum alterius Sacerdotis hoſtiam elevet, frangat, & ſumat. *pag. cad. §. Denique.*

In Miſſa ritus elevandi ſacram hoſtiam, & calicem poſt conſecrationem eſt antiquiſſimus. *pag.* 183. *§. Cum itaque.*

Hujus ritus origo quæ ſit? *pag.* 189. *§. Graviſſimæ.*

Varia ejuſdem ritus apud nonnullas Eccleſias obſervantia. *pag. cad. §. Non una.*

Ad illius eſſentiam non requiritur elevatio utraque manu facta. *pag. cad. §. Elevationem.*

Miſſarum eleemoſyna, dum reductio conceditur, aliquando præfinitur ad rationem taxæ perpetuæ, plerumque tamen ad manualem. *pag.* 156. *§. Quando*, & *pag.* 256. *§. De Miſſarum.*

Moniales quoad Confeſſarios. Vid. *Confeſſarii.*

Quoad adminiſtrationem bonorum. Vid. *Adminiſtratores.*

N

Neceſſariam, & juſtam commutationis cauſam præbet bonum publicum, & privatum, nec non divini cultus augumentum. *pag.* 46. *§. Ad alteram.*

Negligentia Prædeceſſorum ex remiſſione proprii juris nequit officere Succeſſoribus. *pag.* 108. *§. Nihil.*

Nominatione ſemel facta, nec ab ea recedere, nec illam variare amplius licet. *p.* 68. *§. Ex alia.*

O

OBſervantia antiqua in beneficialibus ſuppletvices fundationis, ejuſque loco habetur. *pag.* 104. §. *Addit*.

Mere facultativa nullum aliis tribuit jus. *pag.* 36. *Ad. X.*

Obſtetrices decipi poſſunt in explenda corporis recognitione. *pag.* 81. §. *Licet pag.* 84. §. *Super*.

Non tamen ſi omnes adhibitæ fuerint diligentiæ, & omnia experimenta, præſertim Balnea aquæ calidæ *ibid*.

Onus reſidentiæ Capellaniis ſimplicibus non cenſetur ineſſe, niſi Fundator eam expreſsè demandaverit. *pag.* 23. §. *Duo potiſſimum*.

Onera coærceri debent juxta proportionatam emolumenti quantitatem. *pag.* 24. §. *Deindè*.

Eorum reductio. Vid. *Reductio*.

Quando dicantur taxativè, vel demonſtrativè injuncta. *pag.* 155. §. *Communiter*.

Opinio communis ſemper verificatur, quoties major pars aliquid exiſtimando conveniat. *pag.* 53. §. *Sed etiamſi*.

Optio Præbendarum quid ſit? *pag.* 195. §. *Optio*.

In optione diſtinguitur jus præbendæ, quatenus pro titulo Beneficii ſumitur, & jus percipiendi fructus ex ea provenientes. *ibid.*

Quando neceſſario ſecumferat etiam optionem, ac mutationem tituli. *pag. ead.* §. *Quoties*.

Vel quando ſolam temporalitatem Præbendæ abſque ulla tituli mutatione. *ibid.*

In hoc ſecundo caſu Canonicus ſenior optans novam Præbendam non amittit digniorem locum in choro, quem retinet ratione ſuæ antianitatis. *ibid.*

Præſertim ſi ſub hac conditione poſſeſſionem novæ Præbendæ, & inſtallationem, annuente tum Epiſcopo, tum Capitulo fuerit aſſequutus. *pag.* 46. §. *Clarius*.

Ordinarius in erectione Beneficiorum ſemper cenſetur incluſus, quoties expreſsè non reperiatur excluſus. *pag.* 46. §. *Clarius*.

P

PArentes quoad electionem Sepulturæ Filiorum Impuberum. Vid. *Filii impuberes*. *Sepulchrum*.

Parochus. Ad removendum Parochum apud ſuum gregem diffamatum, an requiratur trina monitio, *pag.* 31. §. *Ex parte*. & *pag.* 33. §. *Trinam*.

De iis, qui turpiter vivant quid diſponat Concilium Tridentinum. *pag.* 32. §. *Concilium*.

Quid hac ſuper re Sacra Congregatio ſenſerit, *pag. ead.* §. *Circa*.

Quoad validitatem matrimonii. Vid. *Matrimonium*.

Regularis nequit curam animarum exercere ſine approbatione Epiſcopi. *pag.* 93. §. *Ad XXI.*

Et ſubeſt illius juriſdictioni, ab eoque viſitari poteſt. *pag.* 95. §. *Et revera*, & *ſeq.*

Quoad Miſſam pro Populo. Vid. *Miſſa*.

Quoad Miſſam de requiem præſente Cadavere. Vid. *Miſſa*.

Parochia noviter erecta fundatam in jure habet actionem ſuper decimis, licet prius ab Eccleſia matrice perciperentur. *pag.* 74. §. *Ex his*.

Quando erectio fieri debeat. *pag.* 73. §. *His in facto*. Vid. etiam: *Erectio novæ Parochiæ*.

Si collapſa fuerit, quorum ſumptibus refici debeat. *pag.* 74. §. *Ex his*.

Conſuetudo in primis eſt hac in re attendenda. *pag.* 75. §. *Quum*.

Parochialis Eccleſiæ Rectori dos eſt aſſignanda. *pag.* 74. §. *Ex his*.

Pars minor reprobare nequit quidquid a majori parte fuit reſolutum. *pag.* 68. §. *Ex alia*.

Paſſive vocati ad Capellanias facile obtinent diſpenſationem a Dataria Apoſtolica. *pag.* 119. §. *Diſpenſatio*.

Et etiam a Sac. Congregatione quoad Beneficia *ibid.*

Patronatus eodem jure, & modo cenſetur ac Fideicommiſſum. *pag.* 175. §. *Quo verò*.

Inter bona hæreditatis numeratur. *p. ead.* §. *Advertunt*.

Peritorum judicium in recognitione corporis alicujus Virginis pro ipſa veritate haberi debet. *pag.* 81. §. *Demum*.

Nec requiritur ut Periti omni certitudine phyſica deponant, ſed ſatis eſt ſi probabiliter tantum, & rationabiliter teſtentur. *pag. ead.* §. *Licet*.

Pluralitas Beneficiorum. Vid. *Beneficiorum pluralitas*.

Pontificalia exercere poſſunt Abbates ad formam tantum Decreti S. M. Alexandri VII. *pag.* 95. §. *Ad XXIII.*

Poſſeſſio capta pendente appellatione nulla eſt, atque attentata. *pag.* 31. §. *Hinc*.

Item pendente recurſu. *pag.* 14. §. *Ad II. dubium*.

Præſertim ſi in Litteris Apoſtolicis adjecta fuerit clauſula litis præſervativa. *ibid.*

Quia hæc clauſula impedit earumdem litterarum exequutionem, quouſque lis pendeat. *ibid.*

Prædeceſſorum negligentia ex remiſſione proprii juris, nequit officere Succeſſoribus. *pag.* 108. §. *Nihil*, & *pag.* 132. §. *Contendunt*.

Præscriptio paucis actibus non inducitur. *pag.* 151. §. *Negat*.

Maximè si actus precario tantum nomine gesti fuerint. *ibid.*

Præbenda distincta est a Canonia, cui stallum dicitur adnexum. *pag.* 195. §. *Addit*.

Hinc mutata per optionem Præbenda, Canonicus non cogitur dimittere antiquum stallum, quem ratione suæ antianitatis habebat. *ibid.*

Presbyter de Jure præferendus est simplici Clerico. *pag.* 68. §. *Ex his*.

Non tamen in Capellaniis manualibus. *pag.* 69. §. *Nec*.

Præsentatio actualis Sacerdotis quando demandata censeatur. Vid. *Beneficium*.

Privatio Beneficii inter graviores pœnas recensetur. *pag.* 30. §. *Et primò*.

Nec infligitur nisi concludentes afferantur delicti probationes. *pag.* 31. §. *Eadem*.

Et Testes ad illud probandum inducti debent esse omni exceptione majores. *ibid.*

Immò ad infligendam Parocho privationis pœnam, constare debet de inhonesta consuetudine obdurato corde protracta. *ibid.*

Ac proindè tria concurrere debent, nempè gravitas causæ, nec non causa plenè probata, & quod pœna infligatur intra formam a legibus Ecclesiasticis præscriptam. *ibid.*

Præcedere idcircò debet trina monitio. *pag. ead.* §. *Patet*.

Alias privationis sententia nulla, & injusta erit. *ibid.*

Etiamsi ageretur de incontinentia qualificata cum Adulterio. *ibid.*

Et crimina plenè justificata probarentur. *ibid.*

Cum prætermissa monitione verificari non possit incorregibilitas, & contumacia ad privationem necessariò probanda. *ibid.*

Huic pœnæ locus esse nequit, nisi in casibus a jure expressis. *pag. ead.* §. *Plura*.

Privilegium Clericale per dimissionem habitus Clericalis suspenditur tantùm, non amittitur. *pag.* 174. §. *Immerito*.

Neque per militiam, dummodò sæva non exercuerit, aut cum hoste non pugnaverit. *pag. ead.* §. *Fatentur*.

Recuperatur, si a mercatura Clericus recedat. *ibid.*

Privilegia particularia nihil detrahant juribus Episcoporum. *pag.* 93. §. *Ad* IX.

Excipiuntur tamen aliqui casus. *ibid.*

Probatio coactionis alicui factæ melior haberi non potest, quam depositione illius, qui coegit. *pag.* 263. §. *Hisce*.

Admittuntur etiam Testes de auditu, vel singulares, atque etiam inhabiles, quando veritas aliundè erui non possit. *ibid.*

Factorum domesticorum ritè petitur a Domesticis, & conjunctis. *ibid.*

Probationes gravissimæ, & indubiæ requiruntur, quando crimen est gravissimum. *pag.* 175. §. *Nec attendendum*, & *pag.* 180. §. *Denique*.

Admittuntur etiam Leviores dum agitur de validitate matrimonii ad effectum tantùm vel legitimandi prolem, vel vindicandi contrahentium honorem. *pag.* 54. §. *Hisce omnibus*.

Processionibus publicis interesse debent omnes exempti tam Sæculares, quam Regulares, & etiam Monachi. *pag.* 93. §. *De supplicationibus*.

Et inhobedientes compelli possunt Censuris, & pœnis Ecclesiasticis. *pag. ead.* §. *Et sacra*.

Excipiuntur Regulares in strictiori clausura perpetuò viventes. *pag. ead.* §. *De supplicationibus*.

Publicæ autem sunt, quæ indicuntur pro bono publico, vel publico honore. *pag.* 94. §. *Verum*.

Procuratio occasione Visitationis. Vid. *Episcopus*.

Procurator in committendo nullum præjudicium valet irrogare. *pag.* 30. §. *Despicendam*.

Professio tacita quid sit? *pag.* 267. §. *Demum*.

Sublata non fuit a Concilio Tridentino. *pag. ead.* §. *Hæc autem*.

Potest habere locum etiam in eo, qui ante legitimam ætatem professus est, & nullam habuit scientiam nullitatis suæ professionis. *ibid.*

Tacitæ professionis præsumptio penitus excluditur ex actibus contrariis, iteratisque de nullitate professionis protestationibus. *pag.* 264. §. *Nec defuisse*.

Ante conciliarem ætatem emissa, irrita est. *pag.* 265. §. *Addit*, & *pag.* 266. §. *De ætate*, & *seq.*

Item quando deest intentio. *pag.* 264. §. *Verum*,

Hujusmodi est professio facta ex metu cadente in constantem virum. *pag.* 263. §. *Hisce*, & *pag.* 266. §. *Hinc*.

Metum inducunt graves minæ ab eo illatæ, cui obsequium, & reverentia debetur. *pag. ead.* §. *Constare*.

Multoque magis si minæ fuerint ad actum perductæ. *pag. ead.* §. *Hisce*.

Ad id probandum admittuntur etiam Domestici, & Conjuncti. *ibid.*

Immò etiam Testes singulares, & de auditu, atque etiam inhabiles, quando veritas aliundè haberi nequeat. *ibid.*

Præcipuè verò attenditur depositio illius, qui metum incussit. *ibid.*

Publicæ honestatis impedimentum. Vid. *Honestas publica*.

Puellæ quoad admissionem ad habitum, & professionem. Vid. *Virgines*.

Punctator a Capitulo electus, saltem Clericus esse debet. *pag.* 132. §. *Ad* IX.

Qua-

Q

QUalitas ſervitii præſtiti ad jubilationem obtinendam. Vid. *Jubilationis Indultum*.

Examinatorum Synodalium. *pag.* 272. §. *Quod verò*.

Concurrentium ſpectari debet, ut Beneficia dignioribus conferantur. *pag.* 17. §. *Quod verò*.

Fundatoris, aut Capellanorum primævice electorum, non officit naturæ Capellaniæ laicalis. *pag.* 127. §. *Hinc*.

Quindennia ſolvuntur ab Eccleſiis, & Locis piis loco Laudemiorum. *pag.* 232. §. *Aliquando*.

Ex conſuetudine tantùm, aut conventionibus invecta cenſentur. *ibid.*

Inter fructus civiles recenſentur. *pag. ead.* §. *Laudemia*.

Et ſi ſermo ſit de Præbenda Canonicali numerantur inter fructus, & emolumenta Canonicalia, quæ inter Canonicos partiuntur. *ibid.*

Eaque debentur non Canonico Coadjutori, ſed Coadjuto. *ibid.*

R

REcognitio Corporis ad dignoſcendum utrum Matrimonium fuerit conſummatum, vel non. Vid. *Corporis inſpectio. Obſtetrices. Periti. Virgines*.

Rectori Parochialis Eccleſiæ dos eſt aſſignanda. *pag.* 74. §. *Ex his*.

Reditus bonorum ritè deſumuntur ex Inſtrumentis Locationum. *pag.* 24. §. *Addit*.

Fabricæ. Vid. *Fabricæ reditus*.

Reductio onerum per contractum injunctorum concedi non debet, etiamſi reditus impares evaſerint. *pag.* 154. §. *Nec ambigi*, & *pagin.* 155. §. *Cum impar*.

Secus ſi onera injuncta ſint per actum ultimæ voluntatis. *ibid.*

Dummodò quantitas redituum *taxativè* fuerit relicta. *pag. ead.* §. *Sin verò*, & *pagin.* 245. §. *Ad obtinendam*.

Si verò *demonſtrativè* hæres ex aliis bonis ſupplere tenetur. *ibid.*

Quando *taxativè*, vel *demonſtrativè* onus cenſeatur relictum. *pag. ead.* §. *Communiter*.

Oneris Miſſarum interdum conceditur ad rationem eleemoſinæ taxæ perpetuæ, interdum vero ad rationem manualis, aliquandò etiam arbitrio Epiſcopi. *pag.* 156. §. *Quando*.

Servitii Chori ob graves cauſas conceſſa quandoque fuit per mediarias, quandoque per tertiarias. *pag.* 200. §. *At verò*.

Aliquando etiam commiſſa arbitrio Epiſcopi. *ibid.*

In Reductionibus concedendis cavit ſemper Sac. Congregatio ne è redituum diminutio culpa, & facto Ben eficiati acciderit. *pag.* 202. §. *In reductionibus*.

Cenſuit etiam alia potius onera, quam Miſſarum numerum eſſe reducendum, & quando. *pag.* 256. §. *Ubi autem*.

Regulares quoad Confeſſiones Monialium. Vid. *Confeſſarii*.

Quoad Puellas ad habitum, & Profeſſionem admittendas in Monaſteriis iiſdem ſubjectis. Vid. *Virgines*.

Quoad Conventus parvos. Vid. *Conventus parvi*.

Quoad publicas ſupplicationes. Vid. *Proceſſiones*.

Exempti tenentur obſervare dies feſtos ab Epiſcopo indictos. *pag.* 93. §. *Speciatim*.

Nequeunt a ſuis Superioribus deſtinari ad Curam Animarum, eamque exercere ſine approbatione Epiſcopi. *pag.* 94. §. *Ad* XXI.

Si eam exerceant poſſunt ab Epiſcopo viſitari, eique ſubjecti ſunt. *pag.* 95. §. *Et reverà*, & *ſeq.*

Remotio Parochi apud ſuum gregem diffamati, an fieri poſſit non præmiſſa trina monitione. *pag.* 31. §. *Ex parte*, & *pag.* 33. §. *Trinam*.

Reparatio, vel reædificatio Eccleſiæ Parochialis ab eo fieri debet, a quo fieri conſuevit. *pag.* 75. §. *Quum*.

Non tamen a Communitate, ſi pauperrima ſit, licèt adſit conſuetudo. *ibid.*

Cathedralis ſpectat ad Epiſcopum. *p.* 120. §. *Immeritò*, & *pag.* 124. §. *Quoties*.

Deficientibus Menſæ Epiſcopalis reditibus pertinet ad Canonicos, & Beneficiatos *pag.* 121. §. *Ad ſolutionem*, & *pag.* 123. §. *De Eccleſiis*.

Etiam ex quotidianis diſtributionibus. *pag.* 121. §. *Neque obſtare*.

Id tamen locum habet quoties certi fabricæ reditus deficiant, nullumque adſit ſtatutum, aut contraria conſuetudo. *p.* 123. §. *De Eccleſiis*, & *ſeq.*

Reſervationes Apoſtolicæ in collatione Beneficiorum poſſunt a Teſtatoribus excludi. *pag.* 173. §. *Itaque*.

Etiamſi agatur de Beneficio Juriſpatronatus Eccleſiaſtici. *ibid.*

Idque Sacra Congregatio declaravit. *pag.* 178. §. *Plura*.

Excluſio hujuſmodi fieri poteſt expreſſe, & tacitè, ac virtualiter. *ibid.*

Tacita excluſio cenſetur, ſi Teſtator juſſerit Patronis *ſtatim* poſt Beneficiati mortem ſucceſſorem eligere. *pag.* 173. §. *Hinc*, & *pag.* 178. §. *Inter*.

Vel etiamſi tempus ad unum tantùm menſem protrahi permitteretur. *pagin. ead.* §. *Hinc*.

Præſertim ſi in caſu negligentiæ Patronorum datus fuerit a Teſtatore ſubſtitutus, qui

qui ſine mora, aut intrà præfinitum tempus ad præſentationem deveniat. *pag.* 178. §. *Eoque magis*.

Reſidentiæ onus in Capellaniis ſimplicibus non cenſetur ineſſe, niſi Fundator eam expreſsè demandaverit. *pag.* 23. §. *Duo*.

Reſtitutio in integrum poſt elapſum a Profeſſione quinquennium conceditur, quando conſtat de gravi metu. *pag.* 266. §. *Tota*.

Res judicata ſolvit ab omni obligatione, & molæſtia. *pag.* 76. §. *Inquit*.

Rituale Romanum, quoad Sepulchra Impuberum Vid. *Filii impuberes*. *Sepulchrum*.

Ritus frangendi, & elevandi in Miſſa Sacram Hoſtiam, & Calicem. Vid. *Miſſa*.

Rocchettum non convenit ſimplicibus Sacerdotibus, ſed tantùm Canonicis, aliiſque ſpeciale Apoſtolicum privilegium habentibus. *pag.* 22. §. *Perpendendum*.

S

Sacerdos generali delegatione ſuffultus pro exercitio Parochiæ jure poteſt matrimoniis aſſiſtere. *pag.* 53. §. *Demùm*.

Sententia in rem judicatam tranſacta, liberat a quavis obligatione, & molæſtia. *pag.* 76. §. *Inquit*.

Nec eadem cauſa poteſt amplius in Curia Eccleſiaſtica proponi. *ibid.*, & *pag.* 79. §. *Ab hac*, & *ſeq.*

Septima manus Propinquorum. Vid. *Juramentum ſeptimæ manus*.

Sepulchrum qui non elegerit, humari debet in Sepulchro Majorum. *pag.* 58., & 59. §. *Cohæret*.

Idem reſolvit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium. *pag.* 59. §. *His*.

Pro filio impubere, Pater ex juris diſpoſitione illud poteſt eligere. *pag.* 56. §. *Ad I.*

Etiam ex Statuto Cleri Romani. *ibid*,

Contrarium procedit, ſi contraria conſuetudo inoleverit. *pag.* 57. §. *Negant*.

Pro infantibus retineri debet in Eccleſiis Parochialibus juxta Rituale Romanum. *pag. ead.* §. *Neque*.

Nec ideo tamen tollitur jus Patri illud eligendi, vel eos tumulandi in Sepulchro gentilitio. *ibid.*

Pro Canonicis, & Cleticis Vid. *Canonicus*, *Clericus*.

Sepulturæ antequam tradatur Defuncti Cadaver, Miſſa eo preſente celebrari debet. Vid. *Miſſa*.

Servitium Chori ad obtinendam jubilationem, quale eſſe debeat. Vid. *Jubilationis Indultum*.

Urgentibus ex cauſis aliquando per Tertiarias, aliquando per mediarias fuit a Sacra Congregatione impertitum. *pag.* 200. §. *At verò*, & *pag.* 242. §. *Procul*.

Aliquando etiam reductio remiſſa fuit arbitrio Epiſcopi, *ibid.*

Simoniæ vitium ut verificetur, indubiæ requiruntur probationes. *pag.* 175. §. *Nec*, & *pag.* 180. §. *Denique*.

Stallus dignior in Choro debetur Canonico Seniori, quamvis per optionem novam Præbendam obtinuerit. *pag.* 95. §. *Quoniam*.

Statuta particularium Eccleſiarum concedentia jubilationem Canonicis poſt ſervitium annorum 40., non fuerunt abrogata a Concilio Tridentino. *pag.* 185. §. *Hinc*.

Diverſimodè tamen alii ſenſiunt. *ibid.*

In caſu particulari tolerandi eſſe cenſuit Sac. Congregatio, idque declaravit etiam S. M. Gregorius XIII.. *pag. cad.* §. *Quare*.

Stuprator, ſi dotem ſolverit, poteſt nubere cui voluerit. *pag.* 77. §. *Addit*, & *pag.* 78. §. *Hinc*.

Stuprum non cenſetur patratum ſub fide matrimonii, niſi concludentiſſimè probetur. *pag.* 77. §. *Falſo*.

Præſertim cum res ſit de perſonis diſparis conditionis. *ibid.*

Actio ex eo ſpatio quinque annorum præſcribitur. *pag. ead.* §. *Negat*.

Penæ Stupri ex jure Civili. *pag. ead.* §. *Prætermiſſis*.

Item ex jure Canonico. *pag. cad.* §. *Verùm*, & *pag.* 78. §. *Alternativa*.

Subrogatio unius Præbendæ in locum alterius explicitam requirit mentionem. *pag.* 68. §. *Nullam*.

Sumptus litis debentur mulieri etiam indotatæ, dum pendet judicium ſuper validitate matrimonii. *pag.* 54. §. *Poſita*.

Præſertim ſi matrimonium ratum ſit, & non conſummatum. *ibid.*

Et præſtanda ſunt a Filio Defuncti Viri, ſi Pater deceſſerit. *ibid.*

Eorum quantitas dimetienda eſt non ex neceſſitate, ſed pro modo Dignitatis, ac decoris, juxta vires Patrimonii, & qualitatem Perſonarum. *ibid.*

Supplicationes. Vid. *Proceſſiones*.

T

Teſtamentum nuncupativum per relationem ad Schedulam ignotum erat in jure Civili. *pag.* 42. §. *Teſtamentum*.

Quid ad illius validitatem requiratur. *ibid.*, & *ſeq.*

Refertur opinio Doctorum. *ibid.*

Teſtatoris voluntas omninò ſervari debet. *pag.* 24. §. *Capitulum*.

Dignoſcitur ex conjecturis, an importet erectionem manſionariæ, quæ ſit beneficium Eccleſiaſticum. *pag.* 278. §. *Ex aliis*.

Ita debet interpretari, ut in omnibus cohæreat. *pag.* 278. §. *Deſpiciendum*.

Melius eſt enim ab una Teſtamenti parte recedere, quam totam diſpoſitionem ſubvertere. *ibid.*

Teſtes extrajudiciales non attenduntur. *p.* 14. §. *Subdit*.

Propriam turpitudinem pandentes rejici debent. *pag.* 30. §. *Asserit*.

Nec non ii, qui de auditu deponunt. *ibid.*

Præsertim si conflictantur ab aliis testibus magis verosimilia deponentibus. *ibid.*

Parochiani plenam de qualitate Parochi probationem constituunt. *pag.* 51. §. *Nec dubitare*.

Præferendi sunt ii, ex quibus communis opinio coalescere debet. *pag.* 53. §. *Hanc autem*.

Iisdem deferendum est, si deponant de observantia, quæ juris dispositioni sit conformis. *pag.* 56. §. *Juris*.

Eo magis si deponant de re ad proprium Officium spectante. *ibid.*

Et si de facto proprio testentur. *pag.* 57. §. *Hanc*.

Et cum qualitatibus requisitis. *ibid.*

Unius, & singularis nullam probationem constituit. *pag.* 142. §. *Etenim*.

Sufficit tamen ad impediendum matrimonium nondum contractum. *pag.* 143. §. *Quæ autem*.

Sed necesse est, ut medio juramento, & ex certa scientia testetur, & non sit persona vilis, nisi factum fuerit occultum. *pag. ead.* §. *Ut autem*.

Titulus *Ordinarii* privativus est, ac proprius Episcopi. *pag.* 94. §. *Ad* XVI.

Ideòque convenire nequit Abbati. *ibid.*

Sequus dicendum de titulo *Judicis Ordinarii*. *ibid.*

V

Vacatio a quotidiano Chori servitio ratione senectutis a jure civili conceditur. *pag.* 133. §. *Ad* IX.

Tum a jure Pontificio. *ibid.*

Tum a Sac. Congregatione. *ibid.*

Ordinarium vacationis tempus excedere nequit spatium trium mensium. *pag. ead.* §. *Ad* XI.

Valida in jure censentur quæ per communem errorem fiunt. *pag.* 54. §. *Clarissima*.

Idque procedit non solum quoad Ordinarios, sed etiam quoad Delegatos. *ibid.*

Et locum quoque habet in juribus spiritualibus, dummodò tamen juri Divino non repugnent. *pag.* 55. §. *Idem quoque*.

Hinc validum est matrimonium contractum coram Parocho putativo. *ibid.*

Requiritur tamen titulus saltem coloratus. *pag. ead.* §. *Nam sententiam*.

Valor bonorum ille dicitur, qui supereſt deductis oneribus. *pag.* 25. §. *Negat*.

Virginitas ex recognitione corporis optimè probatur. *pag.* 80. §. *Accedere*. Vid. *Corporis inspectio*.

Contrarium asseritur tum ex jure Canonico, tum ex sententia plurium Auctorum. *pag.* 82. §. *Plura*.

Præsertim si recognitio fiat post longum tempus a sequuta defloratione. *ibid.*

Virginitatis nulla per se dantur certa signa. *pag.* 82. §. *Plura*.

Claustrum semel læsum, nullo remedio, aut arte sanari potest. *pag.* 81. §. *Licet*.

Virginum ad Regularem habitum, aut professionem admittendarum voluntas explorari debet ab Episcopo. *pag.* 92. §. *Ad* VII.

Etiamsi agatur de Monasteriis exemptis. *ibid.*

Nec aliter Superioribus Regularibus licet Puellas admittere. *ibid.*

Et potest Episcopus id inhibere. *pag. ead.* §. *Speciatim*.

Visitator quoad Procurationem. Vid. *Episcopus Visitans*.

Vitium corporis quando irregularitatem inducat. Vid. *Irregulares*.

Voluntas Testatoris omninò servari debet. *pag.* 24. §. *Capitulum*. Vid. etiam. *Testatoris voluntas*.

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Cauſis propoſitis in Sac. Congregatione Concilii anno 1770.

A

de AFfinitatis impedimento non conſtare declaravit S. Congregatio in *Balneoregien impedimenti* 16. *Junii pag.* 145.

Alimenta præſtanda ſunt Uxori pendente judicio ſuper validitate matrimonii. *Cæſarauguſtana Matrimonii* 10. *Martii pag.* 56.

Arborum inciſio pro reparandis domibus Beneficii, comparandiſque pro Eccleſia Sacris ſupellectilibus permiſſa fuit juxta modum, & inſtructionem Epiſcopo tranſmittendam. *Senogallien.* 10. *Martii pag.* 49.

Archidiaconalis jurisdictio exerceri nequit priuſquam Epiſcopi confirmatio acceſſerit. *Monaſterien. Confirmationis* 10. *Martii pag.* 51.

B

BAptiſmus ita collatus, ut neque conſtet de aſperſione recte facta, neque de forma rite prolata, dubius eſt. *Conſtantien.* 20. *Januarii pag.* 13.

Et hoc modo baptizati, debent ſub conditione rebaptizari. *ibid.*

Beneficium requirit præſentationem Sacerdotis, & in ejus defectum alicujus, qui intra annum poſſit promoveri, & iis omnibus deficientibus, etiam ſimplicis Clerici. *Cremen.* 31. *Martii pag.* 72. , & 28. *Julii pag.* 240.

Si tamen adnexum habeat onus *di celebrare*, *o far celebrare*, præſentari ad illud poteſt ſimplex Clericus, præſertim ſi Fundatori conſanguineus ſit, & de ejus Familia. *Toletana Canonicatus* 20. *Januarii pag.* 1.

C

CAnonicatus noviter erecti diſmembrationi a Maſſa Capitulari locus eſſe nequit, ſed ſuppleri debet ex Maſſa Capituli deficienti redituum quantitati. *Nullius, ſeu Farfen. Canonicatus* 16. *Junii pag.* 145.

Canonicis intereſſentibus accreſcunt diſtributiones ab abſentibus omiſſæ. *Cephaluden. Diſtributionum* 28. *Aprilis pag.* 100.

Canonicus purè, liberè, ſine ulla reſtrictione, vel conditione acceptatus a Capitulo, participare debet de Legatis, diſtributionibus quotidianis, aliiſque emolumentis, de quibus participant alii Canonici, dummodò reſideat, & inſerviat in omnibus ad inſtar aliorum Canonicorum, & conferat tertiam partem pro diſtributionibus. *Sabinen. Participationis* 12. *Maii pag.* 119.

Abeſſe nequit a Choro tempore Divinorum Officiorum cauſa pulſandi organum, ſi ſtipendium accipiat. *Terracinen.* 12. *Maii pag.* 119.

Et ideo cogendus eſt juris remediis ad intereſſendum choro. *ibid.*

Jubilatus ſi choro non interſit, participare non debet de fallentiis, attenta præſertim conſuetudine. *Reatina Jubilationis* 12. *Maii pag.* 119.

Neque de emolumentis Anniverſariorum. *ibid.*

Si optaverit ad novam Præbendam retinet antiquum ſtallum in choro. *Sutrina Stalli* 7. *Julii pag.* 193.

Capellaniæ erectioni locum non eſſe declaravit S. Congregatio ob defectum conditionis, a qua erectio pendebat. *Anagnina erectionis Capellaniæ* 10. *Martii pag.* 49.

Laicales ſunt ſi canonica erectione deſtituantur, & ſi Capellanus poſſeſſionem ex lege fundationis capere poſſit abſque ulla inſtitutione, vel decreto, ſed propria tantum auctoritate. *Anconitana Capellaniæ* 12. *Maii pag.* 130.

Si Capellania conferenda ſit Sacerdoti alieno ſervitio non addicto, valide collata cenſetur Sacerdoti Canonicatum habenti in ea Eccleſia, in qua eadem Capellania erecta fuit. *Firmana Capellaniæ* 24. *Novembris pag.* 261.

Capitulares proceſſionaliter ſub Cruce accedentes ad aliam Eccleſiam pro divinis peragendis in feſto Sancti Titularis ejuſdem Eccleſiæ, non tenentur æſtivo tempore induere Mozzettam, Cappam Magnam, & Almutiam reſpectivè, ſed poſſunt uti Rochetto, & Superpelliceo. *Imolen.* 10. *Februarii pag.* 28.

Eiſdemque debetur ſolitum ſtipendium. *ibid.*

Etiam pro annis præteritis. *ibid.*

Capituli Lateranenſis juriſdictioni ſubjecta declarata fuit Eccleſia S. Pauli Spoletanæ Diœceſis, *Spoletana juriſdictionis 16. Junii pag. 153.*

Capitulo injuſtè reprobante Examinatores Synodales ab Epiſcopo electos, Sacra Congregatio eos confirmavit, in *Cæſenaten. 15. Decembris pag. 275.*

Conditione deficiente, a qua pendet erectio Capellaniæ, non eſt amplius locus erectioni. *Anagnina Erectionis Capellaniæ 10. Martii pag. 49.*

Commutatio voluntatis non conceditur, quando onera ſaltem ex parte adimpleri poſſunt. *Camerinen., ſeu Fabrianen. 20. Januarii pag. 1.*

Hinc ſi deficiant reditus ad tenendam Lampadem perpetuò accenſam ante Altare, Sac. Congregatio ſtatuit, retinendam ſaltem eſſe diebus Dominicis, & de die tantum. *ibid.*

Conſummatio Matrimonii præſumitur, cum Conjuges juvenes cohabitarunt, & ſimul condormierunt. *Neapolitana Matrimonii 28. Aprilis pag. 99.*

D

Decimas perſolvere tenetur Monaſterium, & Abbas Salemitanus ex novalibus ad formam Tranſactionis anni 1581. *Conſtantien. Decimarum 15. Septembris pag. 227.*

Diſmembrationem Canonicatus a communi Maſſa Capituli denegavit Sac. Congregatio in *Nullius, ſeu Farfen. Canonicatus 16. Junii pag. 145.*

Diſpenſatio ab irregularitate ex homicidio involuntario contracta, conceditur. *Agrien. irregularitatis 31. Martii pag. 71.*

Ex homicidio patrato ad defenſionem Parentum non omnino neceſſariam, denegatur. *Taurinen. Irregularitatis 15. Decembris pag. 275.*

Ex læſione in brachio ſiniſtro, qui adhiberi nequeat in Sacro faciendo, denegatur. *Abellinen. irregularitatis 28. Julii pag. 197.*

Similiter denegata fuit ab impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex matrimonio cum prædefuncto Fratre rato, & non conſummato. *Acheruntina diſpenſationis 16. Junii pag. 149.*

Diſtributiones quotidianæ ab abſentibus amiſſæ non remanent arbitrio Epiſcopi, ſed intereſſentibus accreſcunt, & inter præſentes dividi debent. *Cephaluden. Diſtributionum 28. Aprilis pag. 100.*

Donatio proprietatis Patrimonii Eccleſiaſtici, cum reſervatione integri uſus fructus, valida eſt. *Monopolitana Donationis 20. Januarii pag. 2.*

E

in Emphyteuſis renovatione perſolvendam eſſe intraturam ad formam conventionis, declaravit Sac. Congregatio in *Romana Laudemii 24. Novembris pag. 261.*

De Epiſcopi irrationabili judicio non conſtare definivit in *Verulana Archidiaconatus 10. Februarii pag. 28.*

Multoque minus de attentatis. *ibid.*

Epiſcopi confirmatio neceſſaria eſt ad exercendam juriſdictionem Archidiaconalem. *Monaſterien. confirmationis 10. Martii pag. 51.*

Erectio Capellaniæ fieri non debet, ſi verificata non fuerit conditio, a qua illa pendet. *Anagnina erectionis Capellaniæ 10. Martii pag. 49.*

Manſionariæ contra mentem Fundatoris denegata fuit in *Firmana Manſionariæ 10. Martii pag. 49.*

Examinatores Synodales ab Epiſcopo electi, & a Capitulo injuſtè reprobati, confirmati fuerunt a Sac. Congregatione. *Cæſenaten. 15. Decembris pag. 275.*

Expenſæ litis pro tuendis juribus hæreditatis, ex iſtius reditibus detrahi debent. *Eugubina Canonicatus 7. Julii pag. 181.*

F

Fallentiæ non debentur Canonico jubilato, ſi choro non interſit, quando præſertim id conſuetudine obſervetur. *Reatina jubilationis 12. Maii pag. 119.*

Neque emolumenta Anniverſariorum. *ibid.*

Filiorum impuberum cadavera tumulari poſſunt in ſepulchris gentilitiis ſine licentia Parochorum. *Reatina juris tumulandi 31. Martii pag. 71.*

Et in iſto caſu debentur Parochis emolumenta funeralia ad formam Synodalium Conſtitutionum. *ibid.*

H

ab Honeſtatis publicæ impedimento proveniente ex matrimonio cum prædefuncto Fratre rato, & non conſummato, diſpenſatio denegatur. *Acheruntina diſpenſationis 16. Junii pag. 149.*

Ex homicidio involuntario conceditur diſpenſatio ab irregularitate poſt diuturni temporis lapſum. *Agrien. irregularitatis 31. Martii pag. 71.*

Non tamen ex homicidio patrato ob defenſionem non neceſſariam ſuorum Parentum. *Taurinen. Irregularitatis 15. Decembris pag. 275.*

I

de Impedimento affinitatis non constare declaravit Sac. Congregatio in *Balneoregien. Impedimenti* 16. *Junii pag.* 145.

Publicæ honestatis ex Matrimonio cum prædefuncto Fratre rato, & non consummato, non dispensatur. *Acheruntina dispensationis* 16. *Junii pag.* 149.

Indultum inserviendi Choro per Tertiarias concessum fuit capitularibus Ecclesiæ Bitutinæ, exceptis tamen Anniversariis, nonnullisque anni temporibus, ac diebus festis. *Bituntina Servitii Chori* 29. *Novembris pag.* 262.

Interdictum juxta de causa latum, sustineri debet. *Albintimilien Interdicti* 16. *Junii pag.* 145.

Intraturam ad formam conventionis solvendam esse declaravit Sac. Congregatio in *Romana Laudemii* 24. *Novembris pag.* 261.

Irregularitatis dispensatio ex homicidio involuntario contractæ, conceditur. *Agrien. Irregularitatis* 31. *Martii pag.* 71. Vid. etiam *Dispensatio*.

Ex læsione brachii sinistri, cujus causa in Sacro peragendo Sacerdos deficiat, denegatur. *Abellinen. Irregularitatis* 28. *Julii pag.* 197.

Jubilationis Indultum jus non tribuit Jubilato percipiendi fallentias. *Reatina Jubilationis* 12. *Maii pag.* 119.

Neque emolumenta Anniversariorum. *ibid.*

Concessum fuit Canonico, qui per anno 46. inservierat, quamvis Capitulum dissentiret *Pisauren. Jubilationis* 28. *Julii pag.* 197., *Spoletana Jubilationis* 24. *Novembris pag.* 261.

L

Laudemium. Vid. *Intratura*.

Litis expensæ pro tuendis juribus hæreditariis ex hæreditariis reditibus detrahi debent. *Eugubina Canonicatus* 7. *Julii pag.* 181.

Et qui contradicunt, de proprio contribuere tenentur. *ibid.*

Uxori præstandæ sunt, dum pendet judicium super validitate Matrimonii. *Cæsaraugustana Matrimonii* 10. *Martii pag.* 56.

M

Mansionariæ Canonica erectio, a Testatore prohibita, denegata fuit in *Firmana erectionis Mansionariæ* 10. *Martii pag.* 49., & 15. *Decembris pag.* 246.

Matrimonium contractum coram Sacerdote, qui licet Parochus non sit, nihilominus veluti Parochus, seu Vice-Parochus ab omnibus habeatur, validum est. *Cæsaraugustana Matrimonii* 10. *Martii pag.* 56.

Consummatum præsumitur si conjuges Juvenes cohabitaverint, & condormierint. *Neapolitana Matrimonii* 28. *Aprilis pag.* 99.

Neque idcirco permissum est viro Religionem ingredi, in eaque Professionem emittere. *ibid.*

Mediæ annatæ solutioni locum esse declaravit Sac. Congregatio *in Reatina Mediæ annatæ* 12. *Maii pag.* 126.

Ad eamque teneri respondit Canonicos, Beneficiatos, & Clericos Beneficiatos, *ibid.*

Missæ Conventualis applicatio ad dies tantum festos reducitur. *Alexandrina Missæ Conventualis* 28. *Julii pag.* 197.

Ab hujusmodi tamen applicatione exemptus non est Præpositus ratione Curæ Animarum. *ibid.*

Reductio tamen denegata fuit, non verificata redituum inopia. *Vercellen. reductionis* 18. *Augusti pag.* 209.

Missarum, quæ Canonicatui adnexæ sunt, reductioni, locum esse censuit Sacra Congregatio, ob tenuitatem redituum, cum præfinitione eleemosynæ ad rationem taxæ perpetuæ. *Montis Falisci* 24. *Novembris pag.* 262.

Firmis tamen remanentibus reliquis Canonicatus oneribus. *ibid.*

N

Nominatio ad beneficium facta a Patrono, qui sit major natus, ad formam fundationis, sustineri debet, etiamsi ultimus status aliquam dubietatem involvat. *Tolentina Canonicatus* 20. *Januarii pag.* 1.

O

Onera potius minuenda sunt, quam Testatoris voluntas commutanda, cum ad ea omnia sustinenda reditus impares evadunt. *Camerinen., seu Fabrianen. Legati* 20. *Januarii pag.* 1.

Hinc deficientibus reditibus ad tenendam lampadem perpetuo accensam ad quoddam Altare, Sacra Congregatio illam retinendam esse statuit singulis festis, & de die tantum *ibid.*

Organum si pulsaverit Canonicus recepto stipendio, tempore Divinorum Officiorum, subjacet punctaturis. *Terracinen.* 12. *Maii pag.* 119.

Et cogendus est ad interessendum Choro adhibitis juris remediis. *ibid.*

P

PArochialis Eccleſiæ reædificatio primo loco ſpectat ad reditus Fabricæ, ſecundo ad Populum, tertio ad Patronum. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 28. *Aprilis pag.* 99.

Parochi tenentur ſolvere procurationem Epiſcopo, qui commode ad aliquem locum accedere non valens, convocat ad alium locum Clericos, & Laicos. *Peruſina viſitationis* 7. *Julii pag.* 171.

Atque idcirco reintegrari in iſto caſu debet Parochus loci, in quo moratus eſt Epiſcopus, ſi pro eo alendo expenſas ſubiit. *ibid.*

Eorum licentia neceſſaria non eſt, ut filiorum impuberum cadavera tumulentur in ſepulchris gentilitiis. *Reatina Juris tumulandi* 31. *Martii pag.* 71.

Iiſdem in iſto caſu præſtanda ſunt conſueta emolumenta funeralia ad formam Synodalium Conſtitutionum. *ibid.*

Si Parochus ſit etiam Canonicus, non eſt exemptus ab applicatione Miſſæ Conventualis. *Alexandrina Miſſæ Conventualis* 28. *Julii pag.* 197.

Patres familias tumulare poſſunt cadavera filiorum impuberum in Sepulchris gentilitiis, abſque licentia Parochorum. *Reatina Juris tumulandi* 31. *Martii pag.* 71.

Debentur tamen Parochis emolumenta funeralia ad formam Conſtitutionum Synodalium. *ibid.*

Patrimonii Eccleſiaſtici donatio, cum reſervatione integri uſufructus ſuſtinetur. *Monopolitana donationis* 20. *Januarii pag.* 2.

Præſentatio ad beneficium juxta legem fundationis facta a Patrono majore natu ſuſtineri debet, quamvis ultimus ſtatus aliquam dubietatem involvat. *Tolentina Canonicatus* 20. *Januarii pag.* 1.

Procuratio. Vid. *Parochi*.

Puellæ ad dotalia ſubſidia nominatæ, ſi deceſſerint ante exactionem dotis, nominatio aliarum ad eum ſpectat, qui illas nominaverat. *Romana Subſidiorum dotalium* 20. *Januarii pag.* 2.

Punctatoris Officium committi debet alicui Clerico de Choro arbitrio Capituli. *Lecdien. ad X. pag.* 127.

R

REductio quotidiani Servitii Chori denegatur, ſi concludenter probata non fuerit redituum tenuitas. *Peruſina Capellaniæ Choralis* 10. *Februarii pag.* 28. & *Vercellen. Reductionis* 18. *Auguſti pag.* 209.

Præſertim ſi Capellanus jurejurando ſe obſtrinxerit onera adimplere. *ibid.*

Applicationis Miſſæ Conventualis ad omnes dies Feſtos conceſſa fuit in *Alexandrina Miſſæ Conventualis* 28. *Julii pag.* 197.

Miſſarum, quæ Canonicatui adnexæ ſunt, conceſſa pariter fuit ob tenuitatem redituum ad rationem taxæ perpetuæ. *Montis Falciſci* 24. *Novembris pag.* 262.

Firmis tamen remanentibus reliquis Canonicatus oneribus. *ibid.*

Miſſarum, quæ adnexæ ſunt Capellaniæ, denegata fuit, attento præcepto Teſtatoris prohibentis, ne reductio peteretur. *Firmana reductionis Miſſarum* 15. *Decembris p.* 280.

Reædificatio Eccleſiæ Parochialis ſpectat primo loco ad reditus Fabricæ, ſecundo ad Populum, tertio ad Patronum. *Spiren. Reædificationis* 28. *Aprilis pag.* 99.

Reſtaurationi Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum conſulendum eſt ſoluti one mediæ annatæ. *Reatina mediæ annatæ* 12. *Maii pag.* 126.

Ad eamque tenentur Canonici, Beneficiati, & Clerici Beneficiati. *ibid.*

S

SAlemitanum Monaſterium, & Abbatem teneri ad ſolutionem decimarum ex novalibus ad formam tranſactionis anni 1581. deciſum fuit in *Conſtantien. Decimarum* 15. *Septembris pag.* 227.

In Sepulchris gentilitiis tumulari poſſunt cadavera filiorum Impuberum ſine licentia Parochorum. *Reatina Juris tumulandi* 31. *Martii pag.* 71.

Servitium Chori reduci non poſſe cenſuit Sacra Congregatio, non probata redituum tenuitate. *Peruſina Capellaniæ Choralis* 10. *Februarii pag.* 28., *Vercellen. reductionis* 18. *Auguſti pag.* 209.

Præſertim ſi Capellanus, dum Capellaniæ poſſeſſionem apprehendit, juramento ſe obſtrinxit omnia onera adimplere. *ead. Peruſina*.

Per tertiarias conceſſum fuit Capitularibus Eccleſiæ Cathedralis Bituntinæ, exceptis tamen feſtis, & ſollemnioribus infra annum diebus, ac etiam Anniverſariis. *Bituntina ſervitii Chorii* 24. *Novembris p.* 262.

Status ultimus attendi non debet, ſi dubius ſit, alii verò præcedentes ſint clari. *Tolentina Canonicatus* 20. *Januarii pag.* 1.

Stuprator ſoluta dote remanet in ſtatu libero, ad effectum contrahendi matrimonium cum qua maluerit. *Raguſina* 28. *Aprilis pag.* 99.

Subſidium dotale per obitum Puellæ, cui collatum fuerat, non exactum, iterum conferri debet ab eo, qui habet jus nominandi. *Romana ſubſidiorum dotalium* 20. *Januarii pag.* 2.

Supplicatio favore Clerici Fundatori conſanguinei, & de illius familia, relaxata fuit, pro beneficio, cui adnexum erat onus celebrandi per ſe, vel per alium. *Tolentina Canonicatus* 20. *Januarii pag.* 1.

V

VIcarii Collegiatæ Eccleſiæ Tungrenſis perpetui judicati ſunt . *Leodien. pagin.* 127.

Poſſunt ad titulum Capellaniarum, quas poſſident ad Sacros ordines promoveri. *ibid.*

Tenentur aſſidue inſervire Choro, & Eccleſiæ . *ibid.*

Et adimplere onera per ſe ipſos . *ibid.*

Intuitu illorum onerum ejuſdem a Capitulo debetur retributio . *ibid.*

Eiſque perpetuo conferri debet punctatoris officium . *ibid.*

Uxori præſtanda ſunt alimenta, & ſumptus litis pendente judicio ſuper validitate matrimonii. *Cæſaraugustana Matrimonii* 10. *Mariti pag.* 51.

FINIS.

BX
1935
A36
t.38-39

Catholic Church. Congregatio
Concilii
Thesaurus resolutionum
Sacrae Congregationis Concilii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 04 005 9